



2
6
471









COMPENDIVM ANNALIVM ECCLESIASTICORVM REGNI HIBERNIÆ.

COMPENDIVM ANNALIVM ECCLESIASTICORVM REGNI HIBERNIÆ

Exhibens breuem illius deſcriptionem, & ſuccinctam Hiſtoriam.

Antiquitatum, rerumque magis notabilium utriuſque Status Eccleſiaſtici, & Ciuilis, veteris, & recentioris.

AD SS. DOMINVM NOSTRVM

ALEXANDRVM OCTAVVM

PONTIFICEM OPTIMVM MAXIMVM.

Authore Fr. Franciſco Portero Hiber. Miden. Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato.





ROMÆ, M. DC. XC.

Typis Nicolai Angeli Tinaſſij Impreſſoris Cameralis.

Superiorum Permiſſu.

SS.MO PATRI, ET DOMINO NOSTRO

D. ALEXANDRO VIII.

PONTIFICI MAXIMO.

Nicolaus Angelus Tinassius fœlic.



Euirescere nuper visa est mihi senectus mea, SANCTISSIME PATER, cùm vnanimibus Purpuratorum Patrum suffragijs dignus iudicatus es Pontificio, quo nullum in Terris altius, Fastigio. Ex inueterato quippe deditissimi animi mei erga SANCTITATEM TVAM obsequio factum, vt de communi in meritissima dudum eiusmodi Tui exaltatione gaudio, non infimas ego partes de-

li-

libarem intimæ alacritatis. Nec in ſinu hanc diutius deliteſcere patiebatur affectus meus exultationem, quin aliquo (qualecumq; illud foret) deuotionis ſpecimine palam demonſtrarem eandem. Exit ſanè; hoc nouo anno proſperè ſub BEATITVDINIS TVÆ gubernio ineunte, è Typis meis ſuis innatis illuſtrata HIBERNIA ſplendoribus, quos inter cum magis eniteat ſuorum tum Principum, tum Populorum deuota erga Sedem Apoſtolicam, eiuſque viſibile in Mundo Caput reuerentia; cuinam, quæſo mirum videri poſſit, quod me quaſi deducente Sacris Tuis, BEATISSIME PATER, nunc aduoluatur pedibus, quòdque huius Operis dedicatione,

reue-

reuerentissimi cordis testando obseruantiam, futuræ præludam Vniversalis Ecclesiæ, Tuo ministerio saluberrimè regendæ, faustitati. Tribus his equidem (quæ singula fortunati Regni sunt omina:) capitibus complectatur quis apprimè felicia Tui Pontificatus primordia, qui dixerit SANCTITATEM TVAM, in admissione ad auditionem benignam, ac facilem, in negotiorum, Reipublicæ Christianæ confectione diligentem, ac strenuam, in supremæ demum potestatis vsu continentem æquè, ac integram. Ex solidis huiusmodi cumulatæ vndequaque Virtutis initijs, quæ non amplissima publicæ spei Seges expectanda ab omnibus? Mihi profe-

ctò

ctò exindè certissima affulget fiducia, quòd, (quæ innata Tibi est benignitas) hanc meam propensissimæ voluntatis audaciam, hæc mea vota publici Iuris sincerè facta, æqui bonique consules. Vale interim, PATER SANCTISSIME, Vrbis Lætitiæ, Viue Orbis Bono, & per fausta diuturni Imperij Lustra perge, sed serò, ad Immortalitatem. Romæ ex Typographia Pontificia Kalendis Ianuarij MDCXC.

PROTESTATIO AVCTORIS.

Præuia ad hoc Compendium.

FEl. Record. Vrbani Octaui Constitutionem die 13. Martij anni 1625. in Sacra Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis æditam circa Sanctorum nomenclaturas, Vitas, miracula obseruaturus, profiteor me nolle cuiquam sacrorum hominum, quorum series, vel memoria in hoc Compendio refertur, per hanc elucubrationem, religiosioris cultus adscriptum amplius, quam per Apostolicæ Sedis Decreta Sacrosancta liceat, neque aliam hic recensitis Fidem petere, quam purè humanam, nisi quibus authoritas humana maior, & vt talis per Ecclesiam Romanam agnita, suffragatur.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sac. Palatij Apoſt. Datum &c. hac die 24. menſis Aprilis 1689.

Stephanus Ioſeph Menattus Epiſc. Cyren. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Ioſeph Clarionus Reuerendiſsimi P. Fr. Thomæ Mariæ Ferrari Sac. Pal. Apoſt. Mag. Soc. Ord. Præd.

INDEX TITVLORVM
Huius Operis.

6a

Cap.

7a

Cap.

cle-

In Prouincia Cassellienfi.

In Prouincia Tuamensi.

Cap.

Cap.

§. 3.

Appendix ad hanc Sectionem.

HIBERNIÆ DESCRIPTIO

SECTIO PRIMA.

De Regni Hiberniæ descriptione, siue de situ, quantitate, qualitate, Cœli, Solique fœlicitate, alijsque adiunctis.



NNALES Ecclesiasticos Hiberniæ nostræ scripturus, operæ pretium existimaui Corographicam eius delineationem ex probatis Authoribus præmittere, nomenclaturam, situm, statum, variasquè dotes exhibere; vt cognita regione, cuius narratur historia, Prouincias, Loca, Ciuitates, & Oppida, quorum in decursu Operis mentio forsàn occurret, faciliore negotio Lector intelligat, eandem porrò descriptionem, delineationemque ex prædictis annalibus huic nostro prodromo inserere visum est, & præmittere sequens Patris Eschinardi de Hiberniæ quantitate Iudicium.

Responsio P. Francisci Eschinardi Societatis Iesu ad Reuerendum Adm. P. Franciscum Porterum Ordinis Fratrum Minorum strictioris Obseruantiæ Prouinciæ Hiberniæ Sac. Theologiæ Lectorem Iubilatum.

POstulasti à me; vt promissam olim ex mea vniuersali Geographia notitiam pro noua Hiberniæ Mappa

Corographica, quam à 17. annis apud me habebam illam edere volenti, communicarem; hac potiſſimum occaſione; qua gens tua non minùs piè, quàm fortiter, & glorioſè rem Dei ſimul, & Regis communi totius Europæ plauſu ageret: Præſto ſum igitur humaniſſimæ poſtulationi tuæ, per quam vltrò currenti ſtimulos addidiſti.

Iàm à multo tempore mihi perſuaſeram, neceſſariam huiuſmodi nouam Mappam, ob quamplurimos errores, quos deprehenderam in Mappis, quæ communitèr circumferuntur; in quibus neque fluminum curſus, neque lacuum ſitus, & figura (quibus vtriſque Hiberniæ Inſula abundat, ac proindè fæcundatur) veritati cohærent; nàm v.g. lacus Earnus communiter delineatur, tamquàm vnus; cum omninò in duos diſtinctos, atque amplos diuidatur: interiecto notabili flumine, per quod tamquam per funiculum connectuntur; & prætereà vnus ab Occidente in Orientem, alter à Borea in Meridiem protendatur.

Hinc neceſſariò Vrbium; atque Oppidorum ſequitur inordinata collocatio. Hærebam tamen aliquantum dubius; cùm contra turbam tot Mapparum diuerſo tempore, & loco impreſſarum mihi eſſet pugnandum: Quare non deſtiti diligentèr inquirere; an aliqua extaret, quæ in tam multis non peccaret, cùm tandèm incidi in Mappam D. Io: Spedi; in qua diſpoſitio, & figura fluminum, & lacuum veritati ferè conſentit: Extant deindè aliquot aliæ ab illa deductæ.

Attamen ab his etiam diſcordat noua hæc Mappa in aliquibus attributis perneceſſarijs; præcipuè in gradibus latitudinis geographicæ; quod in illis ſint pauciores, quam in hac; vndè neceſſariò ſequitur minor amplitudo Inſulæ, & diſtantiæ Vrbium inter ſe multò breuiores; & quidèm in proportione valdè difformi; cùm in illis gradus borealiores latitudinis minùs à veritate diſcordent; quàm minùs boreales: quod ſanè repugnat relationi

tioni non paucorum Recentiorum, qui in ipſa Inſula commorantes diligentiùs hæc perſcrutati ſunt. Neſcio quo fato hæc Inſula anguſtias apud plures Auctores paſſa eſt; nàm primò quadratam aſſeruit Strabo (ſi credimus Cambdeno, Spedo, Ianſonio, Blaeu, cæteriſque pluribus, quamquam aliter inueniatur in pluribus Codicibus); deindè alij Oualem: Ptolomæus verò enormiter errauit cum Strabone etiam, in aſſignanda eius latitudine geographica; vt iam omnes fatentur: Quia verò ob nouas, & nouas experientias veritas magis patuit: tandem ex iuſtis rationibus; quas mox afferam, extendi debet Hibernia, & occupare in longitudine ſua ſex gradus, & ampliùs latitudinis geographicæ.

Contigit ſanè huic Inſulæ, quod & vniuerſo Orbi Terraqueo, cuius magnitudo per nouas, & nouas obſeruationes patuit ſemper maior; itaut vnius gradus latitudinis geographicæ ſpatium: quod ab antiquis ſexaginta milliaribus fuerat æſtimatum; nunc apud accuratiores recentiores vſque ad octuageſimum primum cum dimidio (prout notat P. Io: Baptiſta Ricciolus in ſua Geographia Reformata) excreuerit.

Rationes igitùr, quæ me maximè mouent, vt ab alijs diſcedam, ſunt ſequentes: Examinatis menſuris Recentiorum (qui minus errarunt), vidi ipſos multò magis conſentire cum hac Mappa; quam cum ſuis proprijs, quamuis enim dictæ menſuræ in eorum ſcriptis aſſertæ, conſentiant cum Chartis Prouinciarum particularibus ipſorum; tamen notabilitèr diſconcordant à Mappa integra totius Hiberniæ ab ijſdem impreſſa; ità verò huic nouæ Mappæ conſentiunt; vt hinc ſequatur in altitudine Poli eos erraſſe pluſquam per vnum gradum: Hinc neceſſariò ſequitur error ipſorum in dicta integra Hibernia quoad longitudinem geographicam; quia ipſimet aſſerunt, longitudinem Inſulæ (quæ extenditur iuxta latitudinem geographicam) eſſe duplam latitudinis eiuſ-

dem Insulæ; ergò crescente longitudine Insulæ, oportet, vt paritèr crescat eiusdem latitudo.

Et hæc quidèm sunt argumenta, vt ita dicam, negatiua, & ad hominem contra ipsos Recentiores, alioquin laude dignos, præ antiquioribus, qui longè maximè errauerunt; vt nunc omnes fatentur: Ex quibus fit, vt stando etiam ipsorum fidei, Mappa totius Hiberniæ sit omninò corrigenda: prout factum est in præsenti.

Iam afferamus argumenta positiua. Amicus quondam meus in Hibernia natus, & educatus; atquè in huiusmodi mensuris accipiendis non mediocriter versatus anno circiter 1672. mihi seriò affirmauit, ad sua vsque tempora omnes Mappas peccare præcipuè in assignanda latitudine geographica, scilicet altitudine Poli Hiberniæ, & à me de pluribus interrogatus scitè respondit; ostenditque se exactè, ac sæpè obseruasse veram Poli altitudinem pluribus in locis dictæ Insulæ, ac reperijsse ex parte meridionali, in qua præcipuè erratum adhùc fuerat, initium Insulæ incipere in gradu 50. $\frac{1}{1}$ non autem in 51. $\frac{1}{1}$ vt à supradictis recentioribus delineatur: Accedit authoritas P. Francisci Moloy Viri integerrimi, & hìc Romæ quamplurimis noti, qui in manuscripto de Historia Hiberniæ, quam ipse componebat ad prælum, ita loquitur: Australior Hiberniæ pars Anglis *Cape Clear* collocatur à Britannis in gradu quinquagesimo primo min. 30.; cum tamen deprehendatur in gradu ad plurimum 50. min. 30. quia eleuatio Poli reperta est Vuexfordiæ in Làgenia in gradu 52. & Dublinij in gradu 53. tametsi Britanni Dublinium collocent in gradu 54. Vuexfordiam in gradu 53. Porrò partem huius Insulæ maximè Aquilonarem ijdem collocant sub gradu 57. supponendo itaque, quod longitudo huius Insulæ sit à gradu 50. cum dimidio ad 57. interiacebunt sex gradus cum dimidio &c.

Hactenùs P. Moloy: Confirmatur ex authoritate

P. Io: Baptistæ Riccioli, qui in sua Geographia reformata ponit Dublinium in altitudine Poli grad. 53. min. vndecim. Iam si demus cum eodem Ricclio singulis gradibus latitudinis Geographicæ milliaria Romana antiqua, & Geometrica 81. cum dimidio, longitudo Insulæ erit milliaria 530. circitèr, intelligendo de Geometricis. Addo me audiuisse à viro omni fide digno, Agrimensores Hiberniæ prudenter quidem pro suo intento; sed negligenter pro arte Geographica, mensos fuisse Hibernicas regiones; omissis scilicet sæpè locis infęcundis. Tutior via ad obtinendam latitudinem Geographicam est obseruatio Altitudinis Poli, potius quam per incertas mensuras milliarium. Verumtamen etiamsi illis concederemus, mensuras huiusmodi propè accedere ad veritatem, patuisset error in latitudine Geographica, si singulis particularibus Prouincijs in latere apposuissent gradus latitudinis Geographicæ, cum iuxta mensuras ipsorum per milliaria, tum Anglica, tum Hibernica expressas, debuissent plures apponi gradus, quam ipsi apposuerint in Mappa totius Insulæ.

Libentiùs sanè perlegissem apud Geographos, qui Mappam totius Hiberniæ delineauerunt, aliquanto plura de rationibus, & mensuris Geographicis, & præcipuè de exacta operatione in captanda altitudine Poli, quam exotica, tam multa aggesta, & vndique indiscriminatim congesta de moribus gentis. Discordantia inter Mappam integram totius Hiberniæ, & cartas particulares singularum Prouinciarum designatas ab ijsdem Auctoribus non exiguam præbet suspicionem erroris in gradibus latitudinis Geographicæ, totius Hiberniæ Mappæ adiunctis.

Solet plerumque accidere, vt plurima molientes, non adeo exactè aduertant ad singula; non enim exiguum requiritur studium, vel ad vnam tantum particularem Mappam exactè delineandam: scio equidem, quanto mihi steterit delineatio Abassiæ, quam dicunt Æthiopiam,

in-

interiorem, ſine errore notabili; ſed recepto, Imperium Preteianni; cuius inter alia lacus, ſiuè mare Dambeæ in aliorum Mappis nullo modo cohæret cum relationibus ipſorum Autorum, quos vnicos ijdemmet Geographi ſequi ſe profitentur: (vt interim taceam de ijs, qui Nili curſum in partem Orientalem, pro Occidentali direxerunt, vno excepto Nicoloſio iuniore, qui ſuam reformauit ad Amuſſim iuxta meam Mappam Pariſijs editam:) Nam huius lacus longitudinem extendunt à Septentrione in Auſtrum, latitudinem verò ab Oriente in Occidentem; cum omnino è contrario longitudo, hoc eſt linea maioris extenſionis à dictis Autoribus aſſeratur ab Oriente in Occidentem; latitudo autem à Septentrione in Auſtrum.

Quod autem attinet ad longitudinem Geographicam omnes norunt, quàm hæc ſit inuentu difficilis; ſed multum ſperamus ab Academicis Pariſinis, qui ex multo tempore diligentem huic indagationi nauant operam. Qua in re, cum ex eadem Academia Doctiſſimus Io: Dominicus Caſſinus Primarius Regis Aſtronomus, pro ea, quæ intercedit inter nos antiqua amicitia, mihi curam demandaſſet, vt ſtato tempore in ipſius Ephemeride aſſignato obſeruarem Eclipſim ſatellitum Iouialium Romæ; dum interim ipſe hoc idem faceret Pariſijs: reſcripſi, me quidem id facturum exactiſſimè; ſed prætereа addidi, curandum eſſe, vt vterque obſeruaremus initium, & finem huiuſmodi Eclipſis; inde enim fieret; vt in ipſum præciſum temporis momentum (quantum humana vis poterat) vterque incideremus, cuius rei ratio eſt, quia cum potuerit contingere, vt notabiliter diuerſa eſſent Teleſcopia, vel Potentiæ viſiuæ, vel Aer intermedius (nam experimentis patuit quoad hoc differentia notabilis inter Aerem Pariſinum, & Romanum) conſequenter etiam alteruter priori aliquanto tempore videret id, quod alter aliquanto poſt: Iam verò ſi obſeruaretur initium, & finis

Ecli-

Eclipſis, & inter hæc duo puncta ſumeretur medium temporis; in idem omnino momentum temporis incideret medium; nam qui perfectius videret, aliquanto prius, quàm alter, vidiſſet initium, & aliquanto tardiùs finem; è contrario alter, tardius initium, & citiùs finem; medium tamen inde deductum foret idem pro vtroque: quæ cautela poſſet etiam proportionaliter inſeruire pro Eclipſi lunari; in qua, vna ex præcipuis difficultatibus eſt, quod non facilè conueniunt Obſeruatores in ſtatuendo initio, vel fine; ſed quoad Eclipſim lunæ, alibi docui modum obſeruandi exactè ipſum medium; quod præhaberi debet initio, & fini, in quibus interueniunt Vmbrago, & penumbra cum periculo deceptionis; medium autem temporis, & obſeruationis non perfectè conueniunt.

Iam ad rem propoſitam redeamus. Quid igitur facerem, cum viderem Obſeruationes altitudinis Poli huic Mappæ concordare, à cæteris omnibus diſcordare; neque vllam obſeruationem ab illis afferri; præterea menſuras ipſas Regionis per milliaria, noſtrę potiùs, quam aliorum Mappis pro integra Hibernia conſentire, quamuis ab ijſdem Autoribus propoſitas? Dedi igitur manus Veritati, vltrò ſeſe offerenti, ac nouam delineationem inſtituendam cenſui; ita tamen, vt quam minimum fieri poſſet, & tantummodò, vbi neceſſitas id ſuaderet, à ſupralaudatis Recentioribus diſcederem. At miror ſanè Io: Ianſonium, & Blaeu à cæteris recentioribus, adeò notabiliter receſſiſſe, vt adhuc magis peccarent, quam ipſi in aſſignanda latitudine Geographica, cuius certè rei debuiſſent aliquam rationem afferre, dum non Hiberniæ tantum; ſed & Scotiæ proximæ, atque Angliæ, etiam facerent latitudinem Geographicam diuerſam, ac faciat Spedus, quem alioquin ipſi tranſcripſerunt.

Hæc habui, quæ ſcriberem pro præſenti totius Hiberniæ Mappæ. Hac tamen occaſione non poſſum omittere id, quod à multis annis publicaui; ſcilicet videri mihi opti-

optimum, si Geographiæ studiosi curarent sibi facienda duo Hemisphæria plana, ponendo pro centro alterutrius Polum Arcticum, pro altero Antarcticum, vt aliquando fit, deindè vero ita collocentur affixa parieti, vt per denticulos aptatos in margine vtriusque dispositos ex motu vnius, sequatur motus alterius sibi proximè adaptati: Hinc enim fiet, vt sine magno incommodo Spectator in scamno horizontali posito singulas inspiciat pro libito Regiones, seu diuisim, seu coniunctim pro vtroq; Hemisphærio: Quod verò præcipuum æstimo in hac operatione, poterunt sic fieri duo Hemisphęria amplissima, curando scilicet, vt dimidium vtriusque extet in ipso Cubiculo, alterum verò iuxta eumdem parietem, descendat vsque ad inferius Cubiculum. Intelligenti pauca.

Moneo Lectorem, præmissam Responsionem P. Eschinardi ad me directam, mihi fuisse perlectam ante Aprilem huius anni 1689. Imo etiam addo, ab eodem habitam esse lectionē Academicam in Academia Physicomathematica Romana apud Illustrissimum D. Pręsulem Ciampinum die tertia Aprilis huius anni 1689. in qua lectione omnia, quę continentur in dicta Responsione publicata sunt, & prolixius explicata; cuius rei tot sunt Testes, quot ea die frequentes adfuerunt socij nobilissimę illius Academię. Hoc dictum velim, vt si fortè ad Lectoris manus aliundè peruenerit aliquid super ista materia, possit ex pleniori cognitione hac de rę sanum ferre iudicium.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Hiberniæ Etymon, & vnde sic dicta, alia eius nomina, cùr & quandiù Scotia appellata.



NSVLAM hanc Cæsar vocat *Hiberniam*, Orpheus, Aristoteles, Claudianus, *Iernam*, Iuuenalis, & Pomponius Mela *Iuuernam*. Eustachius *Verniam Oyerniam*, & *Berniam*. Ptolomeus *Ioerniam*. Diodorus, *Irin*, vel *Iris*, Plutarchus *Ogygiram*, alij *Ioyrniam*. Auienus *Sacram Insulam*, Iocelinus *Insulam Sanctorum*. Britanni *Tuerdon*. Beda *Scotiam*. Angli *Irlandiam*, seu Irland, Incolæ autèm communitèr *Eire*, cum lingua Vernacula loquuntur, cùm verò latine, nunc *Iberniam*, & *Hiberniam* appellant. Plura alia nomina Regni nostri, qubius à domesticis Scriptoribus, Poetisquè celebratur. Omitto, quorum omnium originem, vel etimologiam ne in prolixas excurram ambages, inuestigare non est animus; solummodò vndè *Hibernia*, cur & quandiù *Scotia* vocata referre intendo, tùm ne veneranda antiquitas eclypsim patiatur in posteris, tùm ne aliquis sola nominum, vel veræ significationis ignorantia laborans affingat, tàm celebri Insulæ aliquid alienum à vero, vel in alias regiones transferat, quod proprio iure tantæ debetur Nationi.

Multi Scriptores rati sunt Hiberniæ nomen indè deductum fuisse, quod aquæ ibi Hiberno tempore vehementi frigorum rigore ità congelentur, vt diutiùs quam par est congelatæ perdurent, quam imperitam deriuationem, quæ Claudianum in eum errorem impulit, vt cecinerit.

Scotorum cumulos fleuit glacialis Ierne.

Richardus Stanihurstus de rebus Hibernicis impugnat, habet enim ea Insula, vt inferiùs videbimus, aerem temperatum, vsque adeoùt liceat multos annos in Hibernia hybernare absque tanto auræ rigidioris incommodo, vt plerisque in partibus vix aliquam glaciem per totam hyemem conspicias; Vndè Giraldo Cambrense teste *est terra terrarum omnium temperatissima*. Vetùs constansque nostratum opinio est Hiberniæ nomen, vel ab Hibero, seù Ebero flumine Hispaniensi, vel ab Ibero Rege Hispanorum Secundo, vt habet Martinus Carillio, à quibus ortos esse Hibernos, vetusta Hiberniæ monumenta referunt, fuisse iàm olim traductum.

A' præfato flumine Hibero, seù Ebro credunt non nulli Hispaniam dictam esse Hiberiam, aliundè tamen nomen hoc deducit Cornelius à Lapide in cap. 10. Genesis, Tubal, inquit à quo orti sunt Iberi quasi Ibeli, vel Tibeli, Iberi inquam tam Asiani iuxtà Pontem Euxinum, quam Europæi puta Hispani. Ità *Marianus Delrio, Oleaster, Arias Montanus, & in cap. 38. Ezechielis est enim Hiberia aquilonaris regio iuxtà Pontem Euxinum inter Colchidem, & Armeniam, quæ caucasijs Montibus circumdatur, à quibus profecti dicuntur, qui in Hispaniam venerunt, vndè & ista paulatim Iberia dicta est*. Hæc ille ex hispanis authoribus, qui tenent primum Hispaniarum Regem fuisse Thubal Iapheti filium, huic defuncto successisse Iberum eius primogenitum, & ab hoc, vel à suprà dictis Iberis, Hispaniam appellatam esse Iberiam, & Hispanos Iberos, cumquè siuè ab his, siuè à prioribus profecti essent Coloni in nostram Insulam, inde & Hibernia cœpit dici, & Incolæ vocari Iberni, vel cum aspiratione Hiberni, hæc fusiùs, quàm optabam de Hiberniæ Etymo.

Superest Scotiæ nomen, quod à Scota Pharaonis filia Gathelo viro Principi in Vxorem data, deriuatum

esse

esse non nulli Scriptores opinantur, & indè Hibernos vocari etiam solitos esse Gathelos, & Scotos, ac Hiberniam Scotiam, sed placet hic subiungere R. P. Hesnquenij de Scotiæ nomine discursum in comentario præuio ad Vitam Sancti Patritij. Est quidem inquit etiam nobis „ indubitatum, quod iam indè à sæculo tertio cœperint „ in Britanniam transire Scoti. Fatendum omninò est „ Scotici nominis dignitatem præcipuam apud Hibernos „ remansisse ad vndecimum vsque sæculum; quia & Be- „ dæ, & antiquis Scriptoribus omnibus, vt rectè Vsse- „ rius pag. 734. in antiquitatibus Britannicarum Eccle- „ siarum, Scotia semper vnica est eademq; quæ Hibernia. „ Nam neque Dalrieda, quæ vsq;ad annum DCCCXL. „ Scotorum Britannicorum Sedes erat, Scotiæ nomen est „ consecuta, neque etiam integra ipsa Albania, statim „ à debellatis pictis, sed tùm demùm cum populo vtroq; „ in vnam gentem coalescente, obsoleuit planè Picticæ „ nationis memoria, quod, vt ante annum MC. haud qua- „ quam factum, ita vix vllos, qui toto antecedentium an- „ norum spatio vixerint posse produci arbitramur, qui „ Scotiæ appellatione Albaniam designarint.

A quo tempore & quãdiù Hibernia dicta est Scotia.

„ Tantum porrò abest, vt dici possit nomen illud „ dumtaxat fuisse communicatum Hiberniæ, ideò quod „ Coloniæ Scotorum nonnullæ eo sint propagatæ ex „ Britannia, quorum tamen, & nomen, & natio priùs „ in hac fuerit, & ad hæc vsque tempora sit conserua- „ tum, vt ante tertium, quod diximus sæculum, quam- „ uis sub Augusto, & successoribus eius tam accuratè „ cœperit orbis describi) nullus antiquorum Geographo- „ rum, vel Historicorum Scotos in Britannia legatur no- „ minasse. Etenim postquã hac de re inter vtriusq; gentis „ eruditos viros acriter est, velùt pro aris, ac focis de- „ pugnatum, nihil Britannici Scoti pro suæ in Albania „ commorationis antiquitate proferre potuerunt, nisi re- „ centiorum commenta, & leuissimas quasdã coniecturas,

„ qualis eſt hæc ex quodam ſomniantis Scaligeri delirio
„ ſumpta, quo hic Poetæ verſus. Et *cœruleos ſcuta*
„ *Brigantes*, in ſuſpicionem Mendi vocatur quaſi Sco-
„ to--Brigantes, ſcriptum ab initio fuerit, verum vt hoc
„ cum aliquo fundamento ſcaliger ſuſpicaretur, non ſuffi-
„ ciebat dici, à Brigantibus vicinas hodiernæ Scotiæ re-
„ giones fuiſſe inſeſſas, ſed ante omnia oſtendendum erat,
„ Scotos in Britannia tamquam incolas fuiſſe notos Clau-
„ dij Cæſaris, cùm iſte verſus ſcriberetur, æuo, quod ta-
„ men eſt tam incredibile, quam certum eſt nullum Im-
„ peratorem Romanorum, victoriarum etiam factarum
„ titulos auidè ſectantium, licet multa cum indigenis
„ barbaris extra Romanæ Prouinciæ fines muro illo no-
„ minatiſſimo excluſis, bella geſſerint, Scotici ſumpſiſſe
„ cognomentum, ſed omnes contentos fuiſſe ſe Britan-
„ nos dici. Quod ſi in illo verſu vitiatum eſt aliquid,
„ longæ veriſimiliori coniectura *cæruleos cute Brigantes*,
„ iuberemur legere, cum nihil ſit apud veteres proſa, ac
„ verſu notius, quàm Britannos, quorum pars non mini-
„ ma Brigantes erant, ſolitos cutem corporis glaſteo, vel
„ ceruleo colore depingere. Quod quia hiſce inſulis om-
„ nibus comune fuit, ſic ſua quæq; in lingua nomen ab eo
„ vſu ſumpſere, nam Britones quidem ita dicti ſunt, quia
„ veteri lingua eorum *Brith* coloratum conſcriptumque
„ ſignificat, vndè etiam hodiè *VVrith.* Anglis litteras pin-
„ gere eſt. *De Scotis verò ſcribit Iſidorus lib. 9. Etimolog.*
„ *cap.* 20. propria lingua nomen habere eo, quod acu-
„ leis ferreis cum atramento variarum litterarum ſtem-
„ mate notentur. *Schotha* enim Hibernis florem, ſeù flo-
„ ridam variegationem coloris ſignificat, vt fruſtra ſint
„ qui nominis originem accerſunt à Scytis quamuis Sco-
„ tos Scyrtan vocitet Alfridus Rex Oroſij hiſtoriam è
„ latina Saxonicam faciens; iſtam verò Hibernicæ vocis
„ ſignificationem ſi Cambdenus cognouiſſet, citata Iſi-
„ dori verba minus fuiſſet admiratus, hæc ille. Quo no-

mine

„ mine vndecumque tandem trahatur per multa tempora appellatam esse Hiberniam complures testantur authores. Orosius Sancti Augustini discipulus *lib.1.hist.c.2.* „ Et quoniam Oceanus habet insulas, quas Britanniam, „ & Hiberniam vocant, Hibernia Insula inter Britan„ niam, & Hispaniam sita...... hæc propior Britanniæ „ spatio terrarum angustior, sed Cæli, Solique tempe„ rie magis vtilis à Scotorum gentibus colitur. Hæc Orosius, qui floruit in fine sæculi quarti, vbi diuersas facit insulas Britanniam, & Hiberniam. S. Hieronymus Orosio Sinchronos, siuè vt aiunt Contemporaneus lib.3. in Ieremiam loquens de Pelagio. *Habet* (inquit) *progeniem* (viz Cœlestium, de quo nos suo loco) *Scoticæ gentis de Britannorum* vicinia vtique de Hibernia, nam Scotia recentior est pars Britanniæ: Author operis de excidio Ierusalem lib.5.cap.15.*quid attexam Britannas..... tremuit hos Scotia.* Vetustissimus author vitæ S. Patricij, & ipsi coæuus sic ait..... *Causa hæc erat primæ peregrinationis, atque aduentus eius in Scotiam, Scotensis exercitus &c.* & per Scotiam hic intelligi Hiberniam declarat author verbis ipsius Sancti. *Quando ego captus sum annorum eram sexdecim &c. & in Hiberniam adductus sum in captiuitate. Alius author vitæ Sancti Patricij. Palladius terram Scotorum intrans in Lageniensium fines peruenit.* Rursus alius in eandem vitam. In diebus illis fuit quidam Rex magnus ferox regnans in Temoriæ Ciuitate, vbi etiam tunc Regni Scotorum erat caput. Temoria verò ista est in Midia Orientali nunc Lageniæ adiuncta.

Testimonia authorum, qui Hiberniam vocāt Scotiam.

Adamnanus in Vita Sancti Columbæ. *Hic Columba anno secundo post Culodebhne bellum ætatis verò suæ 42. de Scotia ad Britanniam pro Christo peregrinari volens enauigauit,* Ven Beda lib.1. historiæ. *Hiberniam Scotorum propriam patriam vocat.* Idem habet lib.2. cap.4. lib.3.cap. 3. lib.4. cap. 4. & 26. lib. 5. cap. 16. Hibaldus in vita Sancti Liuini. *Britannia Oceani Insula, cui adiacet Scotia,*

seu

ſeu Hibernia, ſic eam vocat S. Bernardus in vita S. Malachiæ: Cæſarius Monachus Ciſtercienſis in Dial. lib. 12. cap. 35. Serrarius in Act. S. Kiliani. Ioannes Major lib. 1. de geſtis Scotorum fol. 16. Georgius Bucananus lib. 2. Hiſtoriæ Scotorum. Quare qui negant nomen Scotiæ attributum olim fuiſſe Hiberniæ, cogentur in ſua noua Scotia, nouas fabricare Prouincias. Scilicet Lageniam, Conaciam, Momoniam, Vltoniam. Hæ enim in Scotia de quo hactenus mentio, numerantur ab ijs ipſis, qui ſic illam indigitant. Adde Noſtrates dum loquuntur Hibernicè non aliter Scotiam vocant, quam *Albain*, vetuſto retento vocabulo, quæ omnia ſine iniuria tam celebris regionis & nationis dicta volo.

Durauit hoc nomen pro Hibernia ad annum milleſimum centeſimum, & paulatim cœpit illi Britanniæ parti, quæ dicitur *Albania*, tribui vt videre licet apud Eboranſem tomo 2. tit. de intemperantia, rarus igitur fuit vſus huius nominis Scotia, pro prædicta Albania vſque ad annum 1098. quo regnauit, in illa Rex Edgarus, qui ſolemni edicto ſuum Regnum Scotiæ nomine deinceps appellari præcepit, teſte Genebrardo ad annum 1150. edit. Pariſ. Ita tamen vt Hibernia idem nomen retineret commune cum Albania, & illa diceretur Scotia maior, vt teſtantur Serrarius, Gretzerus, Raderus in Bauaria Sancta, cuius rei celebre dat teſtimonium S. Bonauentura Doctor Seraphicus in Comitijs generalibus Narbonenſibus anno 1260. vbi enumerans Ordinis noſtri Prouincias, ſic ait *vigeſima ſexta* Prouincia Hiberniæ, ſiuè Scotiæ, habet Cuſtodias quinque. Primam Dublinenſem, ſecundam Caſſellenſem, tertiam Corcagienſem, quartam Enatenſem ſeù Enaghenſem, quintam Pontanenſem. Ita habet Vadingus noſter tomo 2. ad ſupradictum annum.

Ex his Lectores faciliùs intelligent quoties vel in annalibus Eccleſiaſticis, vel ſacris monumentis incident

in

in vitam vel nomen alicuius præclari, vel Sancti viri velut in Scotia nati, vel è Scotia egressi vel ibidem educati, cui regioni, vel genti ea laus debeat attribui.

CAPVT II.

Generalis Hiberniæ descriptio & encomia, ex varijs authoribus.

VEnerabilis Beda tomo 3. libro 1. Ecclesiasticæ Historiæ gentis Anglorum cap. 1. *sic habet, est autem Hibernia omnium post Britanniam maxima, ad Occidentem quidem Britanniæ sita: sed sicut contra Aquilonem ea breuior, ita in meridiem se transillius fines plurimum protendens, vsque contra Hispaniæ Septentrionalia quamuis magno æquore inter iacente peruenit & infra*

Hibernia autem & latitudine sui status & salubritate, ac serenitate aerum multum Brittanniæ præstat, ita vt raro ibi nix plusquam triduana remaneat, nemo propter Hyemem aut fenasecet Æstate, aut stabula fabricet iumentis, nullum ibi reptile videri soleat, nullus viuere serpens valeat, nam sæpè illo ex Britannia allati serpentes, mox vt proximante terris nauigio odore aeris illius attacti fuerint, intereant; quin potiùs omnia pene quæ de eadem Insula sunt contra venenum valent. Mira temperies.

Denique vidimus quibusdam à serpente percussis, rasa folia codicum qui de Hibernia fuerunt deportati, & ipsam rasuram aquæ immissam ac potui datam, talibus protinus totam veneni grassantis, totum inflati corporis absumpsisse ac sedasse tumorem. Hibernia caret venenatis.

Diues lactis & mellis Insula, nec vinearum expers, piscium volucrumque, sed & Ceruorum venatu insignis, & in vitæ S. Columbani cap. 1. Hibernia Insula quæ est in extremo Oceano sita & spectat Titanis Occasum, dum vertitur

tur Orbis, & lux occiduas Ponti deſcendit in vmbras, vndè denuo peracto curſu noctis irradiat totum rediuiuo lumine Mundum : Inſulæ huius vt fertur ſitus eſt amœnus ac aduerſantium exterorum carens bello nationum, hanc & Scotorum gens incolit, gens quanquam abſque reliquarum gentium legibus, tamen in Chriſtiani vigoris dogmate florens omnium vicinarum gentium fidem præpollet. Bedæ deſcriptionem de verbo ad verbum repetit Henricus Huntingdonienſis Hiſtoriarum lib. 1. Dauiſius de ſtatu Hiberniæ, ad Iacobum primum, & cum ipſo Atlas tertia parte; Luſtraui (inquit) omnes illius Regni Prouincias, & obſeruaui bonam temperiem aeris, fertilitatem ſoli, amœnas & comodas ad habitandum ſedis, amplos ſecuroſque portus, commercio ad omnes occidui orbis partes aperto nauigabiles fluuios, piſcoſos lacus, patentes nauibus ſinus intra prædictum Regnum, qualia nullibi in Europa videre licet, ibi ingens volucrum piſciumque *copia*, addit Athlas, *Apum*, ibi tanta multitudo vt non ſolùm in Aluearijs, ſed in arborum truncis & terræ cauernis reperiantur, nullus hic anguis, nec venenatum quidquam, vt vno verbo dicam ſiuè terræ fœcunditatem, ſiuè maris, & portuum opportunitatem, ſiuè incolas reſpicias qui bellicoſi ſunt, ingenioſi, corporum lineamentis conſpicui, mirifica carnis mollitie, & propter maſculorum tenericudinem agilitate incredibili, à multis dotibus ita fœlix eſt Inſula, vt non malè dixerit Giraldus, *naturam hoc Zephiri Regnum benignore oculo reſpexiſſe*. Alia verò eiuſdem *Giraldi verba* paulò ſuperiùs recenſet. *Terra*, inquit, *Cambrenſis*, *terrarum temperatiſſima, nec Cancri calor exæſtuans compellit ad vmbras, non ad focos Capricorni rigor inuitat, aeris amœnitate temperiequè*, tempora ferè cuncta tepeſcunt, hæc Giraldus apud Athlantem.

Hibernorū indoles, & compoſitio.

Subiungit autem Dauiſius in fine ſuæ relationis: Ità vt deſcriptio Terræ Sanctæ Deuteronomij 8. *applicari*

ri possit Hiberniæ, vt sit terra bona, terra Riuorum, aquarumque & fontium, ex cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyssi, terra frumenti & hordei, terra lactis & mellis, vbi absque vlla penuria comedes panem tuum & rerum abundantia perfrueris. Munsterus lib. 2. agens de Hibernia. Cœlum, inquit, ibi mirè temperatum solùm notabiliter fertile. Hibernia Palestinæ comparata.

Carolus Stephanus in lexico verbo *Hibernia. Hibernia* gleba prepingui, vberique frugum prouentu terra est fœlix, pecore montes, nemora feris abundant ... Insula melle & lacte diues fluminibus egregijs scinditur & rigatur ...... lacus quoque plurimos hæc terra habet: Falcones, accipitres & nisos, præ alijs regionibus copiosè producit, cum Aquilarum variarumque omnigenum auium numero, ferarum quoque cunctas ferè species continet, venenosis omnibus caret. Terræ motus hic nunquam. Eius fecunditas. Ibi nunquā terræ motus.

Richardus Stanihurstus in præfatione ad suos libros de Rebus Hibernicis, cum præmisisset tam paucos de Hibernia, & illos ipsos tam sinistre scripsisse, subiungit; neque huiuscè rei culpa, inquit, in florentissimam Insulam est conferenda cum qua quidem Cœli salubritate, agrorum fertilitate, vbertate frugum amœnitate fontium, opportunitate fluminum, portuosis stationibus, siluarum proceritate, ditissimis mettallorum venis, pastionis magnitudine, armentorum gregibus, conferre paucas, anteferre nullas regiones valeas, quod si in huius Insulæ incolas oculos inferre velis, illi quidem corporis commoditate, ingenij acumine, cæterisque animi ornamentis, vsquè eo præstant vt nihil eis aut à natura non oblatum, aut ab industria recusatum *videatur*. Hæc Stanihurstus oculatus Patriæ harumque qualitatum testis. Incolarum indoles.

Ioannes Brompton in Chronico, *Hibernia Insula post Brittanniam maxima ... omnes Orientales pompas*

in lignis, herbis, gemmis, vestibus, huius terræ salubritas, & veneni carentia compensant.

Author inscriptus de præsenti Hiberniæ statu Londini impressus anno 1673. pag. 93.

QVatuor Prouinciæ componunt vnum Hiberniæ Regnum pro sua quantitate æquè amœnum, pulchrum, iucundum ac vlla ferè in terris regio, egregijs piscosisque fluminibus refertum, Insulis & lacubus, velut fretis intermixtum, siluis & arboribus, ad ædificiorum nauiumquè fabricas coronatum, quæ omnia, si alicui principi ijs vti volenti suppeterent, breui totius maris & multarum regionum dominium assequeretur. Habet præterea Hibernia munitas arces, præclaros Portus, insignes commoditates vsque adeò vt videantur allicere vicinos ad commercium.

Solum admodum fertile, & ferax granorum, & fructuum, Cœlum temperatum, mite, versus Occidentem tamen nonnihil humidius. Nihil ferè differt ab Anglia, quo ad res omnes prouictu, vestitu, delicijs, commodo, aut lucro, necessarias, licet aer ibi sit ad maturandos fructus aliquantulùm tardior, telluri tamen gratissimus, Hyeme ventis quam niuibus, vel gelu obnoxior . . . . . . Hæc Author ille.

Author Gallus sub his litteris D. T. V. Y. Geneuæ Impressus anno 1665.

HIbernia, inquit, hic Author fruitur suaui temperatoque aere ad humiditatem tamen propendente, terra ibidem est adeò fertilis, vt nonnullis annis ad exteras terras frumenta transmittat, habet amœnas viridesque planities, montes pecoribus & armentis, viridaria, arboreta, leporaria . . . . ceruis alijsque feris referta.

Habet

Habet etiam herinaces, falcones, accipitres, aquilas, grues, olores, perdices, fesanos, apes. Hiberni sunt robusti, agiles, magnanimi, animosi, algoris, famis & angustiarum patientissimi, ad amorem propensi, in exteros humani, liberales, gloriæ cupidi, iniuriarum impatientes. Hæc ille . . . subiungo hic Philippi Osulleuani Hiberni narrationem. Genium Hibernorum.

De Hiberniæ salubritate, fertilitate, & amœnitate.

Salubritas.

EST illa quidem mirificè temperata, nec Æstate Leonis æstu homines in latebras fugante, nec Hyeme aquarij algore ad focos cogente, Æstate auræ placido spiritu permulcente nihil adusta: Hyeme propter Cœli solique teporem, & aeris crassitudinem vehementia frigoris minimè infesta, semper adeo salubris, vt ibi sint minus ægri quam alibi, & Medicorum ars, & industria non tam necessaria.

Fertilitas.

Est Gleba fertilis, arua frumenti vario genere, præsertim tritici affluenter feracia, montes atque saltus longè pabulosissimi pecore armentoque abundant, siluæ feris complentur. Fretum circumiacens piscibus scatens Hispanos, Gallos, Belgas Piscatores accit. Fluuiatilibus piscibus exuberant flumina. Conchilium multa genera sunt. Auium vis ingens, apum longa examina, & indè mellis & ceræ affluentia. A leporum & cuniculorum incursibus virentes frugum gladioli multis in locis non sine molestia defenduntur. Ceruorum conferti greges. Hic equi pernices, robore & animositate præliando, &

onera portando sunt aptissimi, accipitres præter cæteros optimi, molossi vel venatorij canes, viribus, velocitate, odio in feras, fide in dominos; corporum elegantia longè maximè insignes. Argenti, ferri, plumbi, æris, stanni, argenti viui, metalla effodiuntur aurique venas latere, & gemmas inueniri, multi suspicantur. Portubus tutissimis atque spatiosissimis Insula vndiquè ambitur.

Amœnitas.

Hic diffusæ & apertissimæ planicies sternuntur, lacubus nauigabilibus medijs nascentibus: fluuijs pellucidis atque piscosis rigantibus. Hic nemora & siluæ frequentes quidem, densissimæ & impeditæ, sed tamen cæduæ & fructiferæ occurrunt. Pingues colles sese leniter tollunt, nec tamen desunt montes ardui, & asperrimi sed herbidi, & in quorum verticibus non modo liquidi fontes, sed etiam paludes interdum sunt, flumina modo per planicies modo intra nemora tranquillo cursu dilata ad capiendum salmones, truttas, anguillas, & id generis pisces accolas inuitant nec minùs aucupium, & venatio delectat. Celeberrima flumina sunt Sinninus, Boinus, Bannus, Siurus, Feorus, Bearuus, Ennius, duo nomine Magna, Ernius, Moeus, Liffus, Lacus, diffusores aqua suaues sunt, Nenachus, Dezgertus, Ernius, Lenus.

Ex his facilè refelluntur eorum calumniæ, qui vel liuore moti, vel ignorantia ducti, siue de tam insigni regione, siue de Incolarum indole perperam scripsere.

CAP.

CAP. III.

Hiberniæ descriptio specialis siue quantitas, qualitas, latitudo, fines.

IN Virgiuio Mari quod non à vergendo, vt aliqui existimant, deducitur sed à *Morvveridh*, sic enim à Britannis vocatur, vel à *Farrighi*, quo nomine vtuntur Hiberni: Britanniæ latus occiduum claudit Hibernia, quæ inter omnes Orbis terrarum Insulas tertium sibi locum olim vendicauit, vt vetustus quidam Geographus de Iusulis scribit, inter Insulas magnitudine & celebritate primas fert *Taprobane Indica*, post eas *Britannia*, tertia est altera Britannorum, Insula Hibernia, à Ptlomeo Britannia parua dicta.

Ab ortu Angliam turbido mari disiunctam habet, quod Hibernicum vocatur, ab Austro vergiuio partim Galliarum partim Biscaye Hispanæ Prouinciæ fines attingente; ab occasu immenso Oceano Occidentali ad Septentrionales Americæ oras excurrente, à Septentrione Deucaledonio, inter Hiberniam, Scotiamque Albanensem interiecto alluitur.

Formam Hiberniæ lenticularem nonnulli, quadratam alij statuunt, qui recentius de illa sctipserunt.

De Hiberniæ quantitate præter illa quæ supra R P. Eschinardus obseruat, sequentia ex Suilliuano addere placuit, qui in sua Historia Cap. 4. reiecto Cambrensis & Stanihursti, sententia de Hiberniæ magnitudine ait se consuluisse homines peritissimos vtriusq; regionis nempè Angliæ & Hiberniæ de prædicta quantitate, & asserit Hiberniæ longitudinem quinquaginta mill. pass. excedere, latitudinem ad ducenta sexaginta mill. extendi. Sententiam suam confirmat ex Iulio Agricola, cuius opinionem (inquit) memoriæ prodidit Plinius secundus libro 4. naturalis Historiæ Cap. 16. bona tamen venia Suilli-

uani

tiani non fuit Agricola, sed Marcus Vipsanius Agrippa Augusti Cæsaris amicus & gener, Templi, (Romæ Pantheon dicti) fundator, cuius meminit Plinius præfato loco, *Agrippa*, inquit, *longitudinem* (Britanniæ) *octengentis millibus pass. esse, latitudinem trecentis millibus pass.* credit; eamdem Hiberniæ latitudinem, sèd longitudinem ducentis mill. pass. minorem: & lib. 3. cap. 2. Agrippa descripsit Orbem Terrarum, *quo in opere*, inquit, *quis eum errasse credat?* si igitur verùm dicit Agrippa Hibernia est multo longior latiorque quam aliqui Scriptores hactenus affirmarunt, longitudinem Hiberniæ desumit *Suillivanus*, ab Insula Bea in Comitatu de Kiery in mare versus Hispaniam maximè porrecta, vel à carrino promontorio, eamque terminat in Vltonia ad *Clech Stoccanum* promontorium, è regione Scotiæ Albiensis, quam à prædicta Hiberniæ parte, angustum fretum dirimit, quod trium vel quatuor horarum spatio transitur, idque facilè ob reciprocum refluxum, quo bis in viginti quatuor horis ab Oriente in Occidentem, & è conuerso æstuat; Hiberniæ latitudinem sumit idem Author à Binedino promontorio vulgo *Hoath* septem mill. *Dublinio*, versus *Droghedam*, distante; eamque finit in Insula *Vaccæ albæ*, vulgo *Insibo finni*, in conacia. Hactenus ex Suilliuano. Hibernia Regio equidem est satis imbribus obnoxia, ex quibus tamen Incolæ non multum detrimenti capiunt, ita pabulosa vt pecora ibidem nisi à pascuis interdum arceantur, ad periculum agat satietas, carere venenosis capite præcedenti vidimus, quod S. Patritio nonnulli attribuunt, quem cunctis pestiferis animantibus Insulam purgasse credunt: alij probabilius existimant eam ab initio venenatis caruisse, quia etiam venenosa aliundè allata statim moriuntur, & toxicum aduectum vltrà medios fluctus versus Hiberniam, vim suæ malignitatis amittit.

Abundat Hibernia Salmonibus cæterisque marinis piscibus, ostreis, conchilijsque, in fluminibus, & medi-

terra-

terraneis lacubus præter varia piſcium genera, truttæ aureis maculis inſigniti reperiuntur, *Truchos* vocant Hiſpani, *Trottam* Itali, Siculique, ſaporis iucundiſſimi optimi nutrimenti, ſiluis, nemoribus, Hortis arboribuſque ſingulares ferentibus fructus, diues eſt, in quibus nuces, corylos, ceraſos, prunos, piros, mala diuerſi generis gratique ſaporis inuenias.

Aquilis, gruibus, pauonibus, coturnicibus, niſo, falcone, accipitre generoſo, volatilibus, Ceruis feriſque cibarijs nulli forte regioni ſecunda. Habet & aues Bernaces dictas, quas de lignis abietinis quaſi contra naturam natura producit, refert Brompton in ea gigni lapidem ſaxogenum, gagetem, margaritas candidas.

Certè ex capite præcedenti liquet Hiberniam eximia clementia Cœli, ſoli vbertate, copia fluminium aquarumque perennium dotari, ad hæc vel imprimis iucundo ſpectaculo ſiluoſi montes varideſque colles ad effigiem theatralem inflexi, amenas planities in caueæ formam includunt: præclare felix, luculenter beata regio, multis magniſque fluminibus irrigari ſic aquis recreari, ſolita, frugum animaliumque non benigna ſolum mater, ſed & nutrix ſollicita.

Pecorum ibidem proindè Camdeno teſte, infinita multitudo, ouium greges plurimi, equi item optimi, (Hobbies vocantur) quibus non idem qui cæteris in curſu gradus, ſed mollis alterno crurum explicatu glomeratio, Canes venatici eximij: his ſubiungo nonnullos ex verſibus Hadrianij Iunij de Hibernia loquentes.

Illa Ego ſum Graijs olim glacialis Ierne (*error*)
Dicta & Iaſoniæ puppis benè cognita nautis & poſt
En ego cum regni Sceptro Mauortia bello
Pectora.
Dedico, piſcoſos Lacus, volucrumque paludes
Omnigenum luſtris fœtas, ſtannique fodinas,
Et puri argenti venas quas terra refoſſis
Viſceribus manes imos viſura recludit.

Ha-

Habet itaque Hibernia ſtanni, ferri, argenti fodinas, habetet venas marmoris, de cæteris Hiberniæ qualitatibus agemus Sect. ſequenti, de montibus promontorijs, fluminibus, portubus rectius in diuiſione Prouinciarum loquemur.

SECTIO II.

De Hiberniæ Diuiſione.

HIbernia olim erat Pentarchia in quinque diuiſa partes, *Lageniam, Momoniam, Conaciam*, *Vltoniam*, *Midiam*. Lagenia ortum reſpicit, occaſum Conacia, Momonia Meridiem, Vltonia Septentrionem: inter quas *Midia* in medio, quaſi omnium nobiliſſimum ſortitur locum: Nunc vero Lageniæ vnitur. Hibernia modo ex quatuor conflatur Prouincijs, nempè Lagenia, Momonia, Conacia, Vltonia, in quarum deſcriptione ordinem, quo Sol in ſuo curſu Hiberniam luſtrat, obſeruabo, à Lagenia in Oriente incepturus, indè ad Meridiem, Occaſum ac Septentrionem gradum faciam.

C A P. I.

Prouincia Lageniæ.

PRouincia hæc indigenis *Leignigh*, Britannis *Leni*, in antiquis ſanctorum vitis *Lagen*, Anglice *Leinſter*, Latine *Lagenia* dicta, ad ortum tota maritima eſt, Hibernico Mari adiacet Angliæque obiacet, Conaciam verſus, Sineo flumine ad Occaſum continetur, Septentrionale Latus, Louthenſi Territorio, Auſtrale Momonia definitur.

Cœlum illi purum, mitè temperatum, neque calore nimio vti nec frigore excedens, temporibus anni, & inſitò

ſitò continentis ingenio reſpondet. Fertilis & frugifera eſt terra, carnibus, piſcibus alijſque cibarijs diues frumento omnis generis pecore,paſcuis, altilibus venatu piſcibus ſatis felix, ſyluis probè veſtitur, fluuijs commode irrigatur.

Incolæ ipſius generoſi, animos genio loci dignos ſortiti, manſueti, natura mites, placidi, affabiles, ad cultum, & humanitatem facti, magnatibus, viris equeſtris ordinis, nobilibus frequens eſt Lagenia, nunc in duodecim diſtincta Comitatus, vt habet Iacobus Wareus de Hiberniæ antiquitatibus, qui ab eodem ità numerantur Dublinium, Louth, Midia, Weſtmidia, Longfordia, Kildaria, Comitatus Regis, Comitatus Reginæ, Caterlo, Kilkennia, Wexfordia & Wicklo. Author Anglus Londini anno 1673. impreſſus, ait, formam eius eſſe triangularem, & continere in circuitu circiter trecenta milliaria, plures habet munitas arces, vt idem Author numero 102.

Ciuitas Dublinienſis.

Ordior ab ipſa Ciuitate Dublinienſi. Dublinium igjtur, non Lageniæ ſolùm ſed totius hiberniæ princeps Ciuitas celebris quidem vrbs, & copioſa, vt ait Stanihurſtus multitudine Ciuium ad ducenta, vel vt alij trecenta circiter millia, numero, ſplendore & pulchritudine ædificiorum ſumptuoſa, magnificentia Architecturæ, nitida illa ciuica vitæ, & cultus munditia, reliquis omnibus longè plurimum anteſtare cognoſcitur. Hic dicæ hic iudicia cum vnus alteri litem intentat conſtituuntur, hic publica Regni Comitia; quæ vulgò Parliamentum dicuntur frequentius celebrantur. In hac vrbe Pro-Rex regnique procuratores, vt plurimum conſident.

Liffeus amnis illic præterlabitur, & vt audio nunc per medium auctæ Ciuitatis fluit, mare item propè eſt,

verum omnes crepidines, & præſertim Portus oſtium, tam ingentibus arenæ aggeribus obturatur, vt non abſque magno naufragij periculo maiores naues ad illa loca poſſint applicari, non longo interuallo diſtat à Ciuitate *Hothia* penè incincta mari, apud quam; vti & in territorio Malahidiæ receptacula inueniuntur, vt cumque portuoſa in quibus nauigia ſecurè ſatis fluctuare, & hærere poſſint. De locis Sacris huius vrbis infra agemus.

Denique vt Furneſius, ait, vrbs eſt ſitu amœniſſima concurrentibus mare & flumine, piſcibus carnibuſque opulenta, mercibus famoſa, planitie virente iucunda, glandiferis nemoribus ornata, ferarum luſtris circumuallata, commercijs & commeatibus noſtrarum æmula Londiniarum in quo gradu ſit Dublinium iam ſupra dictum eſt.

Comitatus Dublinienſis.

AB ortu mari Hibernico inter Angliam, & Hiberniam interpoſito totus alluitur, ab Occaſu, Comitatu Kildariæ, terminatur ab Auſtro tractibus O Toolorum & Bernorum, & quos glinnes dicunt, coniungitur, à Septentrione midiæ Orientalis Comitatu, & riuulo *Nanny* definitur, gleba ad fruges fertili, & quæ lætiſſima profundit pabula, omnium animantium genere, quæ vel domeſtica ſunt, vel venatu, & aucupio ad cibum capiuntur, abundans ſyluis plerumque ità nudus eſt Comitatus, vt ceſpite Bituminoſo vel foſſili ex Anglia carbone plerumque hactenus vteretur. Accuratior verò incolarum induſtria reperit eruitque prædicti carbonis quantitatem ex Comitatu *Caterlo*: Comitatus Dublinienſis, incolis & Oppidis eſt refertiſſimus, reliquiſque Hiberniȩ Prouincijs diuitè cultu ac peculiari nitore præcellit. In quinque Baronias diſtinctus ſcilicet *Rath-Doune*,

Neu-

Neu-Castle, *Castle-Knocle*, *Covvloc*, *Balrodry*, in sinum, seu portum Dublinensem-*Lissius* aquas suas inuehit nobilissimus huius Comitatus fluuius, varijsque flexibus è fonte suo effusus in Meridiem, Occasum, Septentrionem, demumque in Ortum conuersus per-*Castle Knoch*, & per-*Kilmainam*, quod fuit olim militum Sancti Ioannis transiens tandem propè Dublinium se in mare exonerat.

Comitatus Mediæ, seu Midiæ Orientalis.

Hunc Comitatum à Meridie Kildariensis ager, ab Ortu Dubliniensis, & mare, à Septentrione Loutensis, ab Occasu Comitatus Midię Occidentalis circumcingunt, totusque in decem Baronias diuiditur scilicet, *Duliche*, *Scrin*, *Slane*, *Margallen*, *Nauan*, *Kenles*, medietatem Baronię de *Foure* iuxta *Kenlis*, *Luyn*, *Moyfeuraraghe*, *Deese*, *Rathouth*, *&* *Donboyn*. *Boyn* à Ptolomeo *Buuinda*, alijs Boandus fluuius nobilissimus è Septentrionali latere Comitatus regij fontes aperiens Midiam interfluit, alluitque Oppida-*Atrumiæ*, & *Nauan*, vbi *Doffa*, alijs aqua nigra flumen se illi conjungit, indeque *Droghedam* Ponte Sublicio iunctam pergit, & duobus milliaribus nauigabilis in mare influit. Midiæ Baroniæ. Boandus Flu. Doffa Flu. Aqua nigra Flu.

Midia vt inquit Bartholomeus Anglicus quoad glebam fertilis in frumento, pascuis, & armentis abundans in piscibus, carnibus, & alijs victualibus, butiri, casei, lactis, fluminibus est irrigua, aspectum habet delectabilem, aerem salubrem, quoad syluas, & paludes in eius extremitatibus habet aditum valdè fortem, & ideò propter populi multitudinem, Castrorum, & Oppidorum fortitudinem camera vocatur Hiberniæ vulgariter propter pacem.

Et vt obseruat quidam Anonymus author tempore Elizabethæ Reginæ in Hibernia versatus cuius manu- Midiæ fertilitas.

ſcriptum vidi hic Romæ, *Media* quoad amænitatem, & pulchritudinem nulli cuiuſuis regionis, ſiue in Hiſpania; ſiue in Gallia, ſiue in Italia tractui ſecunda, vix vllum percurras milliare quin, vel Oppidum, vel Pagum, vel Caſtrum inuenias, terra eſt aſpectu iucunda partim in planitiem explatiās, partim in colles clementer aſſurgens fælix præ pinguibus aruis, riguo ſolo ſemperque vernanti credita ſemina multiplici reddit fœnore, nemoribus, hortis, pratis ſpecioſa, in ea frequens nobilium virorum illuſtrium, Comitum, Vice-Comitum, Baronum, Equitum Auratorum copia, itaut prædictus author numerarit mille quingentos viros primarios, & nobiles ſecundi ordinis totidem.

Incolæ Nobiles.

Celebriora Mediæ Oppida ſunt, *Trimmia*, *Nauan Kenliſa*, *Fouria*, *Nobber*, *Aræbracan* Sedes Epiſcopalis *Scrinia*, *Slania* Baronum Slanienſium Sedes, *Pontana*, ſiue *Drogheda*, cis pontem Duleycheia, Rathouth præter alia non contemnenda Caſtella, Pagos, Villas, ſedeſque nobilium copioſo numero.

Celebriora loca.

Nec eſt prætereunda *Temoria* in eminentem collem aſſurgens amæniſſima, viridiſſimaque Monarcharum Hiberniæ vetuſtiſſima Sedes nunc deſerta: hinc Boandum flumen verſus quatuor milliaribus diſtat, natale ſolū meum vulgo *King-ſtoun*, ſiue *Villa Regis*, hæreditaria olim parentum, ac maiorum meorum cum alijs adiacentibus fundis poſſeſſio, quod ſine vanitate mihi dixiſſe liceat, & hanc breuem Patriæ meæ feciſſe memoriam.

Comitatus Midiæ Occidentalis.

Midia occidentalis orientali non impar.

Comitatus hic altera Midiæ pars ab Oriente Midiam orientalem reſpicit, ab Occidente Conaciam, ab Auſtro Regium in Lagenia Comitatum, ab Arcto Longofordienſem, quæ nec Soli fertilitate, aut amænitate, nec incolarum multitudine, nec vitæ cultu, nec in alio

orien-

orientali quidquam concedit duodecim centurias, ſiuè Baronias in hoc Comitatu Camdenus enumerat, nobiliora Oppida ſunt *Athlonia*, quam inſignis ille fluuius *Sineus* interfluit, *Molingaria*, mons Fernandi, & alia plura.

Media vtraque ſuos habuit Reges, ſed Slanius Hiberniæ Monarcha, vt habet traditio ad menſam Regiam inſtruendam eius prouentus aſſignari iuſſit.

Comitatus Louthenſis ſiue Louth.

Pedem referre cogor ad Septentrionalem Midiæ Orientalis partem cui adiacet Loutenſis Comitatus in antiquis libris, *Lua*, & *Luda* Hibernice, *Iriel*, ſiue *Vriel*, vltrà Midiam, & *Boin*, ſiue *Boan* fluuij oſtium mare hibernico obuerſus ſatis flexuoſo littore in Septentrionem procurrit, ſolo pabuloſo, & adeò fertili, vt agricolarum laboribus, abunde reſpondeat: iuxtà præfatum Boini oſtium ſedet *Drogheda*, ſiue Pontana, Anglice *Tredaih*, elegans ſanè abundans, frequenſque Oppidum, à Ponte Sũblicio nuncupatũ, & Boando interfluo diuiſum, habet ius mercatus, & nundinas, multas idem magnaſque libertates, & inter alia officinam monetariam Portumque nauigationi commodum. Hinc vicinum eſt Monaſterium *Mellifons* tempore Sancti Bernardi Monachis Ciſtercienſibus, à Donaldo Rege Vriel fundatum, alterum huius Comitatus Oppidum eſt *Ardith* ſeptem milliaribus Pontana diſſitum propè extat *Dundalk* portu commodo, & mœnibus validum, octauo hinc milliario abeſt *Carling-ford* portus etiam celebris, in medio ferè Comitatus iacet Oppidum *Lout*, vndè Vice-Comites *PlunKetti* titulum ſortiuntur, Incolæ huius diſtrictus ſunt exculti, vrbani, ciuiles, liberales.

Louthia.

Eius fertilitas Drogheda.

Ardeht

Dundalk

Carlingford

Comi-

Comitatus de Longford.

Midiæ Occidentali, vt habet Camdenus ad septentriones iungitur Comitatus *Longford*, quem præter labitur *Sineus* flumen illud totius Hiberniæ nobilissimum, quod inter Midiam, & *Conaciam* interfluit. Ptolomeo *Senus* Orosio *Sena*, & nonnullis exemplaribus *Secana* Giraldo flumen *Senense Accolis Shannon* dicitur, idest, vt quibusdam placet *flumen antiquum*, è Therne montibus in agros modo se in stagna effundit, modo in angustias se coarctat iterùm se diffundens, iterumque intra margines se colligens à spatioso lacu *Lough Reigh*, dicto, excipitur, vbi verò lacum hunc præteruectus angustiore alueo intra ripas se resorbet *Athlonia*, de qua supra illi insidet, indè verò superata ad Killaloe catharacta maximarum Nauium capax deducto alueo Limericum Vrbem amplectitur, hinc per sexaginta circiter milliaria prædictus *Sineus*, rectus, grandis, insulis intermixtus in Oceanum properat, & vbicunque reciprocante æstu est vndosus, præsidiariæ turres ad cohibendos prædonum excursus dispositæ sunt, demumque in Oceanum euoluitur. Sua etiam Comitatui de Longford est amænitas, Cœli temperies, Soli fæcunditas, aquarum, nemorumque comoditas, Castella, Villæ, Oppida non infimæ notæ.

Longford.

Sineus Flu.

Comitatus Regis.

Australe Midiæ Occidentalis latus claudit regio, quę proximè contermina ad Boream *Birgo* interlabente diuisa, & quondam *Offalia* dicta in honorem Philippi Hispaniarum Regis, Mariæ Reginæ mariti *Regis Comitatus*, appellatur, cuius primarium Oppidum est *Philipstoune*, vbi Seneschallus cum præsidio moratur, Ager huius

Comi-

Comitatus eſt fertilis, amænus, ſiluis, nemoribuſque obſitus riuis, & fontibus irriguus, Villis, Oppidis turritis, & elegantibus ædificijs ornatus.

Comitatus Reginæ.

Regio hæc *Leaſe* Hibernice à Maria æternæ memoriæ Regina in Comitatum fuit inſtituta, curante Thoma Ratcliff Suſexiæ Comite tunc Pro-Rege, cuius primarium Oppidum nuncupatur *Maryburg*, vbi cum ſuo Seneſcallo hærent præſidiarij milites, huius Comitatus ager eſt vberrimus, temperie ſalubris amænitate ſpectabilis, incolarum induſtria benè cultus, *Barouu* fluuio irriguus.

Comitatus de Kilkennij.

Comitatus hic à Septentrione, Reginæ Comitatu, de quo iam ſuprà à *Circio Oſſoria* ſuperiore, ab Occaſu *Tiperarienſi*, ab Auſtro *VVaterfordienſi*, ab Ortu *VVexfordienſi*, *& Caterlogenſi* definitur: ſolum hic Villis, Oppidis, & Caſtellis vndique ſpectatiſſimum, ac rerum omnium copia præcellens, *è Bladinæ* montibus, Hibernice, *Sleieu Bloemy*, iuxta Oſſeriam quaſi maternis viſceribus, *Suirus*, *Neorus*, *& Birgus* fluuij ſcaturiunt, & diuiſis alueijs decurrentes priuſquam Oceanum adeant infra *VVaterfordiam* concordibus ſe conſociant aquis, vndè tres *Sorores* antiquitus dictæ. *Neorus* vulgo *Neure* Comitatum Kilkennienſem quaſi medium interſecat, & prono curſu per ſuperiorem Oſſeriam delatus multa hinc inde propugnacula alluens Kilkenniam, ſiue Fanum Canneci præter fluit, municipium eſt nitidum, elegans, copioſum, & inter mediterranea Regni facile primum mœnibus & Caſtro firmatum, inferius ad Neorum ſedet Oppidum munitum dictum Oppidum Sti Antho-

Suirus Neorus, Birgus Kilkenia.

nij

nij Hibernice *Balmac-Andan* Anglice Thomas Toune: ſub hoc *Callan* fluuius in *Neorum* ſuas vndas effundit.

Comitatus VVexfordienſis, ſiue de VVexford.

Prope illud oſtium, quo *Birgus*, *Neorus*, & *Suilus* ſeſe complexi in Oceanum vnitis aquis confluunt ſe exhibet ad Ortum in promontorio, quo littus circum agitur Comitatus *VVexford* cuius caput VVexfordia Vrbs portus maritimus, mercatura, Ciuiumque opulentia celebris, in hoc Comitatu ad *Birgum* fluuium Roſſa Vrbs ampla olim floruit mercimonijs, & incolis frequẽs, mœnibus magno ambitu armata, amplo, & nauigabili portu diues, magis ad Ortum, præſidiarium Caſtrum, *Duncanon* vocatum flumini ità inſidet, vt naues ne *VVaterfordiam*, vel Roſſam adeant imperet, inde ad ipſum fluminis oſtium ceruix excurrit anguſta, quæ editam turrim nauigantibus prætendit, quo tutius oſtia ſubeant, parum hinc abeſt ſinuoſo in littore *Tintern*, vbi celebre quondam Monaſterium conſtruxit Guillelmus Mareſcallus Comes Penbrochiæ, & de voto nuncupauit, quod voto de eo ædificando naufragium euaſerit, hoc ipſum promontorium ſacrum vocat Ptlomeus, & extremum illius Oppidum incolæ Beanha, quod Sacrum ſonat lingua patria vocarunt, ab hoc ſacro promontorio littus in Ortum obuerſum ad Septentrionem longo tractu procurrit, cui vadoſa obiacent in mari loca, nauigantibus inſidioſa, quæ nautæ *Thegrounds* vocant, flumen *Slane*, quod medium quaſi Comitatum interſecat ad Vrbem *VVexfordiam* in mare ſe effundit, de quo cecinit quidam.

Duncanon.

Eniſcorſim Slane Flu.

Ditat Eniſcorſum Flnmen, quod Slana vocatur
Hunc cernit VVexford ſe ſociare ſibi.

Eniſcorſi municipium eidem flumini impendet, & interius

quam Giraldini olim Castro munierunt. Frugifera est hæc Regio, colonorum labore exculta, cuius incolæ diuerso ab alijs Hiberniæ populis vtuntur idiomatè quod Saxonicum vel vetustum Anglicum sonat.

Comitatus de Caterlogh.

Comitatus hic contracte *Carlagh*, ad Orientem solem Kilkenniensi Comitatui adiacet totus ferè inter *Birgum*, siue *Barrou* & *Slane* fluuios intersitus, vberè gleba fœcundus, syluis opacus, duo in eo sunt clarioris notę Oppida vtrumque ad Occiduum *Birgi* fluminis ripam, *Caterlogh* mœnibus cinctum & Castello munitum, & *Lechlin* Latine Lechlinia Sedes Episcopalis, vtrumque suum habet præsidium suosque Constabularios. Huius Comitatus pars maxima iure hæreditario ad Howardos Norfolcæ duces olim spectauit, qui à filia Guillelmi Marescalli Comitis Penbrochiæ, natu maxima per VVarenniæ Comites genus traxerunt, sed Henricus Octauus Caluo allegato prætextu eum tractum sibi arripuit.

Caterlagh. Lechlinia.

Hinc *Birgus*, siue *Barrou*, Baroniam *Idron* interfluit ad *Slaniam* fluuium *Tullo*, cernitur, Baronum Butlerorum titulus.

Comitatus de VVicklo.

Caterlagh adnectitur hic Comitatus ab Oppido aliàs *Kilmantan*, VVicklo dictus, vbi portui angusto imminet rupes firmis mœnibus inclusa, cui suus præest Constabularius. Prædictus portus iacet eo latere Hiberniæ, quo propius VVallias respicit, qui in generali maris refluxu vndas recipit influentes, in reditu verò fluctuum quas recipit emittit, cumque iam sinum elapsis vndis refluum mare deserit, per omnem anfractum salsedinem

Castrum nouum.

fluuius influens retinet. Ita Giraldus, *Nevv-Castle* siue *Castrum-Nouum*, inde è colle mare prospicit videtque, puluinos arenarios quos supra diximus *The-grounds*, indigitari longo tractu prætensos, qua *Bray* fluuiolus paulò superiùs mare subit, Villa *Oldcourt* dicta cernitur: proximum huic est *Povverscourt* siue Poeriorum amplum Castellum. A *Bray* ostio littus vt sinum admittit, se inflectit, & adipsum cubiti flexum, Insula S. Benedicti quæ ad Archiepiscopatum Dubliniensem spectat, obiacet. Regio hæc dorso satis nemoroso aliquibus in locis exurgit, cui vallis *Glinnes* appellatæ subsident cauæ, & arboribus opacæ. *Glandalagh* in hoc Comitatu est Sedes Episcopalis, Archiepiscopatui Dubliniensi adiuncta. Habet hæc Regio Cœli Solique commoda, agros frugibus, armentis pecoribusque alendis aptos.

Bray.

Comitatus de Kildar.

Circulum Lageniæ à Dubliniensi Comitatu, per alios in gyro deductum hic termino! Agrumque habet lætissimum Dubliniensi Comitatui ad iacentem, de cuius pascuis illud Virgilij Cambrensis vsurpat.

Kildariensis agri felicitas.

Et quantum longis carpunt armenta diebus
Exigua tantum gelidus ros nocte reponit.

Kildaria.

Kildaria Ciuitas, Episcopalis Sedes, Comitatui est caput, cui honori erat in primis Ecclesiæ Hiberniæ incunabulis Brigida virgo sanctitate virginitate, & miraculis venerabilis, Sancti Patricij discipula per Hiberniam, Angliam, Scotiam nominatissima, cuius prodigia, & ignem tot centenis annis in extinctum, tamquam in vestæ adytis penetralibus à virginibus sacris asseruatum cinere nunquam excrescente Authores commemorarunt.

Sunt in hoc Comitatu melioris notæ Oppida, *Naas*

Op-

Oppidum mercatorium, *Athia* ad *Birgum* fluuium, *Manioth* Castrum Comitum Kildariensium, *Castle-Martin*, *Clane*, *Castle-Dermot*, *Kilca*, præter Castella, pagos, Villasque complures. Hæc de Lagenia ex probatioribus quos inuenire potui Authoribus.

CAP. II.

Prouincia Momoniæ.

MOmonia Lageniæ proxima ab illa *Neorio* flumine disiuncta *Vergiuio* mari ad Austrum exponitur, à Conacia *Senneno* fluuio separata, diuiditur in Australem & Borealem, Australis à Corcagiensi Ciuitate, portu maritimo loco munito & ægrè expugnabili, ad confluxum trifluuiorum *Birgi*, scilicet *Neory* & *Suiry*, versus Ortum; Borealis verò à loco prope Corcagiam *Vulgo Bealach* Conglais Limiricum Vrbem protenditur. Prouincia hæc valdè est celebris, benigni fœcundique Soli, clementis Cœli, pelagi diuitijs copiosa, diuiditur in sex Comitatus qui sunt *VVaterfordia*, *Corcagia*, *Kerria*, *Limericum*, *Tipperaria* cui Crocea Tipperaria annexa, & *Clare*, olim *Tuomonia*. Author inscriptus de præsenti statu Hiberniæ numerat in hac Prouincia arces munitas sexaginta, aitque circumferentiam eius complecti quadringenta & quadraginta milliaria. Momoniensis Cœli, soli que benignitas.

Comitatus VVaterfordiæ.

Comitatus VVaterfordiæ inter flumina *Broadvvater*, ab occasu, *Suirium* à plaga Orientali, ab Austro Oceanum, & Tipperariam, ad Septentrionem subsistit. Regio sua amœnitate, & fertilitate planè læta ad *Broodvvater*, vbi primum Corcagienses deserit. *Lismor* cernitur Episcopali Sede nobilis, cui olim præfuit Christianus Episcopus Broadvvater. Suirus.

Sancti Bernardi discipulus, & Eugenij Tertij in Monastico instituto condiscipulus Hiberniæ legatus, de quo suo loco agemus. Propè Ostium fluminis *Broodvvater* est *Ardmor*, vicus cui territorium adiunctum *Dessee* nuncupatum: hinc propè abest *Dungar-Van-Castro* munitum, & fida statione carinis commodum.

VVaterfordia. Ad *Suiri* ripam iacet *VVaterfordia* appellata etiam *Menapia* prima, & præcipua huius Comitatus, Ciuitas Episcopali Sede conspicua, Hibernice, *Port-Largi*, Anglice *VVaterford*, inter celeberrimas totius Hiberniæ merito connumeranda, siue opes & præstantiam spectemus, siuè portus oportunitatem, Cœlo tamen est crassiusculo solo minus læto, & angustioribus conclusa vicis.

Comitatus Corcagiensis.

Corcagiensis Comitatus olim Regnum, omnem tractum maritimum à Ciuitate Lismorensi ad S. Brandanum complectitur, Desmoniamque ad Occasum spectat, habet in Mediterraneis *Muskeray*, siluestrem regionem, & ad oram maritimam *Carbray*, ad mare primum occurrit Rossa, statio & portus olim frequens iam obiecto puluino arenario, infrequens. (Rossa.)

Kinsale. Inde angusta ceruice procurrit Peninsula dicta *The-headof Kinsale*. Postea ad Banij fluminis ostium in solo fertili, & satis nemoroso est *Kinsale* portus percommodus & vetustis mœnibus munitum Oppidum, ad alteram Kinsaliæ ripam *Kerrivv-Herri*, iacet territorium olim Comitum *Desmoniæ Geraldinorum*, iuxta præterfluit fluuius *Daurona*, alijs *Sauronius* & *Sauerenus*, qui è Musqueriæ montibus profusus primariam Comitatus Vrbem Episcopali Sede insignem alluit, quæ *Corcagia* Latine, Anglice *Corcke*, Hibernice *Corcach* dicitur, mœnium ambitu quasi ouali conclusa, flumine circumfusa, (Corcagia.)

atque inter diuiſa, nec niſi per pontes peruia, & vna quaſi directa platea ponte iuncta protenſa. Emporium eſt frequens & celebre.

Sub Corcagienſi Ciuitate diuiſum flumen amplam, & per amœnam amplectitur Iuſulam & paulò inferius, *Sauarenus* iuxta Imo *Kelly* in Oceanum influit.

Et vt *Sauarenus* inferiorem prædictæ regionis partem irrigat ſic *Broadvvater*, olim *Auenmore* ideſt flumen magnum ſuperiorem perfundit, qua *Brodvvater* ſiue magnum flumen Corcagienſem & VVaterfordienſem Comitatum interfluit, in mare conditur portumque efficit. Yochelia. Extat *Ioghelia* non magna quidem, cincta muris, forma oblonga; Bifariam diuiſa, cuius Pars ſuperior & maior in Septentrionem protenſa habet Eccleſiam, & extra mœnia Monaſterium, *North-Abbay* vocatum, Pars inferior ad Auſtrum ſuum habuit Monaſterium Auſtrale dictum, portuſque comoditas, quæ ſuum habet cothonem munitum, ſiue locum quo naues applicant ad terram vſque Anglice *Kay*, & regionis vicinæ comoditas, mercatores ita inuitat, vt ſatis ſit frequens, & maiorem ſiuè prætorem pro ſummo Magiſtatu habeat, huc vſque pertingit Comitatus Corcagienſis, Deſmoniam etiam complectens.

Comitatus Kerry, ac Diſmoniæ.

Comitatus *Kerry* iuxta *Sinei* fluminis oſtium in mare, vt lingula procurrit fluctibus vtrinque infeſtantibus. Regio Auijs, & ſilueſtribus montibus edita, quibus crebræ interſunt valles cauæ aruis alibi diſtinctæ, alibi etiam nemoribus Condenſæ Comitis Palatini dignitatem, & iura Deſmoniæ Comites olim in hoc Comitatu habuere, in limine huius regionis territorium eſt, Clanmorijs à Mauritio è ſtirpe Raymundi *Craſſi*, medium fluuiolus Traly. *Dur-Trailey* Oppidum præterfluens, interſecat: iuxta iacet

cet *Ardfeart*, Sedes Episcopalis dicta *Ardfeartensis*, in extremo fere Promontorio hinc *Dingle*, portus commodus inde *Smervvick* (Contracte S. Marywick) statio cernitur. A *Dingle-Icouch*, quatuor milliaribus versus Occidentem distat Promontorium illud à cuius extrema parte in mare procurrente æde-*More-ni-Ghieran*, vulgo dicta sumitur initium longitudinis Iberniæ versus Austrum.

Dingle-Iconck.

Desmonia.

Kerry Comitatui adiacet Desmonia ad Austrum porrecta Hibernice *Desvvoun*, Anglice *Desmond* Æstuarijs diuisa, inter quæ præter *Kerry* tria in Affricum euagantur anfractuosis littoribus Promontoria *Hiervvonn* incolis, Occidua *Momonia* olim nuncupata primum inter sinum *Dingle*, & flumen *Mair* dicitur *Clancarh* habetque Castrum ad *Dunkeran* conditum. Secundum Promontorium inter *Maire* & *Bantrie*, sinus continetur solum *Bearhe* nomine, ieiuna plerumque glarea, & lapidiosa Macie ingratum.

Clan Chare.

Tertium *Eraugh* dicitur inter *Bantrie* & *Baltimore*, vbi copiosa halecum captura, sinus notissimus quo numerosa exterorum Classis ad piscandos Asellos ipso brumali Solstitio quotannis confluit. Hoc *Notium* siue Australe Promontorium vocat Ptlomeus, hodie *Missen-haed* dictum. Cæterum Desmoniæ nomen longe superioribus sæculis in hoc tractu patuit, à mari vsque ad *Shanon* siue *Sineum* fluuium quæ etiam Australis Momonia vocatur, in qua Giraldidæ siue Fits-Giraldes, amplissima habuere Latifundia.

Bearhe.

Beautrio.

Comitatus Claræ.

Aliter dicitur *Tuomon* siue *Tuomond*, alijque Tuet-

monia,

monia, Hibernice *Tovvoun*; id eſt *Septentrionalis Momonia* grandiori Promontorio. Et ſenſim renouato in mare porrigitur, ab Ortu vti ab Auſtro flexuoſo *Sinei* fluminis, quod ampliore grandeſcit Meatu, ab Occaſu, Oceano aperto ita concluſa, & Septentrione Galuiæ Comitatus attingens confinia, vt nullus terreſtri itinere, niſi per regionem Clanricard pateat acceſſus, regio eſt in qua nec à ſalo, nec à ſolo quidquam deſideres modo colonorum non deſit induſtria. *Clare* primarum Oppidum, Comitatui eſt caput, & inde hic tractus Clariæ Comitatus denominatur. Claria.

Celebrioris notæ, & nominis loca ſunt *Killefenneragh*, *Killaloe* ſiue Laonenſis Epiſcopalis Sedes, extat hic rupes in medio *Sinei* fluminis alueo, de qua aquæ magno cum ſtrepitu, deiectæ ruunt, ſuoque obiectu impedit quominus vlterius nauigia deferat, quę ſi exſcinderetur vel canalibus circumduceretur multo longius nauigijs in magnum accolarum commodum par eſſet. Killaloe. Haud procul à Sinei ripa ſedet *Bunratty*, cui olim ius mercatus & nundinarum conceſſum, inde ſeptimo milliario conſpicitur *Clare* de qua ſupra. Bunratti.

Comitatus Limiricenſis.

A maritimis Mommoniæ Comiattibus ad Mediterraneos tranſimus è quibus Limiricenſis, à tergo Corcagienſis regionis ad Septentrionem inter Kerry *Sineum* fluuium, & Tipperarienſem agrum obiacet, fertilis & frequens regio, ſed quæ pauciora habeat celebrioris notæ loca. Pars Occidentalior, *Conilagh* dicitur: in quo inter colles *Knock-Patrick*. Patritij collis eminentior aſſurgit, & amœno in mare proſpectu, & *Sineum* ſiue *Shanon*, fluuium Oceano vergiuio vaſto oſtio illabentem è longinquo proſpectat.

Limiricum huius Comitatus, Vrbs eſt primaria, Limiricum. quam

quam diuiſo alueo *Sineus* de quo ſæpius, circumfundit. Sedes eſt Epiſcopalis & emporium celeberrimum à Ioanne Rege Caſtello munitum. In ſuperiore Ciuitatis parte ſita eſt Cathedralis Eccleſia, vna cum Caſtro & Binæ. Patent portæ, quæ ſuos habent è ſaxo pulchros pontes cum propugnaculis & ponticulis verſatilibus, quorum alter in Occaſum ducit, alter in Ortum, cui vlterius adiacet Oppidum mœnibus ob vallatum, cum ſuo etiam Caſtro & Propyleo ſiue porticis.

Kill-mallo. In Auſtrali huius Comitatus parte eſt *Kill-mallo*, ſecundum à Limirico, & copia de frequentia mœniumque ambitu incluſum Oppidum, & *Adara*, alterum ſimiliter munitum.

Adara.

Comitatus Tipperarij.

Comitatus hic ad Occaſum *Limiricenſi* tractu & *Sineo* flumine, ad Ortum *Kilkenienſi*, ad Meridiem *Corcagienſi* & *VVaterfordienſi*, ad Boream territorio *Ocaroll* circumſcribitur. Pars Auſtralis glebæ fertilitate eximia, & annonæ copia abundat frequentibus conſita ædificijs, Occiduam partem *Glaſon* flumen longo curſu perfundit, à cuius ora parum abeſt *Emely* ſiue *Avvon* Sedes Epiſcopalis olim, vt aiunt *Vrbs* frequentiſſima, mediam interſecat, Swirus flumen nobile qui è Bladina monte profuſus, per Oſſeriam inferiorem, quæ Buthlerij Comitis Oſſeriæ titulum & *Thurlis*, qui illis Vice-Comitis honorem præbet. Primum Sanctę Crucis celeberrimum olim Monaſterium adit, ſuiſque gaudet immunitatibus, in honorem particulæ Crucis Dominicæ ibi aſſeruatæ, olim conceſſis, confluentibus illuc religionis ergo frequentibus populis.

Imloy.

Caſſelia. *Caſſeliam* inde *Svvirus* præterlabitur Archiepiſcopali dignitate, exornatam; defluit inde Inſulas ſubinde ſpargens, & circumfluit *Cahir* Caſtrum quod habet

Cahir.

è Buthle-

è Buthlerorum Familia Baronem : Hinc per *Clon-mell* Oppidum mercatu celebre, munitione tutum, & *Carrick-mac-griffin*, rupi affixam vnde & nomen inditum prolabens, Tipperarienſes deſerit, & inter VVaterfordienſem & Kilkenienſem Comitatum limitis vice fungitur. Clon-mell.

Borealis huius Comitatus diſtrictus macer, & ſterilis excelſis montium cacuminibus aſſurgit; hæc Latine *Ormondia* dicitur, Hibernice *Earvvoun*; ideſt frons Momoniæ, ſi Cambdeno credimus, vel potius Momonia Orientalis, adeoque *Earvvoum*, Anglice *Ormond*, cuius tota celebritas à Buthleris Comitibus Ormoniæ, hinc Comitatus hic Palatinus cenſetur, & hæc ad Inſtitutum noſtrum de Momonia.

CAP. III.

Prouincia Conaciæ.

PArs mihi tertia Hiberniæ, quæ Occaſum reſpicit *Sineo* flumine, & Oceano Occidentali incluſa, Conacia Latine, Hibernice *Conaghty*, Anglice *Conaught* dicitur. Ab Auſtro Hiſpaniæ Regno obuerſa, ad Ortum *Lageniæ*, ad Septentrionem *Vltoniæ* obiecta. Regio eſt vt alicubi læta & ferax, ita quibuſdam locis herbidis licet lacunoſa atque inde humidior; ſyluis item opacioribus, & crebrioribus condenſa, ora illius maritima, multis ſinubus, & nauigabilibus alueis peruia accolas, ad nauigationes inuitat, & prouocat. Continet ſequentes Comitatus, videlicet *Galuiæ*, *Mayo*, *Sligo*, *Roſcoman* & *Letrim*. Plures habet arces munitas. Circuitus illius ex prædicto Authore conſtat quadringentis milliaribus. Temperies.

Comitatus Galuiæ.

Galuiæ Comitatus ab Auſtro Clariæ eſt confinis, ab Occaſu Oceano, à Septentrione *Mayo* Comitatui, ab Ortu *Sineo* flumini conterminus. Terra quantumuis auido, ſi gnauus eſt, nata parere colono nec minus grata paſtori. Occiduum littus intercurſantibus Æſtuarijs, Inſulis virentibus, & aſperſis rupibus ſeriè quadam diſpoſitis prætexitur, inter quas Inſulæ quatuor *Aran* dictæ Baroniam conſtituunt ab indigenis, & accolis Inſulæ viuentium nuncupatæ *Inis-caeth*, Sancti Colmanni Monaſterio olim celebris *Inis-boſinne*, ſiue albæ vitulæ. Interius eſt lacus, *Corbes*, vbi *Auſoba* fluuius cernitur 20. plus minus mill. paſſ. longitudine 3. vel 4. latitudine fuſus nauigabilis, & trecentis Inſulis graminoſis & penniferis diſtinctus, qui vicino mari in anguſtias coarctatus,
Galuia. *Galuay* ſiue *Galuiam* ſubluit. Vrbs hæc eſt huius Prouinciæ facile prima, & nulli in Hibernia maritimo portui ſecunda, elegans & ſolido ſaxo forma fere orbiculari conſtructa, & quaſi turrita ſubiectæ ſtationis beneficio, mercatoribus frequens diuerſas opes terræ mariſque facili, & quæſtuoſo permiſcet commercio.

Knocktoe. Vix quatuor hinc miliaribus abeſt *Knoctoe*, ideſt collis ſecurium ad Ortum prope adeſt *Athenri* Oppidum magno mœnium ambitu circumdatum raris, tamen habitatoribus, Baronum *Bermingam* Sedes: *Clanricard*, ſiue *Terra Filiorum Ricardi* non procul inde extat, nomen ſumptum ex Richardo quodam ex familia *de Burgo*, in hac regione eſt Archiepiſcopatus Tuamenſis.

Comitatus Mayo.

Mayo Comitatus Occiduo Oceano pulſatus à Meridie Comitatu *Galuiæ*, ab Ortu *Roſcoman*, & *Sligo* ab Aqui-

Aquilone circumſcriptus iacet. Regio fertilis, & amæna, pecore, Damis, accipitribus, copia mellis abundans, nomine *Mayo* à Sede olim Epiſcopali deſumpto, incolis quam Oppidis frequentior eſt hic Comitatus, habet lacum dictum *Loghmeske* amplum, & piſcoſum in cuius inſulis ſunt propugnacula ſatis tuta ad familiam de Burgo ſpectantia.

Comitatus Sligo.

Proximus Mayo adiacet hic Comitatus benigna paſcendis gregibus fecunditate diues totus etiam pelago obuerſus, quem ad Boream *Rauius* fluuius ex Erno lacu emiſſus ab vltonia à vicinis Comitatibus, *Letrim*, & *Roſcoman*, *Curleu* montes difficiles ſeparant, *Succuſque* amnis inter diuidit, pręcipuus Comitatus locus eſt *Sligo*, vbi & Caſtrum, & portuoſa ſtatio nauibus opportuna.

Comitatus Letrim.

Comitatus hic à primario illius Oppido Letrim nuncupatus ad Ortum clauditur regione Breanij totuſq; montibus aſſurgit luxurioſe graminoſis, totque alit pecora, vt anguſto illo, quo clauditur ſpatio aliquando ſupra centum viginti millia pecorum numerarit. Sedem habuit olim Epiſcopalem *Aconrie* dictam, Sineuſque Princeps fluuiorum Hiberniæ hinc Originem ducit, qui nunc anguſtior, nunc diffuſior varijs flexibus multas regiones, vt hactenus vidimus interluit.

Comitatus Roſcoman.

Sub Comitatu Letrim ad meridiem ſubiacet *Roſcoman* anguſtiore; ſed longiore ſpatio Comitatus inter Succum fluuium ab Occaſu, & Sineum fluuium ab Ortu in-

terclusus, & à Septentrione Curleu montibus conclusus, regio est in planitiem plerumque porrecta, fertilis, & quæ numerosa pascit armenta adhibitaque mediocri industria fruges abundè profundit, qua Septentrionem spectat, Curleu montes prærupti eminent, & imperuij donec quorumdam cura, & labore fuit excisa via. In hoc Comitatu quatuor numerantur Baroniæ, sub Curleu montibus *ad Sineum* fluuium Baronia *Balin-Tober*, cui adiacet Elphin Sedes Episcopalis, inferius *Roscoman* Baronia *Occonor Roo*, siuè Rufi, in qua est Oppidum *Roscoman* totius Comitatus caput Castro munitum, Baronia *Atlone* à præcipuò Oppido denominata, de quo in Lagenia, quod suum habet Castrum, & Pontem è viuo saxo pulcherrimum, & hæc de Conacia.

Elphin.

Roscoman.

Athlonia.

CAPVT IV.

Prouincia Vltoniæ.

HÆc quarta Hiberniæ pars est in diuisione à me assignata latinè *Vltonia*, hibernicè *Cuiguilly*, Anglicè *Vlster*, Britannicè *Vltu*. Regio ampla multis, & immensis stagnis interfusa, densis syluis vmbrosa egregijs fluminibus irrigua, portubus, fidisque stationibus ad nauigantium commoda diues, alicubi ferax, alicubi macra, virore tamen ad aspectum vbique iucunda, & pecoribus armentisque oppleta, pars citerior in Comitatus *Doun*, *& Autrim* diuiditur, pars reliqua in septem diuiditur videlicet *Cauon*, *Fermanag*, *Monagan*, *Ardmache*, *Londonderry*, *Tir-oen & Dounegalle*, habet in circuitu quadringenta viginti milliaria, vt author ille anno 1673. impressus attestatur triginta arces munitas, quatuordecim Oppida mercatoria, ita ille pag. 90.

Regio temperata.

Comi-

Comitatus Cauan.

Ad Vltoniæ Occasum iacet Comitatus Cauan olim dictus *Breanij* habitatio gentis o Reilij diuiditurque in septem Baronias, habet Episcopatum Kilmorensem nuncupatum primarium Oppidum est Cauan, alia loca celebriora sunt *Finha*, *Terbert*, *Fernan*, *Chilisandra Belluna*, *Carrighe*, *Castle-Hamilton*, *Tullibin*, *Sharkoke*, in hoc Comitatu est lacus dictus *Loghramber*, vndè fluit Aqua nigra flumen versus Opidum Nauan in Midia.

Comitatus Fermanagh.

Post Cauan etiam ad Occasum, & Septentrionem adiacet *Fermanagh* regio nemorosa, & palustris in cuius medio est celeberrimus, & maximus ille Hiberniæ lacus Erne quadraginta mill. pass. extensus, syluis opacis coronatus, & insulis habitatis confertissimus, quarum nonnullæ centum, ducenta, & trecenta iugera continent, lucijs, trutis, salmonibus, & alijs piscibus tam copiosus, vt piscatores nimiam frequentius piscium copiam, retiumque rupturas potius quam defectus conquerantur, diffunditur ad *Belterbert*, vicum Comitatus Cauan, ab Austro Septentrionem versus longitudine 14. latitudine 4. mill. pass. mox in arctum coit instar iusti amnis per sex milliaria, in cuius alueo est *Iniskellin* præcipuum in hoc tractu propugnaculum inde in Occasum conuersus maximè expatiatur longus viginti, latus decem ad Belek vsque iuxta quod Cataracta, & nobilissimus, quem vocant Salmonum saltus.

Lacus Erne.

Iniskellin.

Comitatus Dovvnegal, siue Tireconell.

Ad Occasum similiter, & Septentrionem extat hic Comitatus regio ferè tota campestris, & portuosa mari sci-

ſcilicet à Borea, & Occaſu pulſata ab ortu *Liffer* flumine, & à Conacia Erno lacu diſiuncta *Liffer* prope fontes dilatatis aquis in lacum expatiatur, in quo Inſula eminet, vbi locus, Purgatorium Sancti Patritij dictus, iacet, de quo nos in actis eiuſdem Sancti in corpore hiſtoriæ fuſiorem faciemus mentionem, & fabulas de eo circumferre ſolitas refutabimus, modo breuem eius deſcriptionem addimus. Quod attinet igitur ad antrum ipſum, è ſaxo viuo conſtructum eſt ſaxiſque latis obtectum cum terra ſuper impoſita, gramine veſtita, clauſo oſtio lucem aliquam præbet vnica feneſtella in angulo recuruitatis, continet in longitudine ſexdecim pedes, & dimidium, in latitudine plerumque, duos & policem vnum, aut alterum, atque vt ſpecus eſt exigua, ita etiam & Inſula, quæ continet vix tres quartas partes iugeri hibernici, fertur ibidem alium eſſe locum Sancto Brendano dicatum, de quo illud inuenitur.

Purgatoriũ S. Patritij.

Aſſerit eſſe locum ſollemnis fama dicatum
Brendano quo lux lucida ſæpe micat
Purgandas animas datur hic tranſire per ignes.
Vt dignè facie Iudicis eſſe queant.

Vbi fluuius *Liffer* alijs aduenis aquis auctus mare propius accedit iterum in lacum diffunditur *Loghfoile* & *Loghderage* vocatum, ad quem olim Monaſterium, & Sedes Epiſcopalis floruit, ab hoc ſcopuloſo tractu extrema reflectuntur littora per Suuilij lacus oſtium ſequitur Boreum promontorium dictum *S. Helenshead*, reducto hinc littore adeſt *Kallebeyg*, portus & ſtatio commoda nauigantibus, piſcibus abundans, inferius haud procul ab oſtio lacus Erne conſpicitur *Dounegall* Oppidum, vnde Comitatus nomen aſſumpſit, hic dominabantur Odonelli.

Liffer Flu.

Dounegall.

Comitatus de Londonderrij.

Hunc Comitatum vocat Camdenus Colran, ſitus eſt ad Occaſum inter *Bann* flumen, & *Loghfoile*, ab Au-

ſtro

ſtro Comitatui *Tir-oen* conterminus. *Bann* eximiæ pulchritudinis fluuius, quod & nomen teſtatur è montibus de *Mourne* in Comitatu Dunenſi, exoriens in lacum *Neaugh*, amplum illum ſe nomenque ſuum effundit, & inde poſt triginta plus minus milliaria, tantæ enim longitudinis lacus ille cenſetnr, exiens tandem ad *Tome* Caſtrum ſe recipit, & ſyluis coronatus ſuperbo alueo, per *Glancolkein* Oceanum petit, ſalmonibus longè fœcundiſſimus eo quod vt aliqui exiſtimant, ſit omnium fluuiorum limpidiſſimus, cuiuſmodi aquis ſalmones vnicè delectantur. Primarius locus eſt *Londonderry*, emporium nobile, mœnibus benè munitum, portus opportunus, lacus enim *Foyl* longus eſt 12. mill. latus 6. in mare ſe exonerans in anguſtum fluuium coit, & tendens verſus Orientem inſtar anguſti fluminis coarctatur ſeque format in cubiti flexuram, vbi facit Peninſulam incliuo collis, in qua eſt *Londonderry*, 3. mill. à lacu diſtans ad ripam Auſtralem fluminis, ad cuius os dum ſe exonerat in lacum eſt arx munitiſſima Culmor dominans flumini: alter locus huius Comitatus eſt *Colran*.

Baunha Flu.

Lacus Neagh.

London-dery.

Comitatus Antrim.

Ad Septentriones iacet hic Comitatus denominatus ab Oppido *Antrim*, inter ſinum *Knock-fergus* ſiue *Petræ-ferguſſy*, lacum *Neaugh* & *Bann* fluuium interſidens. Celebre vero in hac ora eſt ex portus opportunitate, ſuis munimentis, Caſtello rupi imminenti infixo, & præſidiaria Cohorte, Armamentarium, iuxta adeſt *Clan-boy*, inferior iuxta *Knocke-fergus* Peninſula tenui ceruice continenti adnectitur. Glinnes deinde ideſt conualles incipiunt, & longo tractu mari obiectæ procurrunt, his adiacet vſque ad *Bannam* fluuium *Rovvte* tractus. Ibidem ſpectatur *Dunluſe* firmiſſimum munimentum in rupe conſtructum, mari imminens à terra, profunda foſſa abiun-

Knocke-fergus.

Glaune-boy inferior.

Route.

Dunluſe.

ctum in extremis finibus huius Comitatus in mare protensis Scotiamque respicientibus extat Promontorium, Cloch-Stoccan. illud vulgo dictum *Cloch-Stoccan*, in qua Hiberniæ longitudo à Promontorio de *Dingle-Icouch*, in Momonia & Comit Kerry, ducta terminatur.

Comitatus Tir-oen.

Sub Derensi Comitatu ad Meridiem cernitur Comitatus *Tir-oen*, idest terra Eugenij, totus Mediterraneus ad Occasum *Liffer* flumine à *Tir-conell*: siue *Dovvnegall*, ab Ortu lacu *Naugh*, à Comitatu *Antrim*, à Meridie *Aqua-nigra* siue *Blake-vvater*, à Comitatu *Ardmagh* disiunctus, Regio licet salebrosa, ferax tamen & ampla quæ sexaginta milliaria longitudine, & triginta Dunganon. latitudine complectitur, diuisa montibus, quos *Sleu-Gallen* vocant, in superiorem ad Septentrionem, & infe-Clogher. riorem ad Austrum. In hac sunt *Clogher* Episcopatus, & *Dunganon* præcipua *Onellorum* habitatio, item lacus Neaugh Lacus. *Neaugh* pulcher piscosus, per amplus triginta mill pass. circiter extentus varia riparum facie, nemoribus Opacis, pratis perpetuo virentibus, aruis frugiferis, collibus deuexis, riuulis influentibus, ad amœnitatem & vtilitatem à natura efformatus in *Tir-oen* superiori est *Stra*-Straban. *ban* Castrum celebre.

Comitatus Dovvn.

Ad Vltoniæ Ortum extat Comitatus *Dovvn*, amplus & solo fœcundo ad Hibernicum vsque mare porrectus, à plaga Boreali lacum *Neagh*, ab Australi Comi-Neury. tatum *Louth* attingens, à quo *Nevvry* flumine separatur, & adiacet in ipso Comitatus limine Oppidum communitum, & eiusdem cum prædicto flumine, cognominis, ha-Lecal. bet idem Comitatus Episcopalem Sedem *Dromore*, nun-

cupa-

cupatam ad oram maritimam, mari ita se insinuat, & varijs recessibus terram excauat lacusque præfatus ita se dilatat iuxta *Diffrin*, vallem nemorosam, vt duas faciat Chersonesos siue Peninsulas, *Lecal* ad Merideim & ad Aquilonem. Ardes ager opimus totius Hiberniæ, longissime in Ortum prominet extremumque eius Promontorium à Nautis dictum *St. Iohns-Forland*, in eius Isthmo *Dunum* olim floruit nunc *Dovvn*, vetustæ memoriæ ciuitas Sedes Episcopalis, Ioanni Scoti Doctoris subtilis natalibus inclita Sanctorum Patricij, Columbæ & Brigidę tumulo insignis cui hoc dysticum fuit inscriptum. Ardes. Dunum.

Hitres in Duno, tumulo tumulantur in vno
Brigida, Patricius, atque Columba pius.

Ad mare vt *Arglas* & *Strand-fort*, portus tutus, vbi fluuius *Coyn* magno aquarum impetu in mare prorumpit, Ardes altera Chersonesus è regione iacet, tenui alueo è lacu *Coyn* ab Occidua parte, ab Ortu mari, à Septentrione *Knoc-fergus*, sinu diuisa satis angusta Isthmo reliquæ continenti adiungitur, in capite Fergussiani sinus extat *Bel-fast*, quindecim milliaribus à rupe Fergusij distans, Oppidum frequens, & mercatorium, participans de vtroque Comitatu Dunensi & Antrim, ac veluti inter vtrumque iacens. Solum est in hoc Comitatu perbenignum, excepta, quæ in medio protenditur subhumida planitie. *Littus* vicis satis consitum olimque habuit celeberrimum illud Monasterium ad sinum de *Knoc-fergus*, *Banchor* de quo nos in Historia, interius ad lacum est Episcopalis Sedes Connerensis dicta cui pręfuit olim S. Malachias Episcopus super *Ardes* ad Occasum Australior *Clane-boy* id est gens flaua, regio siluestris expanditur ad sinum *Knoc-fergus* vsque. Bel-fast. Banchor. Coner. Clanne-boy superior.

Comitatus Ardmagh.

Ad Orientale Vltoniæ latus protenditur Comitatus *Ardmagh*, ab Oriente *Nevvry* flumine, ab Austro Comi-

tatu *Louth*, ab *Arcto*, *Aqua-nigra* circumdatus, regio eſt ſolo lætiſſimo & maximè luxurianti, fimo iniecto potius ſterileſcat, quam fœcunditur, ſeipſa & innata fœcunditate contenta. *Fevves* tractus primus occurrit ſyluis obſitus & paludibus inuius. Inde *Orry* ſyluis indigus propugnaculo munitus *Mont-norris* dicto.

Orry.

Kalni Flu.

Ard macha

Ad Octauum hinc milliare propè *Kalni* fluuium *Ard-macha* conſpicitur Archiepiſcopatus, & primatum Regni Hiberniæ Sedes fuſioris in hiſtoria noſtra narrationis materia, à Sancto Patricio fundata iuxta *Ard-macam*, in colle eminenti superſunt rudera vetuſti Caſtri, *O-uen-mauhg*, nuncupati, quod antiquam regum Vltoniæ habitationem fuiſſe ferunt. Magis ad Occaſum *Aqua-nigra*, *Black-vvater*, Hibernice *More*, id eſt magna ſerpit, limitem ſe præbens inter hunc Comitatum & *Tir-oen*.

Aqua nigra Flu.

Comitatus Monaghan.

Erno lacui ad Orientalem plagam coextenditur Comitatus *Monaghan*, collibus eminens, ſyluis veſtitus ab Oppido *Monaghan* nominatus, in Baronias quinque diuiſus continetque *Iriel*, *Barire*, *Ferney*, *Lotghty*, Cœli Solique benignitate dotatus.

Monaghan Baroniæ.

Et hæc de Hiberniȩ deſcriptione excerpſi, tum ex quibuſdam Authoribus, tum ex ijs quȩ Guillielmus Camdenus, tam ex noſtratibus quam ex alijs qui eandem luſtrarunt, collegit, hoc de illa Elogium in Comitatu de Dounegall adiungens, Inſula eſt tanta, Hibernia, tam vbere gleba, tam paſcuis ſupra fidem læta, tot ſyluis obſita, tot metallorum venis diues, tot fluminibus irrigua, tot portubus circumcincta ad nauigationes in opulentiſſimas regiones; tam opportuna, & inde vectigalibus quæſtuoſa futura, hominumque altrix, tam fœcunda qui ſiue animos, ſiue corpora ſpectemus, ad omnia Pacis bellique munia vſui eſſe poterunt ſingulari vt nulli alteri regioni in his cedat.

Hiberniæ dotes.

CAP.

CAP. V.

De Insulis Minoribus, quæ Hiberniæ adiacent.

HAs enumerat *Vareus* de antiquitatibus Hiberniæ capite secundo, vbi sic habet, iam vero vt meliore ordine in instituto cursu progrediar, è sinu *Carig-Fergusij* soluam & inde littora legens, Insulas Orientales primum inuisam postea Australes, deinde Occidentales ac demum Aquilonares. In hac nauigatione se nobis primum ostendunt *Coplandæ*, duæ Insulæ ita fortasse dictæ à Coplandorum Familia, quæ in vicina Vlidia olim florebat. Tum *Berry* Insula, à qua si oram legamus vsque ad littus Agri Dublinensis nullę apparent Insulę memoratu dignæ, nam Insulas, quæ sunt in lacu *Coere*, & vnam vel alteram exiguam Insulam intra ostium portus Carlingsfordiensis, vti & scopulos hinc inde per mare sparsos, consulto prætermisi, vt quæ ad rem de qua nunc agimus, non pertinent. In Agri Dublinensis littore est *Holm-Patrick*, siue Insula Patricij, quæ ita denominata est in memoriam S. Patricij, qui ibi appulit CCCCXXXII. & inde in continentem traiecit, ad Hiberniam Christianæ Religionis radijs illuminandam.

Cop-landæ

Holm-Patrick.

Huic proximæ sunt *Skeres*, Insulæ scopulosæ, eodem inde littore *Lambey* eminet quæ à Plinio (ni fallor) *Limnus*, & à Ptolomeo *Limni* appellatur. Proxima huic est insula exigua dicta *Irelands Eye*. i. *Oculus Hiberniæ*, vbi (vt notauit Ioannes Alanus Archiepiscopus Dubliniensis, sub Henrico Octauo in regesto suo nigro) S. Nessanus olim insistebat crebris orationibus, ieiunijs & vigilijs. Tribus hinc milliaribus ad Austrum abest *Dal-hey*, in cartis nonnullis Hydrographicis, *Insula S. Benedicti* vocata, aqua vt Oram legimus, postquam loca ea vadosa à nautis dicta *The-north-biddle The-South-gronnds*,

Skerres.

Lambey.

Oculus Hiberniæ.

Dalkey.

Beg-eri. parua Hibernia. Præteruecti sumus, Insula *Beg-eri*. i. Si Interpreteris, Parua Hibernia, conspicitur ad agrum VVexfordiensem spectans, fortasse eadem quæ à Plinio *Edros*, à Ptolomeo *Edri* dicitur, olim S. Ibari Schola celebris, qui ibi (vt in vita eius legimus) celebre condidit Cœnobium,& sacras litteras aliasque artes Optimas docuit maximam multitudinem Hibernorum, & aliorum, huic proximæ sunt duæ *Saltes* Insulæ quæ eiusdem Comitatus censentur partes.

Capell. Ab his vsque ad *Capel* Insulam modicam quæ tribus vel quatuor milliaribus à portu Youghalensi abest,nullæ memoratu dignæ sunt Insulæ: Post eam vero in eodem littore *Cotton-Iland*, *Lesteren*, *Lacallen*, *Cray* & *Loughin*, cum alijs minoris notæ conspiciuntur,magis ad Occasum in alto eminet *Clera* Insula nautis *Capa-clere*, cui maximum fuit decus S. Kiaranus senior Episcopus Saigerensis qui hic (vt refert vitæ eius scriptor) natus est, & educatus,interius in Sinu Baltimorensi confertissimæ iacent Insulæ,inter quas sunt *Inis-tirkan* alias *Inis-birckan*, *Angbra*, *Insula Longa*, *The Horse*, siue equus & interius in Sinu Bantriensi VVhidij.

Cotton-land. Lesteren. Lacallen. Cray. Loughin. Clere. Cap-Clere. Inistirkan. Auynbra. Cekyddy.

Vacca. Taurus. Vitulus. In alto tum comparent tres Insulæ *Dorses* quarum maxima appellatur *The Covv*. 1. *Vacca*. Secunda *The Bull*, siue *Taurus*. Tertia *The Calf*, siue *Vitulus*, sub ostium deinde *Kilmari*, vel *Kimmari* fluuij sunt Insulæ quædam exiguæ sed inprimis memorandæ sunt margaritæ, quas in hoc fluuio, & in Ora vicina conchæ pariunt. Hoc obiter. In alto eminent tres scelegæ, Insulæ scopulosæ, in quarum vna erat olim Cœnobium S. Michaeli Archangelo dicatum, quod postea ad continentem translatum est. His proxima est Valentia alias Daririj Insula, quæ per aliquod milliaria Keerie littori obiecta iacet tenui freto à continente diuisa, magis ad *Arctum* sunt *Blaskes* Insulæ, cum scopulis adiacentibus.

Tres Scelegæ. Valentia ac Daririj. Blaskes.

Inis-catte. Neque præmermittenda est *Inis-catte* siue *Inis-carthaig*

thaig (licet intra oſtium *Shenani* fluu.) olim Sedes Epiſcopalis vbi Sanctus Senanus Epiſcopus præfuit. Nomen Inſulæ Scholiaſtes Æneæ filij Oengobhan à Carthaic beſtia fera deduxit, quæ ibi, & in regionibus vicinis (vt ille habet) multos occidebat. Proximæ melioris notæ ſunt tres, Aranæ Inſulæ, ſcilicet *Inis-ger*, *Inis-mane*, & *Aran-more*, quæ nunc ad agrum Galuienſem ſpectant olim vero ad Momoniam pertinebant, harum præcipua eſt *Aran-more*, ideſt *Aran-magna* dicta etiam *Arn-naneunh*, ſiue aram ſanctorum ob ſanctos ibi ſepultos: De hac Inſula, & S. Enna aliàs Endeo primo ibidem Abbate, ita ſcriptor vitæ Sancti Albei. Cum Sanctus Albeus reuerteretur de Caſſell. Occurrit ei Enna Abbas dicens, reuertere mecum ad Regem (Ænguſam) & quære mihi ab eo illam Inſulam, i. e. Arn, vt in nomine Domini faciam tibi Monaſterium, tunc reuerſus S. Albeus ad Regem ſalutauit, eum dicens, illam Inſulam poſitam in Oceano Maris, da nobis vt ædificemus ibi Monaſterium, Rex ait, non vidi nec audiui qualis, & quanta ſit illa Inſula, & adeo nemini illam Dabo, vt prius ſciam quomodo ſit. Tum virtus Diuina fecit regem videre totam eam Inſulam per longa ſpatia terrarum, & ſciuit qualis, & quanta fuit. Tradidit autem Rex Sanctis Inſulam Arn, & ſub Sancto Albeo, S. Enna conſtruxit ibi egregium Monaſterium, & ſub illo nomine nominatur etiam Inſula i. Arn, & magna eſt illa Inſula, & eſt terra ſanctorum, qui ſepulti ſunt ibi nemo ſcit niſi ſolus Deus. Hæc ille: cui aſtipulatur ſcriptor vitæ S. Endei, qui aſſerit etiam Darimam Endei ſororem Ænguſæ Regis fuiſſe vxorem, ſed audi porrò fabuloſam relationem de hac Inſula ex Giraldi Cambrenſis Topographiæ Hiberniæ Diſtinct. 2. cap. 7. Eſt Inſula quædam in Occidentali Conactiæ ſolo poſita, quæ nomen habet *Aren* à S. Brendano vt aiunt conſecrata. In hac corpora hominum nec humantur nec putreſcunt, ſed ſub Dio poſita, & expoſita permanent incorrupta, hic homines, auos, ata-

Aranæ Inſulæ.

atauos & tritauos longamque suæ stirpis retro seriem mirando conspiciunt, & cognoscunt, est & aliud ibi notabile, quia cum per totam Hiberniam copiosæ nimis mures abundant, hæc tamen Insula mure caret, mus enim non nascitur hic nec viuit inuectus &c.

Nescio an hic operæ pretium sit memorare Incolas nonnullos qui fide digni videri volunt, affirmare se, ex his Insulis fascinatam Insulam, quam *O-Brasil* vocant interdum Sudo cœlo prospexisse. In huius Insulæ scrutinio, nonnulli nuper oleum, & operam perdiderunt at situm confidentius designant Chartæ quædam Hydrographicæ. De perdita hac Insula siue Insula Brendani vide si placet quæ habet Ortelius in thesauro suo Geographico.

Prætereo hic fabellam de Insula quadam Maris Hibernici quam fantasticam vocant, instabili primo, tandem per ignem stabili. Talium cupidus petat iam dicti Giraldi Cambrensis Topogr. Hib. Distinc. 2. cap. 12. Ad rem redeo. Inter Aranas & continentem non paucæ iacent Insulæ exiguæ, magis vero ad Arctum (inter alias minoris notæ) iacent, *Ardillan*, *Ilanemracher*, *Inis-sharke*, *Insula cuniculorum*, & *Inis-bo-find*, id est *Insula Vaccæ Albæ*, in qua ingentes massæ Ambræ (nos *Amber greese* dicimus) aliquoties sunt eiectæ. Hic Sanctus Colmannus Lindisfarnensis Episcopus Cœnobium olim construxit. Sic enim Beda Ecclesiasticę Historię lib. 4. cap. 4. Interea Colmannus qui de Scotia erat Episcopus relinquens Brittanniam tulit secum omnes quos in Lindisfarnensi Insula congregauerat Scotos, sed & de gente Anglorum viros circiter triginta, qui vtrique Monachicæ conuersationis erant studijs imbuti, & relictis in Ecclesia sua aliquot fratribus primo venit ad Insulam *Hu*. Vnde erat ad prædicandum Verbum Dei Anglorum Genti destinatus. Deinde secessit ad Insulam quandam paruam quæ ad Occidentalem plagam ab Hibernia procul secreta, sermone Scotico *Inis-bo-find*, id est Insula

Inis-sharke. Inis bo-find. Vaccæ Albæ. Ambra.

Vitu-

Vitulæ Albæ nnncupatur. In hanc ergo perueniens, construxit Monasterium & Monachos inibi, quos de vtraque natione collectos adduxerat collocauit &c. nauigatio Colmanni ad Insulam *Vaccæ Albæ*, in annalibus Tigernaci (qui floruit sæculo XI.) ad annum refertur D.C.L.XXVI. Ibi Colmannus ille naturæ cessit nouennio postea die octaua Augusti. Eodem inde littore eminent *Inis-turck* & *Clerey*, in qua erat olim cella Cœnobij Knocmoyensis. Inter has & continentem in sinu Borisolensi) confertissimæ iacent Insulæ exiguæ, tum vtraque *Akil* maior & minor, cum noto nautis scopulo magis ad occasum dicto *The-black-rock*, deinde *Inis-kea* & *Dauilan*. Inis turke. Clerey. Inis-kea.

Insulæ Vltoniæ iam inuisendæ, atque illæ primum quæ partes censentur Tirconaliæ siue vt nunc loquimur Agri Dounegallensis. Atque hic post insulas quasdem per exiguas, quæ Ostijs *Erni* fluuij & portuum Dounegalliæ & Calebegæ præiacent in alto, comparent Insulæ multæ dictæ, *Aranæ Aquilonares*, ad Aranarum supra memoratarum differentiam propè quas sunt scopuli à nautis vocati *The Staggs*, siue Cerui. Tum *Cladagh* conspicitur, & magis ad Orientem *Torre*, ad octo milliaria à continente. Terra satis fertilis. *Inis-oen* vero (siue Insula Eugenij, licet Insula dicta reuera Peninsula est, & maximum est ornamentum *London-derry* Ciuitas, antiquitus *Deria* & *Dair-Calgaie*. Proximæ sunt *Glassedij* & *Strabul*, al. *Inis-straul*, Insulæ scopulosæ ad quas Phocæ se conferunt vt dormiant & fœtum Edant. Tunc *Skerres* deinde *Raghlin*, quæ Pars est Agri Antrimensis, & vna leuca à continente abest, Plinio *Ricnæa*, Ptolomeo *Ricina*, Antonino *Riduna*. Cæterum Historici Hibernici *Recarn*, & *Recrain* vocant. Segenium Abbatem Iæ Ecclesiæ de Recarn fundasse anno DCXXXIV. vel DCXXXV, tradit Tigernacus; & in annalibus Vltoniensibus ad annum DCCXCIV. (qui nobis est DCCXCV.) fit mentio combustionis, & vastationis Recrain per gentes. Aranæ Aquilonales. Cladagh. Glassedij. Inis-strabul. Skerres. Raghlin. Recrain.

Da-

Danos hic intelligi docet Caradocus Lancaruanensis in Cambriæ Chronico, nam Dani circa hæc tempora (vt ille habet) maximam Hiberniæ partem populati Recrain quoque vastarunt. Ioannes Rex Angliæ donauit hanc Insulam (inter alia) Alano de Galway, vt ex Archiuis constat. Inter eam & continentem iacent nonnullæ exiguæ Insulæ, & magis ad Austrum, comparent nomen Insulæ scopulosæ dictæ *The nine paids*, non procul à Peninsula Magie. His proximæ Insulæ Complandicæ à quibus exorsi sumus, & cum quibus finem huic capiti imponemus.

CAP. VI.

De Hiberniæ Ornamentis, Commodis, & Priuilegÿs quibusdam specialibus.

Regionum Ornamenta, & dotes quibus homines ad eas possidendas, vt plurimum alliciuntur, sunt soli fertilitas, aeris salubritas, syluæ, planities, metallorum fodinæ, latomiæ nobilis, fluuij nauigabiles & piscosi, portus tuti & ampli, maris vicinitas ad mercaturam exercendam, & necessaria aduictum humanum. In his omnibus (vt de vrbibus, & quæ hominum arte & industria fiunt hic taceam) admodum fœlix est Hibernia. Sed quod rarissimum est, & nulli ferè regioni habitabili præterea, per totum Orbem, à Deo concessum, hæc Insula (Hiberniam Dico) nullum alit animal venenosum, nequidem aliundè inuectum: habet quidem araneas & lacertas, sed eas non venenatas. Terræ motus ibi raro aut nunquam, vel quando contingit inter prodigia habetur, tonitru rarissime, non ibi rigor est nimius Hyemis, neque ardor est Æstatis. Inter quadrupedes notandi inprimis Equi quos *Hobines* siue *Hobyes* vocant, ob mollem gressum magno in pretio habiti.

Hiberniæ Cœli, solique, fœlicitas. Temperies. Meri nullum animali venenosum.

Astur-

Asturcones olim dictos notat Ioannes Maior, vt puta ab Austuribus Hispanię in Hiberniam primo deductos. Ab hoc equi genere (vt id obiter adnotemus) equites quidam leuis armaturę dicti sunt *Hobbelarij*, de 2000. Hobbelarijs, ex Hibernia contra Scotos, per mandatum regis mittendis, fit mentio in rotulo Patent. an. 15. Edwardi II. par.2. membr. 19. penes custodem Archiuiorum arcis Londinensis; sed quot fuerint missi, non comperi. In exercitu Edwardi Tertij Caletum obsidentis anno Domini 1347. numerati sunt inter alios milites sub Mauritio Comite Kildariæ Hobbelarij 27. & sub Domino Fulcone de la Freign, Hiberno Hobbelarij 24. *Ex hoc genere* 12. *candoris eximij, purpura & argenteis habenis exornatos, in pompa Summorum Pontificum, sessore vacuos se duci vidisse*, testatur Paulus Iunius.

Neque hic prætermittendi sunt canes illi venatici, quos vulgo à persequendis lupis, canes luporum vocant, robore, magnitudine & elegantia eximia præditi. Inter volucres, Aquilę, accipitres, qui anseres capiunt *Bolbankes*, alijs (ni fallor) Phassonophani dicti, Falcones Aliæti siue Aquilę marinę Esalones. Item galli (vt vulgo appellantur) syluarum, ijdem scilicet cum ijs quos Giraldus Cambr. Distinct. 1. cap. 10. Topogr. Hibernię Pauones syluestres vocat, pauonibus magnitudine æquales. Ibi etiam inueniuntur margaritę, sed pleræque vel pallidę vel subfuscę: his addendę piscaturę copiosę Salmonum, Halecum & Halecularum *Pilchards*, vulgo dictarum, quę salitę & dolijs inclusę, quotannis magno mercatorum lucro in partes transmarinas exportantur.

Canes venatici.

Volatilia diuersi generis.

Piscium abundantia.

Neque possum non hic memorare magnam nauium multitudinem, quæ bobus, ouibus, carne bouina, corijs, pellibus, lana, lino, plumbo, ferro, stragulis &c. onustę nostra ætate, solitæ fuerunt ex Hibernia in partes transmarinas exportari. Item ad Hibernię dignitatem, vide si placet Argumentum Oratorum Henrici Quinti Regis Angliæ in Concilio Constantiensi inter

acta eiusdem Concilij MSS. in Bibliotheca Cottoniana.

Viri Illustres.

Restat vt aliquid hic dicamus de Viris (maximis illius Insulę ornamentis) qui Christi Euangelium prædicarunt primis surgentis Ecclesię Hibernicę temporibus, vel in ipsa Hibernia, vel in partibus transmarinis, acta eorum licet compendio descripta iustum requirunt tractatum, satis hic videatur indicare Hiberniam, ob eorum multitudinem, merito olim dictam Insulam Sanctorum & Sanctorum patriam. Nuda eorum nomina, etiam eorum, quorum res gestę descriptę extant subiungere, superuaneum videatur. Verum tamen eorum partem potiorem, vna cum temporibus, quibus claruerunt, & actis nonnullis, aptius petant postea, qui volunt, in Datriba nostra de Basilicis Hibernię. Hæc VVareus, nos vero infra magnum eorum numerum recensemus.

CAP. VII.

Detrahitur fides ijs, quæ Giraldus Cambrensis, & alij, vel per inscitiam, vel per Calumniam affinxerunt Hiberniæ.

HÆc fusè & neruosè refutat Gratianus Lucius in suo opere inscripto *Cambrensis euersus*, & ante eum VVareus, quę ego compendio breuiore recolligo. Cambrensem igitur euersurus prædictus Author ostendit errores ex Giraldo varijs authoribus de Hibernia scribentibus inspersos diuturnitate temporum non corroborari, vel authoritatem acquirere, vt demonstrat exemplo Fabulę de Ioanna Papissa, de Doctore Parisiensi defuncto, & præsente Sancto Brunone tribus subsequentibus diebus exclamante, 1. se fuisse accusatum, 2. iudicatum, 3. damnatum, de commentito lapsu Marcellini Pontificis refutatę à Sancto Augustino lib. de vnico Baptismo Cap. 16. & alijs similibus, mox Gratianus aggreditur confutare

Calumniæ reiectæ.

futare

futare Giraldi Calumnias primo quod lucubrationem ſuam, Topographiam inſcripſerit, ac ſi non regnum integrum ſed eximium aliquem tractum deſcripturus eſſet, 2. quod expugnatę Hiberniç, titulum, alteri ſuç lucubrationi præfixerit, cum reuera tunc expugnata non fuerit, 3. quòd impar eſſet rebus Hibernicis deſcribendis, eo quod ignarus minimè ſincerus vel fidus, quod Oppido maledicus, 4. quòd contra leges Hiſtoriç, veritatem pluribus in rebus, & præſertim in Regum Hiberniç nominibus & geſtis omittendis celauerit, 5. quòd diſcrepantia de Cœli, Solis, ſolique Hibernici qualitatibus, & ab aliorum ſcriptorum teſtimonijs diſſonantia tradiderit, 6. quòd falſiſſima conuitia in omnis generis homines nationis Hibernicæ fictis mendacijs coniecerit, 7. quòd ſuo tempore Hibernos fidei rudimentis fuiſſe imbutos, iniurioſiſſime neget, quod alia indigna, & falſa de ijſdem ſparſerit.

Ex quibus & hactenus dictis colliges eandem fidem mereri in rebus Hiberniç referendis, omnes illos Authores, qui ſua ex Giraldo Hauſerunt, quam meretur ipſe: nec enim riui ſolent ſuo fonte eſſe puriores: nec maiorem præſtandam quibuſdam Anglis & Scotis, qui ex maledicendi libidine & liuore, gentem Hibernicam calumnijs proſcindunt, quam tamen Camdenus ex alijs Authoribus aſſerit eſſe vniuerſim corpore validam & inprimis agilem, animo forti & elato, ingenio acri & bellicoſo, laboris patientem, hoſpitibus per benignam, in amore conſtantem, gloriç auidam, & vbi religioni ſe conſecrat religioſa, & quadam auſteritate mirum in modum ſe continentem. His autem ſubiunguntur quæ habet VVareus Cap. 23. Ijs nulla fides habenda.

De Hiberniæ ornamentis inquit & dotibus ſpecialibus, ſupra compendio diximus. Videamus iam quæ de ea à ſcriptoribus antiquis finguntur, & ab eorum ſectatoribus creduntur. Solinus auem ibi raram aſſerit, porrò addit poſtea, *ibi Apes nuſquam & aduectum inde puluerem*

H 2 *ſeu*

ſeu lapillos, ſi quis ſparſerit inter aluearia, examina fauos deſerere. Item mare, quod inter eam, & Brittanniam interfluit, vndoſum, in ſe quietumque toto anno niſi pauculis diebus non eſſe nauigabile. Cum tamen auibus & apibus abundet, & ad mare quod attinet eſſe in ſumma Hyeme frequentes nauigationes ex Anglia, Gallia, Hiſpania &c. in Hiberniam, & ex ea in exteras regiones ſufficienter demonſtrarunt.

Falſitas de auium, & apum carentia.

Prima eius aſſertio de auibus & apibus in eundem errorem duxit Iſidorum Hiſpalenſem qui ijſdem fere vtitur verbis. *Illic* (de Hibernia loquens) auis rara, apis nulla, adeo vt aduectos inde pulueres ſeu lapillos, ſi quis alibi ſparſerit inter aluearia examina fauos deſerant. Originum lib. 14. cap. 6. Item Barthol. Caſſaneum in Catalogo Gloriæ Mundi part. 12. conſid. 57. Ibi (ait) auis rara ac apis nulla. Neque defuerunt qui *ſolinum* ſequuti ſunt, in ſecunda ſua aſſertione de æſtu maris Hibernici, interque eos Cornelius à Iudeis Geographus. Veniamus iam ad Climatis diſpoſitionem. Strabo, qui ſub Tiberio Cæſare floruit, Geographiæ lib. 2. ex verſione Guillielmi Xilandri ita loquitur. Extrema nauigatio à celtica verſus Septentrionem, noſtra ætate dicitur eſſe Hiberniam (*Iernen* vocat) quę vltra Britanniam ſita ægrè ob frigus incolitur, ita vt quę vlterius ſunt, habitari non poſſe exiſtimetur. Deinde Pomponius Mela qui ſub Claudio vixit, Coſmographię lib. 3. Cœlum Hiberniæ ad maturanda ſemina iniquum eſſe aſſerit. Speciatim ita Giraldus Cambrenſis, Topographiæ Hiberniæ diſtinct. prima cap. 4. multam (ait) fruges in herba, plurimam in culmis, minorem in granis ſpem promittunt. Tritici namque grana contracta ſunt, & minuta & vix alicuius vanni beneficio purganda.

Audiamus etiam quid è contra ſcripſerunt aliqui è veteribus. Ita igitur Oroſius. Hæc (Hibernia ſcil.) propter Brittanniæ ſpatia terrarum anguſtior ſed Cœli, ſo-

lisque temperie magis vtilis, Scotorum gentibus colitur. Item Isidorus loco supra citato, Scotia eadem & Hibernia proxima Britanniæ. Insula spatio terrarum angustior, sed situ fœcundior, & Beda lib. 1. cap. 1. Hiberniam tam aeris salubritate quam serenitate multum Britannię præstare asserit. Non negandum tamen Hiberniam, aeris esse adeo temperati, vt prata ibi & campos in summa Hyeme virere videamus, & ad pascua pecudes quotidiè duci, nisi quod raro accidit nix biduana vel triduana impediat; locis preterea vliginosis & palustribus, *cultura siccatis* (quod de regione circa Philippos scribit Plinius) *emendatam aeris temperiem*. Ad tritici grana quod attinet non contracta sunt vel minuta vniuersim, vt Giraldus Cambrensis eiusque sequaces habent. Nam raro in vicinis Hiberniæ regionibus, seu maiora seu grauiora, quam in plurimis partibus Hiberniæ inueniri possunt. Neque audiendus est Raphael Maffeus Volaterranus qui Comentariorum Vrbanorum lib. 3. de Hibernia loquens, Tellus (inquit) nihil omnino fert præter frumentum, & equos pręstantissimos quos vbinos (Hobinos) vocant &c. Corrigendus est itidem error Ranulphi Æigdeni, qui in Polichron lib. 1. cap. 32. asserit ibi deesse Perdices, Phasianos, Damas, & Hericios, Hiberniam etiam (quod iam dicto Giraldo, & Ioanne Bromtono addit) ab Austro in Boream extensam à brandanicis scil. montibus vsque ad Columbinam Insulam continere octo dierum diætas, quarum quælibet quadraginta milliarium existit & à Dublinio vsque ad Patricij colles Connacticumque mare in latum quatuor dierum excursum tenere, sed de Hiberniæ dimensione vide supra.

Bonum triticum.

Corrigendi Scriptorum errores.

Porrò multa hic obseruari possenr fabulosa quæ de Hibernia accumulauit Giraldus Cambrensis in Topograph. Hiberniæ: sed alijs ea discutienda relinquimus. Si quidem exacta eorum discussio iustum requirit tractatum; admonendus est interim lector Topographiam

Cambrensis cautè legendis.

eam

eam cautè legendam, id quod ipſe Giraldus quodammodo fatetur in Apologia, quam habemus in prima ſua præfatione in librum Expugnationis Hibernicæ, cum ob fabuloſa iam dictæ Topographiæ inſerta inſimularetur? cui hanc etiam admonitionem, è retractationum ſuarum tractatu hic adijcere viſum. *De Topographia Hibernica labore ſci. noſtro primæuo ferè nec ignobili vbi multa noua, alijſque Regionibus prorſus incognita (ideo magis admiranda) ſcribuntur, hoc pro certo ſciendum: quod quorumdam quinimò, & quam plurium per diligentem, & certam indagationem à magnis terræ illius, & authenticis viris notitiam elicimus; de cæteriſque totius terræ famam potius ſecuti fuimus.* De quibus omnibus cum Auguſtino cenſemus: qui in libro de Ciuitate Dei, de talibus quæ ſolum fama celebrat, nec certa veritate fulciuntur loquens nec ea affirmando plurimum nec prorſus abneganda decreuit. Sic ipſe Giraldus. Atqui non poſſum non mirari viros aliquos huius ſeculi alioqui graues, & doctos figmenta ea Giraldi, mundo iterum pro veris, obtruſiſſe. Plurima addi poſſent ex alijs Authoribus quæ aliorum etiam induſtrijs relinquimus.

CAP. VIII.

Refutantur aliæ calumniæ à quibuſdam Scriptoribus Hiberniæ, Hiberniſque per iniuriam impoſitæ.

OBtrectationes ab eiuſmodi Scriptoribus Hibernis impactæ ita apud quorundam Authorum, vel malum affectum, vel craſſam imperitiam, vel ſupinam oſcitantiam præualuerunt, vt euntes, quo itur, non quo ſit eundum, priores calumniatores ſecuti, illorum dicteria ſuis ſcriptis inſeruerint vſque adeo vt nullam nouam

Geo-

Geographiam seu Cosmographiam, nullum librum mores gentium, atque ritus enarrantem inuenias qui commentitias fictasque fabulas Hibernis affictas, lectoribus pro indubitata veritate non obtrudat, nulla vt vocant ferè mappa exculpitur, cuius oris fabulæ ridiculæ non adscribantur, & crambis hæc toties recocta non excoquatur, sed sanè ista talium hominum multitudo se habet instar vnius, quæ ducis vnius, authoritatem sequitur, rationes verò non excutit, & Comitem se ducenti præbet, vel quod præeuntis integritatem in suspicionem non vocat, vel quod eodem maledicendi studio, in Hibernos hæreticis præsertim Authoribus odiosos feratur, quorum figmenta breuiter referre, simulque refutare duxi.

Scriptorum quorundam oscitantia adhibentiũ fidem commentis.

Author quidam in descriptione Hiberniæ fingit homines, ibi in lupos conuerti, alios velut volucres per aera volare, duas simul coniungit fabulas stupore potius comminiscentis, quam vlla verisimilitudine nixas, eam metamorphosim melancholiæ attribuentis. Homo ridiculus, si Philosophiam, vel etiam à longè salutasset, scire deberet nullum morbum posse figuram hominis mutare aut eius temperamentum ita efferare, vt ferinam naturam induat, aut vt species humana fiat belluina, sic enim deberet à tali homine anima rationalis auferri, & illi addi anima lupi, vt accidentia lupini corporis, tamquam tali formæ connaturaliter debita haberet, quod tota inferni vis præstare non potest, rursus vti anima lupi non potest informare corpus humanum, ita nec anima humana corpus lupinum, quod autem sagæ præstigijs, & ope demonis ita intuentium oculos præstringant, vt eis videantur esse lupi vel oues, quid hoc ad fabulam istius Authoris conducit? Quasi vero in sola Hibernia essent sagæ an non etiam in alijs Europæ partibus in quibus grauissimæ statuuntur pœnæ contra Magas ac veneficas. Quod verò aliqui præ vehementi melancholia, sub inde sibi imaginentur se huius, vel illius esse figuræ,

Figmentum de trasmutatione, & volatu.

vel ſe talem, vel talem eſſe perſonam v. gra. Pontificem, Imperatorem, Regem &c. huiuſmodi Hypocondricorum exempla inuenies, apud Cornelium à Lapide in Commentario ſuper Danielem Prophetam, quod ſi in Hibernia reperiantur melancholici, ſuis imaginationibus aliquando in amentiam redacti, reperiuntur, & alibi, vix eſt vlla in tota Europa inſignis Ciuitas, quæ non habeat pro amentibus, & deliris deſtinatum locum.

De volatu quod ait riſum potius meretur quam reſponſum, certe vti placuit illi fingere ita deberet ſaltem ingenioſe cum Poetis fingere, qui ſicut volatum Icaro, ita & alas ad volandum conceſſerunt ſine quibus graue hominis corpus naturaliter, tam alte à terra eleuari & eleuatum ſe mouere non poſſet, vt autem illi homini in eſſent alæ etiam ineſſe deberet forma quæ, & alas exigeret eaſque progigneret, & ita rurſum redimus ad Metamorphoſim lupinæ fabulæ, ſed appage nugas.

Alia figmenta.

Commenta Strabonis, Solini. Mælæ eorumque de vetuſtis Hibernorum gentilium moribus, qui nec gentem nec patriam illam viderunt, nullam merentur fidem, cum nec ipſis Romanis nec alijs externis, qui mores illos obſeruarent vllus patuerit acceſſus, & ſuperius reiecta ſunt.

Ignominiæ de Cœlo, Solo, tellure, climate, qualitate, & quantitate Hiberniæ per nonnullos ſparſæ facileconfutantur ex dictis tota Sectione prima.

In Hibernia caſta connubia.

Quod addunt alij fabulatores iniqui in Hibernia adulterina vigere connubia, ſi de Orthodoxis loquuntur, excogitant potius ex cerebro ſuo quam ex facti veritate, vtinam in alijs multis partibus tam ſancta & caſta eſſent coniugia, thori tam immaculati, quam ſunt in Hibernia certe ibidem adoleſcens ex viris externis ipſe audiui, etiam cauponas & coquas in Hibernia eſſe caſtores, quam alibi forte mulieres non infimæ notæ, id ipſum poſtquam inde diſceſſi in Ciſmarinis partibus, ex alijs, qui bonam Hiberniæ partem peragrarunt, audiui.

Vitia

Vitia autem quæ vel contra ſacramentorum ritum, vel Eccleſiaſticæ diſciplinæ normam in Iberniam irrepſerunt. S. Malachias Apoſtolicæ Sedis Legatus extirpauit, vt in illius vita S. Bernardus teſtatur opus exercetur, inquit, legationis, multis in locis celebrantur conuentus multi, ne qua regio ſeù portio regionis legationis fructu, & vtilitate fraudetur . . . nec modo vetera inſtaurantur, conduntur, & noua, & quæcumque promulgauerit, tamquam cœlitus edita tenentur, ſcripto mandantur ad memoriam poſterorum.

Addit idem Sanctus in Hibernia tunc ſacramentorum ritè ſolemnia celebrari, confeſſiones fieri, ad Eccleſias plebes conuenire, reformatos fuiſſe vbique mores Chriſtianæ religionis eamque vbique plantari, propagari, foueri. Subidem tempus in Concilio Caſſelienſi ſtatuitur, vt fideles per Hiberniam repudiato cognatorum, & affinium contubernio legitima contrahant matrimonia, quibus diſpelluntur Cambrenſis contra Hiberniam calumniæ, de abuſibus ibidem graſſantibus, qui ſanè non in ſola Hibernia (ſi qui ibi fuerunt) ſed in multis alijs Europę partibus ſerpebant, vt ex Eccleſiaſticis ſanctionibus pro reformatione morum inducenda editis conſtat. Diſciplinæ reformatio.

Addit Giraldus, & ex eo alij Hibernos inermes, & nudos cũ Hoſte congredi ſolitos eſſe, vbi ſibi ipſi eſt contrarius, qui paulò ante conſuetas olim Hibernorum veſtes numerat ſcilicet *Capucia. Braccas, calligatas* ſeù *caligas Braccatas*, & *Phalingam*: quis credat Hibernos inter priuatos parietes ſuis indumentis vſos, ijſdem abiectis nudos ad bella procedere, ac ſi domi algerent, foris ita æſtuarent, vt tegumentis non indigerent, nunc more Gallorum veſtiuntur: arma autem quibus pugnam inituri, inſtruebantur. Giraldus ipſe recenſet. Tribus (inquit) armorum generibus vtuntur, lanceis, non longis, Iaculis binis, & ſecuribus amplis, fabrili diligentia optimè calybatis, lapides quoque cum alia defecerint hoſtibus in conflictu damnoſiſſimos præ alia gente promptius, & expeditius,

ad manum habent, non ergo inermes pugnant, alias ineptias Hibernis obiectas Gratianus Lucius refutat, ostenditque eos esse Hospitales regi, & iudicijs obsequiosos, optimos subditos, bellicosos, fidos, non periuros non inconstantes, non fraudulentos, & de his hæc pauca sufficiant.

CAP. IX.

Hiberniæ Promontoria, sinus, Portus, Mineralia. Lageniæ Promontoria, sinus Portus maiores, & minores.

ORdinem solis hic etiam obseruamus incipientes ab Oriente, & deinceps, propè Dublinium à parte Septentrionali sinus Dubliniensis extat Promontorium in editum assurgens, vnde Walliam conspicere possis Isthmo continenti iunctum quatuor millia passuum habens in circuitu.

Promontoria, & sinus Lageniæ.

Inde versus Meridiem, & VVexfordiam occurrit Promontorium de Bray à sinu Dubliniensi sex milliaribus ab Oppido, & Portu de VVicklo sedecim milliaribus excurrens.

Promontorium *VVicklo* propè illud Oppidum inde sex milliaribus distat, Promontorium *Missan*, hinc sequitur, Promontorium de *Glaskernium* siue *Arklo* hinc duodecim milliaribus passuum succedit Promontorium de Glaskarike Gallice *Pont-bleuè*, hinc per eandem distantiam sequitur Promontorium VVexfordiense inde sex mill. adest Promontorium Greenore.

Portus minores Lageniæ ac minus tuti sunt *VVicklo*, & *Arcklo*, sinus vero tot sunt quot numerauimns Promontoria, Portus magis frequentati sunt Dubliniensis, VVexfordiensis, & Rosspontensis;

Promo-

Momoniæ Promontoria ſinus, & Portus maiores, & minores.

Promontorium Ardmore, Promontorium de Kinſale, Promontorium de Baltimore, Promontorium de Clare, Promontorium de Dorſis. Momoniæ.

Portus Youghell,& de Trallie inter minores numerantur ſequuntur alij inſignioris, VVaterfordienſis, Corcagienſis, Kinſale, Clandore; *Roſſe-alitry*, *Caſtle*, *Baltimore*, *Douuanis*, *Langerf*, *VViddie*, *Beache*, *Beantrie*, *Meure*, *Dingle-Icouch*, *Ventrie*, *Dinglebey*, *Smeridicke*, *Sinmirienſis*.

Sinus Equant numerum Promontoriorum.

Promontoria Portus, & ſinus Prouinciæ Conaciæ.

Minora Conaciæ Promontoria ſunt *Caleco*, *Brain*, *Cau-lene*, *Can-jores*, *Can-Killaloy*, *Can-moin*, maiora ſunt *Clupis*, *Sline*, *Aſtkill*, *Tellin*. Conaciæ.

Portus inſigniores huius Prouinciæ ſunt Galuia Portus de *Ackill*, Portus dictus Anglice *Broad-hanen*, minores Portus minuſque frequentati ſunt Portus de *Tellin*, de *Baleshanon*, *Sligo*, *Mayonenſis*, *Dendrigo*, & *Niſſadoy*, boni ſed difficilioris ingreſſus, habet etiam Conacia tot ſinus quot habet Portus.

Promontoria, & Portus, ſinuſque Prouinciæ Vltoniæ.

Promontorium dictum *Horne-head*, è Conacia in Vltoniam deſcendenti occurrit, ſequitur Promontorium de *Eniſton*, *Cloch-ſtoccan*, *Far-forland*, *Knock-fergus*, ſiue *Petra-ferguſsij*, Promontorium Sancti Ioannis, Anglice *St. Iohn*, *Dundrom*, Carlingfordiæ. Vltoniæ.

Portus comodiores *Kallebecq, Dovvnegall, Logh-foile*, siue lacus Foile longus 12. mill. pass., latus 6. mill., lacus Suillie, siue lacus Suillæ, capax mille nauium, Portus Anglice dictus *Sheepshanen*, *Derensis*, Anglice *Londonderry*, Portus rupis, vel Petræ Fergussij in magnum sinum protensus 12. mill. largus, sed introrsum pergens ad Oppidum de Belfast, ab eius ostio 16. mill. distans, coit angustius, in maiores coit angustias, vbi recipit exiguum fluuium minorum nauicularum tantummodo capacem. Sequitur Portus de *Strang-ford*, postea Portus Carlingfordiæ vterque difficilis aditus.

Portus minores, & incomodiores sunt *Drogheda*, seu Pontanensis *Dundalk*, Portus de *Band*, *Baltree*, *Ordfleet*, *Arglas*, *Dondrum*. Sinus insigniores sunt quinque vel sex. In tota Hibernia sunt quinquaginta circiter Portus maritimi, ex quibus magis frequentati sunt circiter viginti.

Mineralia quæ reperiuntur in diuersis Hiberniæ partibus.

Argenti fodina.

In Prouincia Vltoniæ, & Comitatu de Antrim extat insignis argenti fodina, ex qua è triginta plumbi libris, eruitur libra vna metalli puri argentini.

Altera argenti fodina habetur in Conacia, propè Oppidum de *Sligo*, in ipso ostio Portus.

Tertia argenti fodina inuenitur in Momonia, in Comitatu de Tipperarij, in Baronia Ormundiæ in Parochia de Kilmore, propè arcem de Pamincillie distantem 12. mill. pass. Limirico, & 60. milliaribus Dublinio.

In Lagenia etiam in Comitatu Reginæ exstare aliam argenti fodinam, quorundam est opinio.

Plumbi fodinæ.

In omnibus prædictis locis extant etiam plumbi fodinæ, vt asserit Gerardus Boate in sua Historia Naturali Hiberniæ, in Gallicum Idioma traducta, & Parisijs impressa anno 1661. qui addit in Prouincia Vltoniæ,

& Comitatu de Tiroen, in Monte dicto *Slevv-gallen*, exſtare auri fodinam, hoc argumento ductus, quod in riuulo inde emanente inuentum fuerit aureum metallum, & omnes penè Hiberniæ montes varijs abundare fodinis.

De Marmore.

In Comitatu Kilkenienſi in Lagenia, eſt Latomia marmorea diuerſi coloris, in Comitatu de Dunegall, eſt altera, item marmorea.

Variæ etiam in Hibernia ſunt ferri fodinæ, in Vltonia in Comitatu de Fermanagh, ad latus fluuij ſiue lacus *Earne*, in Comitatu de Cauan, in loco vocato *Doubculliæ*, in inferiori parte Comitatus de *Tiroen*, propè fluuium Liſhan, & lacum Neaghe, in Comitatu d'Ardmach ad pedes montis *Sleu-gallen*. In Lagenia in Comitatu Regis propè montem dictum *Mount-melÿcke*, in Comitatu Reginæ duobus mill. à *Mountrath*, & pluribus locis in Momonia: Ferri fodinæ.

In Tuamonia Comitatu de *Clare* propè Limiricum, in Prouincia Conaciæ Comitatu de Roſcoman propè lacum d'Aslen, in Comitatu de Letrim, à parte Orientali prædicti lacus, vbi montes adeo abundant ferreis metallis, vt vocentur Montes Ferrati, & Ioannes Boat, ait, ex præfatis mineralibus confici optimum ferrum.

Sunt in Hibernia plures fabricæ ferrariæ, in quibus ferrum cuditur nempè duo in Conacia in Comitatibus de Roſcoman, & Letrin, in Prouincia Momoniæ, in Prouincia Vltoniæ, in Prouincia Lageniæ, aliæ plures.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

De forma Imperij olim apud Hibernos deque serie, & successione Regum, ab anno mundi circiter 2488. *vsque ad Christum natum, & inde ad annum* 1200. *deque celebrioribus Hibernorum bellis, & rebus gestis.*

Hibernia olim Regnum.

CRasse nonnulli errarunt arbitrati Hiberniam ante Mariæ Reginæ tempora sub initium nempè sæculi decimi sexti Regni titulo non fuisse potitum, qua in re quam Hallucinentur ex dicendis constabit.

Imperij forma in Hibernia.

Prima Regiminis species fuit Pentarchia, hinc orta quod tertia mundi ætate, vt referunt vetusta Hiberniæ monumenta quinque Germani Fratres amplissimi, & clarissimi Viri *Gandius*, *Genandius*, *Sagandius*, *Rutheragus*, *& Slanius*, ex Græcia mare præteruecti, & armata instructaque classe in Hiberniam appulsi, eam incultam, & incolarum paucitate laborantem, inuentam concordibus votis in quatuor distribuerint Prouincias, assignata *Slanio* ætate minori portione Midia nuncupata, sed successu temporis dimicantibus de Imperio ex æmula riualitate fratribus, & in ea contentione, cæteris partim fugatis partim extinctis *Slanius* natu minimus victoria superior euasit, à quo Regum in Hibernia originem ducunt Patriæ scriptores, à profundissima (vt Camdenus ait) *antiquitatis memoria, Historias suas auspicantes à Deo, vt præ illis omnis omnium gentium antiquitas sit nouitas, & quodammodo infantia.* Et licet Pentarchia illa in quinque diuisa Principatus deinceps perdurauerit, atque adeo quatuor, ac subinde quinque essent in Hibernia Reges, siue Reguli, vti in Hispania, & Anglia in plura diuisa regna multis sæculis videre licuit, vnus tamen velut supremus Monarcha toti regno Imperabat. Horum igitur Monacharum ordinem, vt sequitur Statuo.

Slanius primus Rex.

CAPVT PRIMVM.

Series Regum Hiberniæ ante, & post Christum natum.

CIrca Annum mundi 2484. si antiquis Hiberniæ fastis adhibenda sit fides, à Diluuio anno 828. Aaronis anno 24. Moysis 21. Imperij Assyriorum 553. ante Christum natum anno 1569. ante Vrbem conditam anno circiter septingentesimo.

Anni quibus regnarunt Hiberniæ Reges,

Slanius primus Monarcha renuntiatus est qui vno post inaugurationem suam anno, regnandi viuendi que finem fecit, humatus vt fertur propter Midiæ montem qui hodierno etiam die Slanij mons vocatur: eo sublato cœperunt inter se superstites de regno digladiari, exemplo in filijs permansuro adeo pertinaciter, vt acquisitum sceptrum singulis propè modum regibus fuerit vitæ amittendæ occasio, vsu apud gentilem ambitionem receptissimo, cui tum in Græcorum, tum in Romanorum Imperio indultum sæpe reperies, in quo Galbam sustulit Otho, Othonem Vitellius, Vitellium Vespasianus. Ita plerosque Hiberniæ reges gentilismi tempore Penatalionis secuta est: in posterum tamen non ordinem successionis vel annorum, sed Alphabeticum obseruabimus.

A.

ADamarius.
Aydus Rufus.
Aydus filius Ainmiri.
Aydus Slanius.
Aydus Varignachus.
Aydus Ollamus.
Aydus Ordinitius.
Aydus Finliach.
Aengusius Ollam.
Aengusius Turmechus.
Aengusius Olmuchadius.
Aililus, *vide* Ollilus Aldergodius.
Anmirius.
Argetmarus.
Arturus Imlech.
Arturus filius Lugadij.
Arturus filius Constantini.

B. Bau-

B.

BAucadius.
Berngalius.
Blathmacus.
Boethanus filius Muchertachri.
Boethanus filius Nemedi.
Breasrius.
Bressalius.
Bressius.
Brianius Borumus, siue Boarius.

C.

CAtherius Magnus.
Cobtachus.
Colbadius.
Collaus Vais.
Colmannus.
Conallus cognoment. Columrach.
Conallus II.
Conangius Begaglach.
Conarius.
Conarius Magolamhi fil.
Conchonarius Abrarupdh.
Conchonarius Aidi filius.
Congalus Clarinech.
Congalus cognoment. Rinmagar.
Congalachus.
Comailius.
Constantinus.
Cormacus Vlfhada.
Crimthonus.
Crimthonus Nianarius.
Crimthonus Cosgrach.

D.

DAthisias.
Dialbothus, siue Delvartus cogn. Grananouq.
Dermierus Primus.
Dermierus II.
Dermierus III.
Ditorbus.
Domnaldus I.
Domnaldus II.
Domnaldus III.
Domnaldus IV.
Domnaldus V.
Donatus Primus.
Donatus II.
Donatus Obrien.
Duachus Finn.
Duachus Laydreach.
Duachus Caltadeagach.

E.

EDixscelus.
Elimius.
Elimius Conrachi filius.
Endeus Argdeach.
Endeus Dearq.
Endeus Aignehach.
Eocodius I.
Eocodius Frater.
Eocodius Eedhohach.
Eocodius Fiberglas.
Eocadius Mumho.
Eocodius Optach.
Eocodius Varcheas.
Eocodius Fiadminius.
Eocodius Ollilli filius ibid.
Eocodius Athleaham.

Eoço-

Eocodius Fayleach.
Eocodius Aremh.
Eocodius Gonathius.
Eocodius Mogmedonius.
Eocodius filius Donaldi.
Erimonius.
Erius.
Ethralius.

F.

FAchtneus.
Fethlemidius Raeht-mor.
Feradachus Finfachtnaus.
Fercorbus.
Fergallus.
Fergna.
Fergusius Fortamalins.
Fergusius Dubhahedach.
Fergusius Muchertachi fil.
Feron.
Fiachus I.
Fiachus II.
Fiachus Labrinius.
Fiachus Finschoacq.
Fiachus Finola, ibid.
Fiachus Tolgrach.
Fiachus Fidfaladius.
Fiachus Irubtenus.
Fiatachus Finnius.
Finnachtus I.
Finnachtus cogn. Fladeach.
Finnius.
Flabertachus.
Flanus Sillius.
Foggenius.
Fogartachus.
Fotadius Arghteach.

G.

GEmnius, & Gennanius.
Gedius Olgohach.
Gileadius.

H.

HEberus.
Hugonius Magnus.

I.

IErengleus.
Inathmarus.
Irielus Vates.

K.

KErmna, ibid. Kellachus.
Kenfaladius.
Kinbaithus.
Kynaithus.

L.

LAgneius.
Lanradius Longsecus.
Leogarius Lorius.
Leogarius Secundus.
Longsecus.
Lugadius Longimanus.
Lugadius Iargon.
Lugadius Laimhdeanh.
Lugadius Laighde.
Lugadius Luagneus.
Lugadius Sriabhneardh.
Lugadius filius Leogarii.
Lugadius filius Mauoni.
Luigneus.

M.

MAccuil Macgrein Macceigth.

Macha Regina.
Malachias I.
Malachias II.
Malius.
Melgeus.
Modcorbus.
Moelchobus.
Mummeus.
Munemonius.
Murchertachus I.
Muchertachus II.
Muchertachus III.
Muredachus Bolgrach.
Muredacus Tireach.

N.

Niellus Naoghialach, ſiue Nouiobſes.
Niellus Fraſſach, ſiue Nimboſus.
Niellus Calneus.
Niellus Gluindubh.
Nieſe Demaianus.
Nuadus Argîthlamh.
Nuadus Finfail.
Nuadus Neacht.

O.

Ollamius Falla.
Olillus I.
Olillus Finnius.
Olillus Casfiachach.
Olillus Molt.
Orbaus.

R.

Rechtachus.
Rimaldus.
Rodericus I.
Rodericus II.
Rodericus III.
Rothechtachus I.
Rothechtachus II.

S.

Sachnaſachus.
Sedneus Primus.
Sedneus Ineuraidh.
Seugannius.
Simon Brecus.
Sirlamius.
Sirnaus Saolach.
Slanius.
Slanollus.
Sobarchus.
Subneus Mennus.

T.

Terdelachus Obrien.
Terdelachus Oconcabheur.
Tighermaſius.
Tuathalius Techmarius.
Tuatalius Secundus.

Præter quos, quatuor vel quinque, illæ Prouinciæ Lagenia, Momonia, Conatia, Vltonia, Midia. Suos habuere Reges.

Man-

Mantiſſa de Regibus Angliæ.

ANgliæ Reges ex regio Hibernorum Monacharum ſanguine deſcendere oſtendit Gratianus Lucius in Cambrenſi euerſo Cap. 27. eos per triplicem lineam, & aſcendentes gradus deducens ad Erimonem Mileſij filium, incipiens à Iacobo Primo, Mariæ æternæ memoriæ Reginæ filio ſurſum ad Ferguſſium, ac deinceps ad Regium Hiberniæ ſatum, deindè ab eodem Iacobo gradatim eos deducit ad Lagenię Reges, per Euam vltimi Regis vnicam filiam Comiti Pembrochiæ matrimonio iunctam, ſimiliter eoſdem per tertiam lineam deducit ad Memonię Reges. Ita vt trium Regnorum Angliæ, Hiberniæ, & Scotiæ, regius ſanguis coeat in vnum Iacobum Secundum, eorumdem regnorum, legitimum Auguſtiſſimumque Monarcham hodie regnantem, de quo fuſior alias ſermo.

CAP. II.

Inſigniora quædam bella per veteres Hiberniæ Reges geſta.

GIraldus Cambrenſis, vt habet Gratianus Lucius Cap. 8. Hiberniæ Regibus exprobrat ſe in ijs pauca inſignia, & memoratu digna reperire; melius tamen eorum potentiam, & bellica faſcinora inueſtigaſſe videtur Author Gallus anno 1665. impreſſus Geneuæ, qui tit. de Hibernia ſcribit, eos in regnum Britanniæ, quæ nunc vocatur Anglia, tam frequentes feciſſe incurſus, vt niſi Saxones auxiliares ſuppeditarent copias, Hiberni illos ſubiugarent, ego vero in hac re nec Hiberniæ nimium indulgebo, nec vicinæ Brittanniæ ſic olim dictæ laudi quidquam detraham, veritatem ſincere refe-

ram ex authoribus magis probatis, S. Patricij in Hiberniam adventui vicinoribus, pauca tamen, vt Giraldum ficut in alijs, ita in hoc erraſſe demonſtrem.

Scoto-Hiberni inuadunt Britanniam, nunc Anglicam vocatam.

Sub Imperio Conſtantini Chlori patris Conſtantini Magni, fit mentio de excurſibus quos Hiberni, vna cum Pictis, cum quibus olim erant arcte fœderati fecerunt in Britanniam; idque apud Eumenium Panegyrico decimo de Conſtantio, vbi confert Cæſaris ingreſſum, & victoriam in Britannia cum expeditione Conſtantij: *Sed omni illa ætate*, inquit, *nec Brittannia vllis erat ad nauale bellum armata nauigijs*, & infra, ad hæc natio, etiam tunc rudis, & ſoli Britanni Pictis modo, & Hibernis aſſueta hoſtibus.

Ita in ſecundo.

Rurſus anno trecenteſimo ſexageſimo circiter teſte *Amiano Marcellino* lib. 20. cap. 1. *Conſulatu Conſtantij* (filij ſcilicet Conſtantini Magni) *decimo*, inquit, *tertioque Iuliani in Britannijs cum Scotorum* (Hibernienſium videlicet) *pictorumque gentium ferarum excurſu rupta quiete condita loca limitibus vicina vaſtarentur, & implicaret formido Prouincias &c. vnde habes ſecundam Hibernorum in vicinam Britanniam expeditionem*.

Et tertio.

Sub hoc idem tempus Scoto Hibernos inuito Lupicinio Romanæ militiæ in Britannia duce, noua colonia ita pedem in Septentrionali Britanniæ parte fixiſſe, vt deinceps proceſſu temporis, per varia incrementa tandem imperium ſibi poſteriſque firmauerint refert Alfordus, quem vna cum alijs pluribus libris, è ſelecta ſua Bibliotheca mihi liberaliter commodauit Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus, nec non eruditiſſimus Dominus Ioannes Ciampinus Romanus, Magiſter Breuium gratiæ, maioris præſidentiæ abbreuiator, in vtraque Signatura Referendarius de re litteraria, optimè meritus, & etiam de me vt inter præcipuos mœcænates mihi numerandus ſit, de quo gratitudinis ergo breuem hanc mentionem facere volui.

Sub annum trecenteſimum ſexageſimum quartum,

vt

vt habet Gildas, Britanniam hactenus Catholicam Arianismus veneno sui infecit erroris, hanc perfidiam castigat Deus immissis iterum in eam Scoto-Hibernis, Pictisque, sub Imperio Valentiniani, & Valentis sic *Ammianus Marcellinus* lib. 26. narrat, *Pictos, Saxones, Scotos, Attacotos Britannos ærumnis vexasse continuis*: & lib. 27. *Attacoti bellicosa hominum natio, & Scoti per diuersa vagantes, multa populabantur.* Inuadunt quarto.

Sub annum 393. sub Imperio Valentiniani, & Theodosij Scoto-Hiberni nostrates, Pictique rursus Britanniam teste Fabio Ethelwerdo inuadunt: *Habitante*, rursus inquit, *plebe incuriosè causa firmitatis intra fossam, quæ à Seuero Cæsare condita erat, insurrexerunt gentes duæ Picti scilicet ab Aquilonali plaga, & Scoti ab Occidentali contra eos cum exercitu vastantes eorum possessiones: & sic per multa annorum spatia innumerabili eos miseria afflixerunt. Hæc ille.* Patriam vtriusque præfatæ gentis distinguit Scoliastes, siue glossator Gildæ sapientis, apud Vsserium pag. 593. viuus vt videtur eo tempore, quo Albania post sæculum decimum cæpit Scotia nuncupari: *Quia Scoti* inquit, *tunc temporis in Hibernia habitabant, & Picti in Scotia id est ab Aquilone.* Rursus quinto.

Ante prædictum tempus sub annum 379. Imperantibus Gratiano, & Valentiniano Rex Hiberniæ gerens bellum cum Romanis in Britannia, teste Fordono viribus impar coactus fuit, per Legatos pacem à Maximo Romano Duce petere; quam impetrauit, legatis tamen duriter obiurgatis, *quod hostibus contra Romanos*, verba sunt Fordoni. *Romanorumque Socios, & confæderatos, auxiliares copias miserint in Albionem, præsertim cum ad eum vsque diem Hibernia sola, inter orbis regna Romanis armis manserit intacta.* Eandem diu ante inuaserunt. Hibernia Romanis armis intacta.

Item sub Imperio præfati Gratiani, vna cum Valente regnante: *Hiberni Britanniam*, teste Gilda, *omni armato milite, militaribus copijs, rectoribus licet immanibus, ingenti iuuentute spoliatam, vna cum Pictis infestant* Sexto inuaditur Britannia.

vnde

vnde duabus his gentibus, tunc ex eodem Gilda, calcabilis multos ſtupuit, gemuitque annos.

Sub Imperio Valentiniani, & Theodoſij, in vita 2. & 3. Sancti Patriclj fit mentio frequentis Scoto-Hibernorum in Britanniam incurſus. *Cauſa*, inquiunt illæ vitæ, *primæ peregrinationis, & aduentus eius (Patricij) in Scotiam hæc erat, Scotenſis exercitus Claſſe de more conducta, ſtipataque multitudine nauium cum frequenter tranſnauigaſſet in Britanniam, multos inde ducebat captiuos, & hoc item ſolito faciens caſus contulit, vt puer cum ſorore ſua inter alios captiuos duceretur in Scotiam. Scotiæ verò nomine hic intelligi Hiberniam*, Patricius *in ſua confeſſione Cap.* 1. *apud Henſchenium expreſſit, & in Hyberionem adductus ſum in captiuitatem.*

Frequens Hibernorũ in Britanniam incurſus.

Claſſis quoque Hibernicæ in Britanniam hiſce temporibus appulſæ Claudianus meminit, ita loquentem Britanniam inducens lib. 2. de laudibus Stiliconis.

Claſſis Hibernica in Britanniam ſoluens.

Me quoque vicinis praeuntem gentibus, inquit,
Muniuit Stilico, totam cum Scotus Iernem
Mouit, & infeſto ſpumauit remige Tethys.

Rurſus eiuſdem Stiliconis proſequens Encomium canit:

Illius effectum curis ne bella timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne littore toto
Proſpicerem dubijs venturum Saxona ventis.

Reges Hiberniæ, & in Brittanniam Armoricam olim dictam Letauiam, & in Gallias irrupiſſe, ſcribit Gratianus Lucius in Cambrenſi euerſo Cap. 8. idque colligit ex Sancto Hieronymo lib. 2. contra Iouinianum, & Nellum noui obſidem Hiberniæ Monarcham, in fines Armoricos, circa Ligerim amnem bello graſſantem, venenata ſagitta, ex inſidijs confixum occubuiſſe circa annum 400. ex monumentis Hibernię commemorat.

Hiberniæ Reges in Aremoricã excurrunt.

Et ne longius à propoſita breuitate diſcedam, hic poſtremo loco acerrimam illam Hibernorum in Britanniam incurſionem adduco, quam ex Gilda Camdenus,

Viſe.

Vſſerius, ac tandem Alfordus ad annum Domini 446. referunt. Eam ſtylo acriore Gildas ennarrat: *Tetri Scotorum*. inquit, *Pictorumque greges, moribus ex parte diſſidentes, & vna eademque ſanguinis fundendi auiditate concordes.... cognita condebitorum reuerſione, & reditus denegatione, ſolito confidentiores, omnem Aquilonarem, extremamque terræ partem, pro indigenis muro tenus capeſſunt ſtatuitur ad hæc in edito arcis ſegnis ad pugnam inhabilis, & trementibus præcordijs inepta, quæ diebus ac noctibus ſtupido ſedili marcebat. Interea non ceſſant vncinata nudorum tela, quibus miſerrimi ciues, de maris tracti ſolo allidebantur. Et infra, quid plura? relictis ciuitatibus, muroque celſo, iterum illis fugæ, iterum diſperſiones, ſolito deſperabiliores, iterum ab hoſte inſectationes, item ſtrages accelerantur crudeliores. Hæc Gildas, de illa inuaſione quæ adeo fuit immanis vt coegerit Britannos teſte eodem ſequentes exarare litteras.* Acris Hibernorum Pictorumque in Britanniam inuaſio.

Ælio ter Conſuli Gemitus Britannorum, repellunt nos Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros: inter hæc duo genera funerum, aut iugulamur, aut mergimur nec pro eis quicquam adiutorij habentes. Britannorũ lamentatio.

Acerbam hanc calamitatem præceſſerunt prouocaruntque, teſte Gilda plebis corrupti mores, cleri vitia, collapſa diſciplina.

Si hactenus adducta inueniſſet, vel legiſſet Cambrenſis non ita craſſo duceretur errore, vt tam confidenter diceret, ſe in regibus Hiberniæ nihil inſigne, vel memoratu dignum inueniſſe.

Catholicos Hiberniæ Reges ſicut alios eiuſmodi Principes ad Concilia OEcumenica inuitari ſolitos fuiſſe, conſtat ex litteris Conuocatorijs Innocentij III. ad Concilium Lateranenſe quartum, quæ incipiunt, *Vineam Domini Sabaoth*. Eos vngi conſuetos fuiſſe, oſten- Reges Hiberniæ, ad Concilia vocari ſoliti.

dit

dit Gratianus Lucius pag. 91. & 312. vbi 25. Reges Hiberniæ pietate, & sanctitate insignes enumerat.

Hiberni Proceres in Palæstinam profecti ad gerendum bellum sacrum.

Regni Hiberniæ Proceres olim crucem suscepisse in Palæstinam se contulisse, vt eam è Turcarum tyrannide liberarent, & pax in toto Orbe seruaretur, constat ex litteris Gregorij IX. datis Viterbij Pontificatus sui anno vndecimo ad Archiepiscopum Dubliniensem, Episcopum Midensem, Archidiaconum Kenaunensem seu Kenlisæ in Midia quibus præcipit, vt sub censuris inhibeant ne quis terras, possessiones, vel bona prædictorum Procerum, & Baronum inuadat, vel retineat quamdiu in illa sancta expeditione forent occupati.

Hæc pauca è multis Regum, procerumque Hiberniæ rebus gestis, ad obstruenda obloquentium ora recensere volui, quæ fusius in annalibus prosequi animus est.

CAP. III.

Aliquot Hiberniæ Reges, Prouinciarumque Reguli, Pietate, & Sanctimonia insignes enumerantur ex Gratiano Lucio.

Pietas Regum Hibernorum.

Iocelinus c. 174.

Decimatio hominum, pecorum, & equorum.

QVanta fuerit complurium Hibernorum Principum erga Deum pietas, vel ex hoc documento eruere licet, quod in primo illo Christianæ Religionis ardore decimo quoque vtriusque sexus diuini numinis cultui iam mancipato decima quoque agrorum, & armentorum pars ijsdem alendis destinaretur amplam hanc largitionem largiendi etiam studio superantes, cum quatuor equorum passus ijs erogandus qui per ventura tempora Ecclesiasticorum numero aggregarentur, non esset reliquus, si quam in conferendis agris Hiberni liberales erant, tam in ijs recipiendis S. Patritius exorabilis esset. Vt non solum eorum facta magnam pietatem, sed etiam stu-

ſtudia maximam ſapuerint. Superuacaneum [illegible] om-
[illegible] omnium Hiberniæ Regum pia facta hic [illegible],
aut quam innumera ipſi per ſe aut alij eorum [illegible]
incitati Templa, & Monaſteria condiderint [illegible]
[illegible] in Hiſtoriam texo, ſed breuem [illegible]
nem ad inuidioſi Æmuli Conuitia compeſcenda [illegible]
Quare quædam tantum ſpecimina pietatis, ab [illegible]
quibus edita exhibeo; Nellum illum nou[illegible] [illegible]
ſolùm Chriſtiana religione imbutum [illegible] vir
etiam ornatum fuiſſe id euincit, quod cada[illegible]
quam integritatem primo ſepultum habuit, [illegible]
mo poſt centum annos effoſſum retinuerit. [illegible]
Carnekus Tulenſis Antiſtes lepra infectus [illegible]
cophago immittens lepra immunis euaſerit. [illegible]

Moelchobius Hiberniæ Rex Diui Columbæ, o[illegible] rediuiuus Monachis ſe aggregauit, deinde Clocherenſis Epiſcopus effectus, ac tandem inter ſanctos (vt aliqui ſcribunt) relatus eſt: eſſe autem Rex Hiberniæ deſijt anno Domini 610. Flabhertakus Hiberniæ Rex, poſt ſeptennium in regno poſitum, regno ſe anno Domini 729. abdicauit, & Armachæ diadema Cucullo mutauit annis deinde triginta in ſeueriori viuendi ratione actis tandem anno Domini 760. ad cœlos migrauit. Nelli Fraſſacq, id eſt nimboſi Regis Hiberniæ pietatem Deus etiam agnouit: *Cuius inſignem Principatum* fecit, cum caritas annonæ maxima, non ſolum regnum, ſed etiam regiam inuadens tum penuriæ remedium diuinitùs adhibitum. Nellus, & Epiſcopi ſeptem vitæ ſanctitate præſtantes, vniuerſorum laborem miſerati, ad numinis præſidium confugiendum ducunt. Flexis genibus ad Deum preces ab imo corde fundunt; ac Nellus diuinam miſericordiam orat, vt ſi regnum propter peccata fame puniebat, vel vniuerſorum culpam in ſe vno expiet, vel omnibus condonet alimenta quæque largiens, neque vana fuit præfatio. Namque mox pluit argento, veritate domi Rex, & lætior ingentes agit Deo gratias, & quod

[Margin notes: Flabhertaeus Idem. — Trias Th. pag. 172. num. 28. — Nelli Fraſſaki pietas. — Pluit argento, melle, & tritico.]

regnum non inopia argenti, sed inedia puniebatur, confidenter auxilium petere pergit suauissimi mellis in terram [illegible]ecidit plurimum. Duplicato munere Rex spem concipit firmiorem, agit Deo summas gratias, sed quod ad [illegible]randam vitam mel non sufficiebat, preces animo co[illegible]uat ardentiore breui tanta tritici copia ab æthere [illegible]titur, vt per Insulam terræ faciem [illegible]: Ita Hibernia non modo ipsa tritico præsentis mali r[illegible]lio abu[illegible]dauit, sed illud etiam potuit alijs regionibus sup-p[illegible], hinc Nellus Fressacq, id est nimbosus, ab ar[illegible]mellis, & tritici imbre cœptus est cognominari. [illegible]plicem autem illum imbrem cœlo decidisse an[illegible] Domini 764. liquet. Eo enim anno Hiberniam Tigernacus ait, defectione panis (sunt ipsissima ipsius verba) duobus scilicet ante annis, quam Nellus regio sceptro nuntium remittens in Hiam Sancti Columbæ Insulam peregrè secederet, vt saluti animæ comparandæ securius vacaret, vbi vitam, & pietatis exercitium ad octauum deinde annum, & salutis humanæ 773. protraxit.

Osullenanis vitæ Patricianæ lib. 10. c. 1.

Nellu[illegible] a[illegible]q abdicato regno.

Malachiam Moelruaui filium Hiberniæ regem regno, & vita anno Domini 860. functum, in Cœlum aduolantem Sanctus Corbreus Episcopus Clonmacnosensis aspexit. Malachiæ manibus ei se visendos præbentibus, & indicantibus se Purgatorij cruciatu torqueri, è quo innuit se eductum iri, si S. Corpreus, id à Deo præcibus fusis impetrare contenderet. Malachias Corpreo postulationi annuente, & voti, & æternæ gloriæ compos factus est.

Sed vt ad Regum pietatem oratione prosequendam, vnde Cambrensis in Malachiam maledicentia nos auocauit redeamus: Brianum Borrumhium Hiberniæ Regem, non solùm Reipubl. benè feliciterque administrandæ multa cognitio ac immensum eruditionis promouendæ studium, sed plurima etiam pietas exornauit, vt cuius impulsu ruinosæ Ecclesiæ

Ketingus lib. 2.

&

& vetuſtate collapſæ, aut hominum temporumue in-iuria dirutæ inſtauratæ nouæ, inſuper à fundamentis excitatæ ſunt. Qui etiam Eccleſiaſticos quoque per turbas à Danis excitatas ex Eccleſijs, & reditibus deturbatos ad priſtina iura poſtlimino reuocauit, præterea omnis ingenij, virium opum ac potentiæ neruos ad Religionem Catholicam ſartam tectam conſeruandam, & à Danorum iniurijs vendicandam intendit nulla pugnæ pericula declinans, quibus illorum furorem compeſceret, ac manus eorum à ſacris rebus damno afficiendis coerceret. Momoniæ tantum adhuc Rex Inniſcathiam à Danis Limricenſibus inſeſſam anno 975. armis expugnauit, profligatis, & illinc abactis Danicis copijs eorumque ducibus Imario, ac eius filijs Amlano Dubligenioque: Imo ſuſcepto ſemel Conatui Hiberniæ Danorum vnguibus bello eripiendæ, adeo mordicus continentur inſtitit, vt prælia prælijs annectere nunquam antea deſtiterit quam in pugna ad patriam, & religionem tuendam inita vitam denique poſuerit.

Briani Regis pietas.

Eius bellum cum Danis.

Huius deinde Briani filius Donatus Hiberniæ Rex, à non nemine dictus regno ſe abdicaſſe, & Romam Religioſæ peregrinationis obeundæ cauſa profectus eſſe, ad Diui Stephani Monaſterium ſeceſſiſſe, ibique arctiori viuendi rationi ſe addixiſſe reliquamque vitæ partem tranſegiſſe, ac tandem pio exitu vitam clauſiſſe narratur.

Pietas donati O-brien.

In Anonimi cuiuſdam Hiberniẹ annalibus penes me extantibus inquit Gratianus, Muchertachus Obrien Hiberniæ Rex Briani Borumhij pronepos in Clericatu vitam feliciter finiuiſſe dicitur, nimirum regno nuntium remittens religioſorum cœtui ſe aggregauit, nec ſoli totius Hiberniæ, ſed etiam Prouinciarum (vt nunc loquimur) Reges imbibendæ pietati ſedulo incubuerunt.

Muchertacus factus Religioſus.

Quando autem nebulas inquit idem regnorum in Hibernia enumerationi offuſas pro veribus diſpuli, expedit, vt aliquos ex hoc ſecundo Regum ordine virtutibus inſi-

gniter ex cultos lectori ob oculos ponam. Nec aliud est comparandæ ab aliquo virtutis argumentum apertius, quam vt eum vir exploratæ sanctitatis Cœlos adeuntem viderit. Cum verò Sanctus Columba ea sanctitate floruerit, vt Notkerus nulli eum post Apostolos, & mirabilem Martinum in Prophetiæ Doctrina, & miraculorum ostentatione, & Angelica visitatione videri secundum, affirmare non dubitet. Hic autem tantus, ac talis vir cum Ailillum Anbhanna Conaciæ Regem anno Domini 544. extinctum in Cœlum expiatorijs Purgatorij flammis non aditis aduolantem Angelo monstrante conspexerit. Quis eundem Ailillum pluribus virtutibus ornatum fuisse inficiabitur. Nec silentio prætereunda est pietas Aidi Erhdachi filij Conaciæ Regis, qui Enachdunam S. Brendano elargitus est, memorabili quoque pietate Cormacus Dermicij filius Lageniæ, seu potius Australium Lageniensium Rex præditus erat, qui regium fastigium, & opes vltrò delinquens, Benchorensibus Monachis S. Congelli disciplinis se imbuendum aggregauit, circa annum Domini 567. vt hinc eum fastis sanctorum Hiberniæ ad septimum Maij, adscriptum fuisse Colganus existimet: Alter quoque Lageniæ Rex Aidus niger sicut dignitate sic sanctitate plurima emicuit, vt qui à regio seculmine, ad Monasticam vitam Kildariç amplectendam spontè dimisit, ab hac tamen humilitate ad Abbatiam, & Episcopatum Kildariensem virtutum eius fulgore viam ad illas dignitates sternente postea elatus, deinde anno Domini 638. vita excedens in Cœlos, & sanctorum numerum relatus est.

S. Columbæ sanctitas.

50. id Iun.

Aililli Conaciç Regis sanctitas.

7. Iannuar.

Lageniæ Rex fit Monacus.

Colganus 4. Iun.

Alius Lageniæ Rex fit Monachus.

Idem. 28. Martij.

Kellachus Regalli filius Conaciæ Rex Aulicorum sibi famulantium cateruis se subducens Monachorum consortio se adiunxit quorum institutis obsequium deferre, quam longi clientium ordinis obsequijs frui maluit. Quæ res illi ex ergastulo corporis anno Domini 703. euolanti sicut maiorem securitatem, sic etiam gloriam æternam comparauit. Hunc apud Lokinniam coli existimo, quod in

Conaciæ Rex fit Monachus.

in annalibus dicatur Kellachus de Lockinne. Quæ Fiachnaus Andreonij filius Vltoniæ Rex pie egerit, ante attigi. Quare illa nunc Missa facio, superuacaneum esse ducens iterata eorum commemoratione lectori tædium creare. Is autem à pontibus condendis cognomentum Indrochet nactus anno Domini 739. floruit. Artgallius Cathaldi filius Conaciæ Rex, honore onereque regni posito, Monachorum ordinem iniens Hiam concessit, vbi octauo suæ peregrinationis, & Christi nati anno 786. caducam coronam, & vitam cum æterna corona mutauit.

Trias Th. p. 301.

Alius Conaciæ Rex fit Monachus.

Felimeus Crinthoni filius Momoniæ, vt suprà docui non Hibernię (vt Cambrensis credidit) Rex post Leichounniam prælijs, & prædis crebro quassatam, delictorum, & regiæ dignitatis fastidio captus ad rigidioris vitæ rationem ineundam animum adiecit. Quare splendorem regum Anachoretarum squallore mutauit, tam sęcundo successu, vt animam anno Domini 845. emittens cœlestibus adnumeratus pro sancto nunc colatur, qui viuus Anachoretæ, & optimi per illud tempus scriptoris titulum retulerat.

Momoniæ Rex fit Anachoreta.

Annal. num. 54.

Fiasmacthius Liubhmus Tumultachi filius Conacię Rex, Anachoretæ vitam postea sectatus, anno partus Virginei 846. è vita migrauit, qui sicut in exuenda regia dignitate, ac noua vitæ institutione capessenda Felimei egregius imitator extiterat, sic vno tantùm anno illi superstes, vestigijs illius in Cœlum abeuntis institisse videtur.

Rex Conaciæ idem.

Annal.

Dunlingus Muredachi filius Ruadbrachi Nepos, quindecim annos Lageniæ regno potitus, tandem anno Domini 867. Kildariensis Abbas obijt. Donallus Aidi Finbiathi Regis Hiberniæ filius, post vitam pie actam obijt in Clericatu anno Domini 911.

Lageniæ Rex fit Monachus.

Annal. & Cathaloga Regum Lageniæ.

* Cathaldi à rubro Carpo Conaciæ Regis memoria, hic non prætereunda est, quem patriæ legumque vindicem acerrimum inimicorum terrorem, fautorem Cleri,

Cataldus à rubro carpo vel pugno Conaciæ Rex fit Mochus.

Lib. 8. notitiæ Abbatiarum Ordinis Listerciensis p. 28.

Cleri, protectorem pauperum atque ſupra omnes ſui æui, & regni virtutum prærogatiua præclarum Gaſpar Iongelinus appellat, & poſt vxorem vita functam cælibem vitam duxiſſe, annoque ſalutis 1224. aſſumpto prius Ciſtercienſium habitu vita exceſſiſſe, ac in Monaſterio collis victoriæ, à ſe condito ſepulturæ traditum fuiſſe affirmat. Ille magnum ouium albarum gregem ſuprà ſe curſare per quietem vidit. Referenti ſomnũ Regi ad fuit probus atque pius Monachus, ex ordine Sancti Bernardi, qui confirmauit viſione oſtendi, Templum fuiſſe regio munere dicandum, in quo ſupra corpus Regis ſepultum, Monachi Diui Bernardi ambulantes, pro eius anima preces ad Deum funderent, Religioſi coniectoris interpretationem ſubtilem pia munificaque regis magnificentia ratam fecit, qui breui Monaſteria duodecim ſumptuoſa erigens cenſibus opulentiſſimis dotauit, ſingulorum autem tributa Comitis ſiue Marchionis dignitati familiæque ſuſtinendæ hodie paria eſſe Abbas Builliæ, ab hoc Cathaldo condita, Bernardus Ocullenanus retulit.

Patriciana decide p. 141.

Verùm non hos tantummodo annalium noſtrorũ ſcriptores, ſed alios etiam minoris potentiæ magnates Regum titulis inſigniuerunt, quos tamen Hiſtorici nuperi Dominos tantùm appellant, Latinorum ſcriptorum morem fortè ſpectantes, qui eadem ſignificatione Regem, & Dominum pluries protulerunt. Vtramque vocem hoc ſenſu Martialis vſurpat, ait enim:

Rex, & Dominus eiuſdem ſignificationis.

Lib. 1. Epig. 113.

Cum te non noſſem, Regem Dominumque vocabam
Cum benè te noui, iam mihi priſcus eris.

Communibus vocibus, & eundẽ ſenſũ referentibus ignotũ cõpellans. Eodem tendit aliud eius ad olum Epigram.

Lib. 2. Epig.

Quod te nomine iam tuo ſaluto,
Quem Regem, & Dominum prius vocabam
Reges, & Dominos habere debet,
Qui ſe non habet, atque concupiſcit,
Quod Reges Domini quæ concupiſcunt,
Serium ſi potes ole non habere,
Et Regem potes ole non habere.

Vt

Vt planè liqueat ſicut Dominum, ſic etiam regem nihil hic denotare quam eum cui ſeruus paret, ſicut, & in ſequente:

Nil facis, & ſeruum eſt alium mihi quærere Regem. Lib. 4. Epig.

Potentiorem ſcilicet patronum, cui poſt hac inſeruiam.

Eiuſdem notæ hoc etiam carmen eſt:

Sollicitus donas, Dominumque Regemque ſalutari.

Nimirum obuios quoſque huiuſmodi ſalutationibus excipiebat, quo etiam ſequens verſus refertur.

Qui me reſpiciat Regem Dominumque vocat. Ibidem. Epig. 84.

Quippe ſeruus Domino in ipſum conuertenti officioſam hanc Domini, ac regis compellationem defert, neque hinc ſequens carmen abludit;

Quæ te ſi iubeat, Rex Dominuſque neges. Lib. 10. Epig. 10. Lib. 12. Epig. 61.

Nec enim Roma Martiali ſuperſtes, magna Regum copia abundabat quæ pulſo Tarquino ſuperbo Regum iugum excuſſit, & ſicut dominationem regiam, ſic denominationem in priſtino ſenſu abrogauit. Vt Dauiſius, & poſt eum Seldenus, (hic in titulis honoris, ille in diſcurſu de Hibernia) ad imminuendam Regum Hiberniæ dignitatem protuliſſe videatur hoc Martialis carmen. Qui Rex eſt Regem maximè non habeat. Indicare volens quoſuis Hiberniæ Reges etiã Monarchas, Reguli tantum non Regis nomine inſigniendos eſſe, quod Regibus Angliæ aliqua ratione obnoxij fuerint. Cum ſenſus Martialis iſte ſit. Vt moneat eum qui ſerui alicuius Dominus eſt cuiuſuis Domini ſeruum eſſe non debere, vt rectè Laurentius Ramirez de Prado, ad hoc Epigramma dixerit. Notiſſimum eſſe Reges appellatos fuiſſe potentiores amicos. Non itaque Regis, aut nomen, aut gradus Hiberniæ Regibus adimitur, quod ſtata tributa Regibus Angliæ perſoluerint, & nullum ijs præterea obſequium Dauiſio ipſo teſtante detulerint, cum penſitatio vectigalis de ſuprema Regum poteſtate nihil Authore Bodino detrahat.

Lib. 1. Epig. 16.

Reges Hiberniæ Regum nomi inſigniendi licet Regibus Angliæ debita perſoluerint.

* Sicut autem recentiores noſtri Scriptores hiſce

mino-

De Rep. lib. 1. cap. 4.

minorum gentium Regibus, siue Regulis Dominorum nomen impertierunt, sic peregrini scriptores, eorum potestatem pro suæ quisque gentis ritu metientes, alij Comites, alij Principes illos appellarunt. Beda narrat Colmannum inuenisse locum in Hibernia aptum Monasterio construendo, qui lingua Scotorum Magio nominatur, & emisse partem eius non grandem à Comite ad cuius possessionem pertinebat &c. Et S. Bernardus ait: S. Malachiam in campo sedisse, cum Comite Vlidiæ aliqua tractantem &c. Qui S. Laurentij Dubliniensis Archiepiscopi vitam scripsit Comitis Kildariæ, mentionem facit illos etiam sæpius Principes Giraldus, & nostra memoria Ossulleuanus appellat. Ego statuendi discriminis gratia Regulos vocabo: Quorum potestas, vel hinc perspici potest, quod Dynastæ quos Hibernice Taosach dicimus multis illis Ordine inferioribus prçfuerint. Porrò ex his Regulis plurimi summæ probitatis, & pietatis imò, & sanctimoniæ specimen pluries dederunt. Eochodius Orgialliæ in Vltonia Regulus, cum nondum Christianæ fidei luce, perfusus animam exalaret, ad vitam, Religionem Christianam, bonamque frugem à S. Patricio reuocatus, postquam quæ beatorum gaudia damnatorumque tormenta viderat, ad circumfusos melioris vitæ studio, inflammandos accuratius enarrasset, cum baptismate iam suscepto vitæ, vel diutiùs pro trahendæ, vel illicò finiendæ optio illi fieret, maluit in Cœlos ad locum sibi paratum, è vestigio migrare, quam in terra minimam moram trahere. Simile beneficium Muredacho Pagano Huametiæ Orientalis Vltoniæ regionis Regulo S. Patricius præstitit, & regionis eiusdem regulus Moeldunius Gormgallij filius Clericatu inito mortem oppetijt anno Domini 824.

Hiber. Exp. cap. 14. & sequentibus.

Dinastagus.

Eulidię Regum in cœlos migrauit.

Huametiæ Regulus simili gaudio fructus.

Iocelinus cap. 82.

Damhinum Damhingardi filium Orgialliæ Regulum anno Domini 560. vita functum, & Feredachum Duachi filium Ossiriæ Regulum 22. post anno extinctium.

S. Co-

S. Columba in Cœlum abeuntis, & ad ignem Purgatorij in deſcendentis vidit. Alius fit Clericus. Trias Th. p. 399.

Ille decantatiſſimus Hiberniæ Rex Brianus Borumhius Tritaui patrem habuit Theodoricum, vulgo Terdelacq Dalgaſſiorum Regulum, vel potius Borealis Momoniæ Regem, qui anno ſalutis 690. poſtquam om s ſuæ ditionis Inſulas peregrinis incolendas conceſſerat honorum titulis, & interituræ pompæ nuntium remittens Liſmoriam conceſſit, & Monachorum cætui illic ſe adiunxit, ita vt (Deo labore eius ita gratos habente) cuidam eius ſudore ſe abluenti ſanitatem impertierit. Colganni 22 Ianuar. Anal. Valgaſſiorũ Regulus fit Monachus.

Moelbraſſellus Carnoighi filius Mogdorniæ Regulus honores, & opes deſerens in religioſorum quibus ſe pridem aggregauit, conſortio diù commoratus ferro Danorum anno Domini 847. interijt. Mogdorniæ Regulus fit Monachus. Anal.

Moeldunins Aidi Ornij Regis Hiberniæ filius, Orlighiæ Regulus, poſt diuturnam inter Religioſos quorum ordinem inijt permanſionem anno Domini 865. è vita migrauit. Orligæ Regulus, idem. Anal.

Moelbridius Spelani filius Conalliæ Regulus anno Domini 867. & Donaldus Aidi filius Kenelle Ogariæ Regulus, anno Domini 882. Religioſis aſſociati obierunt. Conalliæ Reguli Monachi. Ibidem.

Donatus Callachi filius Oſſiriæ Regulus, & Donati Flauni filij Regis Hiberniæ ſocer, vir erat ſumma pietate præditus; is enim aſſiduam precibus ad Deum fundendis operam dare animi ſordes confeſſione ſæpius eliuere, ſacra Sinaxi crebò ſe munire conſueuit. Apoſtolorum per vigilijs in primæ notæ, per Oſſiriam Eccleſijs ſtipem egenis largiorem conferri, inter amicos etiam plures parentibus orbos, aut alios pauperes enutriri, in ſingulis totius Oſſiriæ domibus tres vtres comparari curauit in quorum vnum decimam edulij ſui partem ſinguli recondebant. Genero autem ſuo qui regnum anno Domini 918. inijt, 942. finijt ad

Hiberniæ clauum ſedente vltimum Donatus ſpiritum emiſit.

Huagniſolach, & Hudramadæ Reguli facti ſerui. Continuator Tigernaci.

Moelmorus Huadomhnail Regulus de Huagniſolach anno Domini 1122. poſt initum Clericatum, & [illegible]dus Oconchanain Regulus de Huandiarmada anno Domini 1167. Clericatu etiam iam deuinctus interierunt.

Conchauri Okelli cognomento à prælijs Mannachæ in Conacia Reguli pietas multa ſcriptorum prædicatione celebratur, nam ille à Concauro Moenmuigo Oconchabhar Roterici filio, Macteggis alijſque Conaciæ optimatibus bello impetitus, cum ſigna cum illis anno Domini 1180. ad Srugealam ſiue Rubagealin in Ibhlomania conferret in acie cadens obtruncatus eſt, hoſtibus

Odunegamis fol. 39.

lorica contra pacti conditiones tectis, illo, nulla lorica pacti obſeruandi gratia munito ad prælium progrediente, non mediocri piorum Clericorum Monachorum, & mulierum numero veſtitum quotidianum victum ille viuus ſuppeditauit. Qui licet loco maxime diſſiti, & numero trecenti ſexaginta quinque fuerint, fama tamen interitus eius longè latèque illicò peruagata excitati

Monachæ Reguli pietas.

ad mœcenatem ſuum poſtridie quam cæſus eſt videndum vndique aduolarunt non modico excruciati dolore, virum aſſiduis piorum operum exercitijs addictiſſimum, tam immaturâ morte ſublatum fuiſſe, qui præter memoratam modo multitudinem ſuis impenſis quotidie ſuſtentatam, in Moenmaiga duodecim Templa ſuis ſumptibus non ſolum conſtruxit, ſed etiam agris tributo immunibus ad myſtas Templis [illegible]ientes alendos accomodatis Miſſalibus alijſque libris ac ornamentis cumulatè inſtruxit; maiorem Clonfortenſem S. Brendani Eccleſiam, & Clonmacnoſenſe S. Kerani Templum condidit pluribus agris, Libris Eccleſiaſticis, calicibus, pallis ſericis [illegible] ſacerdotalia munia obeunda alijſque muneribus pluribus in vtramque Eccleſiam ad ſalutem animæ ſuæ comparandam collocatis, qui fortunas ter decimauit, decimam partem Eccleſiæ, nonam pauperibus,

ribus, octauam Clericis alijsque domum suam frequentantibus, elargitus. Calamitosum itaque ducebant talem, ac tantum virum qui corporis alimentum pluribus sacerdotibus abundè præbuit, vel vnius Sacerdotis Ministerio sacramenta morientem non percepisse: Quare post varios vltrò citròque quæstus, ceruici corpus assuunt deindè precibus ad Deum fundendis sedulo incumbunt ab eo vt animam Concauri corpori denuò infundat enixe flagitantes, quo sacramentis Catholico more munitus mortem obiret; nec mora voti compotes facti sunt, & Concaurus rediuiuus delictis confessione expiatis, & sacra Synaxi ritè perceptâ maluit ex templo vitam ponere, quam diutiùs protrahere. Addiditque aduersi prælij à se facti causam fuisse, quod fratris sui delicto promeritam pœnam non irrogauerit, quam tamen non condonauit sed distulit. Nam querelæ de fratre ad ipsum delatæ aures sat attentas præbere non potuit, vt potè quas pridie quam pugnatum fuit cognouit, tum cum cogitationes omnes in pugnæ postridie committendæ apparatu fixæ penitùs hæsissent, nec enim iniuria quis dixerit eum sævire in bonos qui parcit malis, & sacræ litteræ „ Auferes inquiunt malum de medio tui, „ non parcet oculus tuus, vt miserearis sed animam pro „ anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum „ pro manu, pedem pro pede exige. Huc etiam spe- „ ctant Prophetæ ad Achab verba: Hæc dicit Dominus „ quia dimisisti virum dignum morte de manu tua erit „ anima tua pro anima illius, vt hinc S. Ludouicus Gal- „ liæ Rex dixerit. Princeps qui crimen punire potest, „ & non punit, non minus coram Deo reus est quam si „ ipse perpetrasset. Qui non vetat peccare cum potest, „ iubet, nihil interest sceleri an faueas an facias. Quid „ multis? Post Conchaurum honorifico funere, vt „ par erat elatum, puluis loci quem moriens texit, „ morbo laborantibus diù post admotus sanitatem im- „ pertijt.

Crimen flagitium non punienti.

3 Regum cap. 20.

SECTIO IV.

Recensentur bella cum Danis, & Ostmannis Hiberniæ inuasoribus, pro fide, & patria 380. annis per Hiberniæ Reges gesta, ex Vsserio, VVareo, & alijs.

CAPVT PRIMVM.

Danorum irruptio ab anno 795. ad annum 845.

Ostmannos, aliquàm Hiberniæ partem olim subiugasse, & post plurima prœlia, cum Hibernis, variante successu, per multos annos acriter commissa, nonnullas ibi Vrbes maritimas ad Anglorum, vsque aduentum in Hiberniam, occupasse fatendum est: de eorum nomine, & regione vnde venerunt, ita Eruditissimus Iacobus Vsserius prætensus Archiepiscopus Armachanus, in sua veterum Epistolarum Hibernicarum recensione; Liuonia ad Eoum Maris baltici littus porrecta, in tres partes locis, & linguis distinctas, Estiam, Lettiam, & Curlandiam distribuitur, Estiæ, siue vt Crantzius appellat Estoniæ Prouinciam, incoluisse videntur qui à veteribus Græcis Ostiæi, & Ostiones à Tacito in Germania sua, Estij. Ab Eginhardo in Caroli Magni vita, Aisti, à Saxone Grammatico Æstones. A nostris Ostmanni appellantur. Ad Ostmannos Hiberniç quod attinet, hi alijs nominibus vocabantur, etiam Dani, Norwegi, & Normanni, quod & medijs temporibus (verba sunt iterum iam dicti Vsserij) omnibus Daniæ, Norwegiæ, Liuoniæ, & reliquarum Borealium gentium commune nomen fuisse docti norunt. Vt omittam quod à scriptore vitç Greffthij

Ostmanni vnde orti.

Eorum varia nomina.

 filij

filij Conani eſt traditum, vnum è tribus illis fratribus, qui in Hiberniam venerunt, cum Norwagenſibus ſuis in Galliam conceſſiſſe, & Francis deuictis ſedes in Normannia fixiſſe. Hunc Rodulphum ille vocat, quem alij Collonem à quo Guillelmus, & alij Normanni, qui in Anglia regnauerunt genus deducunt ſuum.

Danos, & Normannos, vel Oſtmannos anno Chriſti DCCXCV. Hibernica, & Albanica littora primum infeſtaſſe, & ſpeciatim *Recran* Inſulam ſpoliaſſe produnt annales Hibernici. Sub eodem tempore vel Paulo ſerius S. Findanum, Principis Lageniæ filium à Danis captiuum ductum, ſed mirabili modo elapſum tradit in vita eius Anonymus Hibernus (qui & eius ſocius) à Melchiore Goldaſto, editus tomo primo rerum Alamanicarum pag. 318. meminit illarum deprædationum Normannicarum, *Dicuil* Hibernus qui tum vixit in libro de menſura Prouinciarum Orbis terræ ſecundum illorum authoritatem (vt ipſe loquitur) quos S. Theodoſius Imperator ad prædictas Prouincias menſurandas miſerat. Sic enim ille; circum noſtram Inſulam Hiberniam ſunt Inſulæ, & aliæ patriæ, & aliæ minimæ. Et poſt pauca, ſed ſicut à principio mundi deſertę ſemper fuerunt, ita nunc cauſa latronum Nort-mannorum in Anachoretas &c. Triennio poſtea anno nempe 796. Normanni iterum Vltoniam, & Ebrides piratica infeſtarunt. Siquidem antiquitus apud Danos infideles piratica honeſta cenſebatur, atque in ea ſe crebro Reges ipſi, aut eorum liberi exercebant, aſcitis famoſioribus, & fortiſſimis Athletis. Sed miſſis hiſce Danorum piraticis, veniamus iam ad copias quas in Hiberniam miſerunt ad eam ſubiugandam, & ſecundum temporum ſeriem ad alia eorum acta ibidem ad Anglorum vſque ingreſſum.

Quando primum in Hiberniam appulſi.

* Anno 807. Dani, & Norwegi in Hiberniam appulerunt, & Roſcomaniam regionemque adiacentem ferro flammaque vaſtarunt. Eodem tempore Cellacus Abbas Cœnobij Sancti Columbæ Hienſis, multis è ſuis

Iterum inuadunt Hiberniã graſſantur.

Nor-

Norwegorum crudelitate, interfectis, in Hiberniam profugit, & Kenanusæ aliàs Kenlisæ Monasterinm in honorem S. Columbæ siue condidit, siue restaurauit, cum verò annos circitèr 7. præfuisset Abbas, Dermitio quodam in dicto Cœnobio Abbate relicto in Ionam siue Insulam Huensem reuersus est, vbi, post annum vnum vel alterum mortem obijt. Nescio an in Laniena prædicta, vel posteriore aliqua trucidatus fuerit Blathmacus Reguli Hibernici filius. Eum sub his temporibus à Danis siue Norwegis Ethnicis in Iona Insula cæsum, ex vita eius à VVallafrido Strabone carmine descripta, liquet: Omitto hic Commenta Saxonis Grammatici qui (more suo) Fridelithum, Frotonem III. & Haconem, Danos, multis annorum centenarijs ante hæc tempòra Hiberniam infestasse fingit.

Intérficiunt aliquos Monacos Hieuses.

* Anno 812. Classis Normannorum Hiberniam Insulam aggressa (inquit Rhegino in Chronico) comissoque cum Scotis prælio multi ex his interfecti, cæteri fuga lapsi sunt, & ad eundem annum Hermannus contractus, Classis Danorum Hiberniam inuadens à Scotis victa est. Item Historici Hibernici Danos, sub eodem tempore duobus prælijs ab Hibernis profligatos asserunt.

Rursus Hiberniam infestant profligantur.

* Circa annum 815. alijs 818. Turgesius Norwegus Hiberniam primum inuasit.

* Anno 835. Norwegi maioribus instructi copijs, magna Classe appulerunt sub ductu Turgesij, & Conatiam ferè vniuersam, vna cum quibusdam Lageniæ, & Midiæ partibus deuastarunt. Intra triennium deindè postea, non parua Vltoniæ parte subiugata; vbique ferme Templa demolita sunt, & in Christianæ Religionis Professores, (cuius tunc hostes erant) magna crudelitate grassati. Qua de re vid. Iocel. Furnessens. in vita S. Patricij Cap. 175. speciatim Turghesium Armacham occupasse, & inde Farrananum Archiepiscopum loci expulisse, vna cum omnibus religiosis, & studiosis, tradunt Historici Hibernici. Asserit porrò Colganus, (in triade

Iterumque ingrediuntur.

In Templa, & homines sacros sæuiunt.

Thau-

Thaugmaturga) ex annalibus quatuor Magiſtrorum anno 838. Claſſe ſexaginta nauium Normannos ingreſſos eſſe Oſtia Boandi fluminis, & alia 60. nauium Oſtia Liffij fluuij in Lagenia. A Turgeſio (quod obiter adnoto) multa foſſatorum illorum rotundorum, ſiue militarium vallorum vulgo *Danes Rathes* dictorum facta diruuntur, quę in plurimis Hiberniæ regionibus, etiam nunc ſuperſunt, atque talia fuerunt fortaſſe Caſtella Brigantum veterum de quibus ita Iuuenalis Satyr. 14.

Cum Claſſe 60. nauium Boandum flu. intrant. Item Liffium flu. alia claſſe 60. nauium.

Dirue Maurorum Attegias, Caſtella Brigantum.

Sunt porrò qui credunt Danos, & Norvvegos extruxiſſe multos è collibus illis profundis, quos ſine foſſis paſſim in Hibernia cernimus, quaſi ſepulchra Magnatibus, & ducibus ſuis, eundem morem in Dania olim viguiſſe, ex ſupradicto Olao VVormio liquet in libro de Danicis monumentis, Hafniæ edito anno 1643. ſpeciatim (in Hibernia) è tali colle Orientali ſuburbio Ciuitatis Dublinij propè Collegium Sanctiſſimæ Trinitatis, effoſſum eſt anno 1646. monumentum quod oſſa hominis combuſta texit: opus vti dicitur Oſtmannicum de quo fuſius poſtea.

Colles rotundos erigunt.

* An ſaxa illa ingentia, & rudia, quæ in planitie non longè à Naaſa in agro Kildarienſi, & alibi viſuntur (victoriarum puta monumenta) à Danis erecta fuerint non poſſum pro certo affirmare.

* Dani ſiue Nortmanni Duce prædicto Turgeſio Norvvego Hiberniam, per annos non paucos tributariam effecerunt: & gentili furore debaccantes Eccleſias ferè omnes deſtruxerunt, libros incendio abſorpſerunt, viros eruditione, & ſanctitate illuſtres, in latibula compulerunt, & inuentos martyrio affecerunt, vnde noua in florentiſſimam Inſulam inuecta eſt barbaries, ſed mox eoſdem Hiberni à finibus ſuis propulerunt, vt aiunt

Northmanni in Hibernia ſæuiūt, ab Hibernis propellun-tur.

Chro-

Chronica Northmanica pag. 524. additur præterea ex-actis Geraldi Saxonis Turgesius Noruagiensis Tyrannus valdè crudelis, totam deuastans Hib[illegible]iam tandem ad Maionensem deueniens Ecclesiam templum, quod fuit ibi à sanctis constructum, ac asseribus plumbeis contectum in contemptum Dei, & sanctorum comburendo destruxit, & quod de Nongentis Monachis à piratis vna die in Benchorensi apud Vltonienses Cœnobio interfectis, à S. Bernardo est traditum, quibus subiungit Thomas Caseus ad annum 1139. hoc olim (viz. Monasterium Benchorense) destructum à pyratis, qui ferè omnes Ecclesias, & libros Hiberniæ destruxerunt, & combusserunt, Malachias reædificauit, ferunt namque Nongentos Monachos, simul vna die à pyratis in eodem Occisos.

Nongenti Monachi Benchorensis cæsi.

CAP. II.

Stratagemata Melachilini Regis contra Danos, prælia, & vtriusque gesta.

* ANno 845. Norvvegi diripuerunt, & incenderunt Clonmacnoisam, Clonfertam, Longhram, & Tirdaglassam. Porrò circa eundem annum Turgesius Malachlini, seu Melsechlini Regis Midiæ filiam deperijsse fertur: atqui Rex ille (Giraldum Cambrensem audis) *Virus sub pectore versans filiam suam illi concedens ad Insulam quandam Midiæ scil. de Loch-vaio illam cum quindecim puellis egregijs ei missurum se spopondit. Quibus & Turgesius gauisus cum totidem nobilieribus gentis suæ statuto die, & loco obuiam venit, & inuenit in Insula quindecim adolescentes imberbes animosos, & ad hoc electos sub habitu puellari, dolum palliantes, cultellis quos occulte secum attulerunt, statim inter amplexus Turgesius cum suis occubuit sic ille Topographia Hiberniæ distinct. 3. cap. 4. Cæterum author annalium Vltoniensium de dolo eo tacens Turgesium à Malachlino Rege captum fuisse, & in dicto lacu submersum,* tra-

Parua æqua Cambrensis locutio.

tradit. Fama tum pernicibus alis (sic iterum Cambrensis cap. 41.) totam statim Insulam peruolante, & rei euentum, vt assolet diuulgante, Norvvegienses vbique truncantur, & in breui, omnes omnino, seu vi seu dolo, vel morti traduntur, vel iterum Norvvegiam, & Insulas vnde venerant nauigio adire compelluntur. Deinde cap. 42. Quæsiuerat autem à Turgesio prædictus Midiensium Rex, & indolo (nequitia iam animo concepta) quonam tenore, vel arte aues quædam in regnum nuper aduectæ, terræ toti patriæque pestiferæ, destrui possent, & deleri. Cumque responsum accepisset, nidos earum vbique destruendos si iam fortè nidificassent (de Castellis Norwegiensium hoc interpretantes) mortuo Turgesio, in eorum destructionē Hibernienses per totam Insulam vnanimiter insurrexerunt. Annos igitur circitèr triginta Norwegiensium pompa, & Turgesij tyrannis in Hibernia perdurauit, & deinde gens Hibernica seruitute depulsa, & pristinam libertatem recuperauit, & ad regni gubernacula denuò successit. Hactenus Giraldus. Hibernos quidem hoc tempore Norwegorum vires multum fregisse certum est, attamen auxiliares copiæ, nouis è Dania, & Norwegia classibus, in dies confluentes, Hiberniam per plurimos postea annos grauissime afflixerunt, vt infra patebit.

Cæduntur Northmanni cum Duce Turgesio Hiberni pristinam libertatem recuperant.

* Anno 848. Prælium inter Malachlinum (de quo suprà) tum Regem Hiberniæ, & Danos Fouræ comissum est, in quo 700. Danis occisis, victoria Melachlino cessit. In pralio itidem ad Scia-naght ab Oltobaro rege Casseliæ (quem Abbatem etiam Imilacensem vocant) & Lorcano filio Kellachi, rege (ni fallor) Lageniæ, cæsi sunt ex Danis 1200. ac in duabus alijs pugnis ante finem anni ceciderūt circitèr 1700. Ita hic annus Danis in Hibernia fuit luctuosissimus, vnde Melachlinus Rex ob partas victorias, ad Carolum Caluuum Francorum Regem; pacis & amicitię gratia legatos cū muneribus misit, viam sibi petendi Romam concedi deposcens. Sic Chronic. Norman.

Fouræ profliguntur Dani.

Eorum luctuosa conditio.

N * Anno

* Anno 849. Auxiliares copiæ, è Dania, & Norvvegia 149. nauibus in Hiberniam appellentes, bellum, magno Hibernorum Damno redintegrarunt.

* Anno 850. Melachlinus Rex iam bello ciuili implicatus pace ad tempus cum Danis, stabilita, eorum auxilio hostes magna strage profligat.

* Ante annum 851. Danos Dublinio, & regiuncula vicina quam Fingalliam vocamus, potitos esse, ex Historicis Hibernicis liquet, Inter hos, & alios eiusdem gentis, hoc anno atrox commissum est prælium, in quo Dani Dublinienses profligati sunt, & Dublinium à victoribus direptum, atqui fuga non pauci elapsi in patriã confugerunt, vnde anno in sequente cũ auxiliaribus copijs reuersi hostibus victis, Dublinium recuperarunt, & restaurarunt, Danos siue Ostmannos Dublinienses intelligit procul dubio vitæ S. Coëmgeni siue Keiuini scriptor dum de Dublinio, & eius ciuibus ita loquitur Ciuitas *Ath-cliath* est in Aquilonali Laginiensium plaga, super fretum maris posita, & Scoticè dicitur *Dub-lein*, quod sonat Latine nigra terra. Et ipsa Ciuitas potens, & belligera est in qua semper habitant viri asperi in prælijs, & peritissimi in classibus.

Iterum propè Dubliniũ superantur.

* Anno 852. Armacha ipso Paschatis die à Danis deuastata est ac paulò post Dermitius loci Episcopus, quem annales Hibernici sapientissimum omnium Doctorum Europæ appellant siue mœrore, siue morbo extinctus est.

Ardmeaha deuastata.

* Anno 853. Amlauus alijs Amelaus Magna Danorum, & Norvvegorum classe huc appulit, eique omnes Dani in Hibernia tum degentes se submiserunt.
„ Hic Amelaus (opinor) ille fuit, & hæc Norvvegorum
„ ea classis de quibus hæc habet Giraldus Cambrensis
„ Topograph. Hiberniæ lib. 3. cap. 43. Non multo verò
„ post tempore (post mortem sci. Turgesij) iterum de
„ Norvvagiæ, & Insularum Borealium partibus, quasi
„ de reliquijs gentis prioris, & quia vel oculcata fide,

Hibernia ex Danorũ relatione terra optima.

„vel

„ vel parentum relatione terram optimam nouerant non
„ in bellica classe, sed sub pacis obtentu, & quasi mer-
„ caturæ euercendæ prætextu, Insulam quidem aduene-
„ runt, qui & maritimos Hiberniæ portus, statim oc-
„ cupantes, tandem de assensu Principum terræ Ciuita-
„ tes in ipsis varias construxerunt. Quoniam enim inna- Cambrensis iniqua cens. sura.
„ tæ otiositatis vitio, gens Hibernica, nec maria lu-
„ strare, nec mercaturæ indulgere aliquatenus voluerat,
„ de comuni totius Regni Consilio, per vtile videbatur,
„ vt gens aliqua, cuius opera aliarum regionum com-
„ mercia quibus hæc terra caruerat, huc aduehi possent,
„ & in aliquibus regni partibus admitterentur. Fuerunt
„ autem Duces eorum tres fratres, Amelaus sci. Sytar-
„ chus, & Ynorus. Constructis itaque optime ciuitatibus
„ tribus, Dublinia, Waterfordia, Limerico, Dubliniæ
„ Principatus cessit Amelao, Warerfordiæ Sytaraco, &
„ Limerici Ynoro, & ex ijs paulatim Ciuitates construi
„ processu temporis cœptæ: hæc inique Giraldus.

„ * Gens igitur hæc quæ nunc Ostmannica gens
„ vocatur inprimis, istis regibus satis tractabiles fue-
„ runt, & pacifici: sed ex quo in immensum generis
„ numerositate iam excreuerant, & Ciuitates fossatis,
„ & muris optime cinxerant, antiquas inimicitias alta-
„ mente repositas, nonnunquam renouare, & acriter de
„ bellare solebant. Dicti sunt autem Ostmanni lingua Ostmanni cur sic dicti.
„ ipsorum corrupta quadam Saxonica quasi Orien-
„ tales homines, respectu namque terræ istius, ab
„ Orientalibus huc partibus vndecumque aduecti sunt.
ITA GIRALDVS. E quo eadem hausisse videtur Ranulphus Monacus Cestriensis in Poli Chronico. Cæterum vt de hac narratione quod sentio dicam, constabit (opinor) Ostmannos sedes eas maritimas non mercaturæ prætextu, nec Hibernorum assensu sed vi, & armis obtinuisse, si ponderemus quanta immanitate, à primo eorum ingressu, imò hoc ipso tempore de quo nunc loquimur, & diù postea per Hiberniam grassabantur. Certè ex

optimis Historicis liquet Ronalavvium hunc, post prælium vnum aut alterum prospero contra Hibernos euentu tanto fuisse ijs terrori, vt annuo quodam tributo pacem ad tempus redimere coacti fuerint.

CAP. III.

Varijs prælijs Dani profligantur.

* ANno 856. inter Malachlinum Regem, & Danos atrox ortum est bellum quo multi vtrinque ceciderint.

Anno 857. Cathaldus Albus dum res nouas molitur ab Amlauo, & Iuaro, prælio profligatus est in Momonia.

Anno 859. Amlauus, & Iuarus cum magno exercitu in Midiam profecti sunt, de successu tacent Annales Hibernici sub eo vero tempore (vt videtur) induciæ inter Melachlinum, & Danos pactæ.

* Anno 862. Defuncto Melachlino Rege Hiberniæ, Lorcanus filius Cathaldi, & Cornelius filius Dermitij Regnum Midiæ inter se partiti sunt, ijs verò ab Edano cognomento *Finliad*, Danorum auxilio postea captis, Edanus Rex Hiberniæ salutatus est, Lorcanum ab Edano tunc oculis orbatum, & Cornelium ab Amlauo, Clonarde submersum ferunt.

Danorum successus varij.

Anno 869. Amlauus Armacham diripuit, & incendit postquam mille homines ibi prælio interfecisset.

Anno 870. Amlauus, & Iuarus cum classe 200. nauium in Britanniam soluerunt in auxilium Inguari, & Hubbæ Danorum, de quibus Florilegum petas, & alios rerum Anglicarum scriptores. Anno sequenti cum Ingenti prædâ, multisque captiuis reuersi sunt, sed breui postea Amlauus naturæ cessit.

Anno 871. Ailillus Rex Lageniæ à Danis occisus est.

Anno

Anno 872. Fato functus est Iuarus quem Annales Hibernici *Regem Normannorum totius Hiberniæ* vocant.

Anno 879. Ostinus Amlaui filius, postquam pictos magna strage profligauerat Danorum siue Ostmannorum dolo occisus est, tumque imperium suscepisse videtur, Godfridus Iuari filius.

Anno 888. Atrox prælium inter Flanum Regem Hiberniæ, & Danos comissum est quo multi vtrinque ceciderunt, & inter alios ex parte Flani, Edanus filius Cornelij Rex Conaciæ cæsus est. Paulò postea Godefridus filius Iuari Danorum Princeps per Sitrici fratris sui malas artes interemptus est. Atrox prælium inter Hibernos, & Danos.

* Anno 892. Simultas inter Sitricum filium Iuari, & Galfredum quemdam Merlum cognominatum, tunc temporis virum magni nominis apud Dublinienses, eo vsque in apertam inimicitiam erupit, vt inter eos, vrbs quasi diuisa fuerit cum vna Pars Sitricum altera Galfridum sequeretur. Diuisio inter Danos Dublinium diuidit.

Anno 895. Ostmanni Dublinienses in Vltoniam profecti Armacham diripuerunt. Ardmacha direpta.

Anno 896. Sitricus Iuari filius, qui Fratrem (vt diximus) occiderat pæna licet tarda eum assequente à suis occisus est, prælium inter Amlauum filium Iuari, & Vltonienses in Tirconalia commissum est in quo Amlauus victus est, & occisus. Danorum Princeps ab Vltoniensibus victus.

* Anno 901. Dani noua classe appellentes à Lageniensibus propè Dublinium magna strage profligantur. Duorum strages.

Anno 914. Acris pugna naualis propè Manniam Insulam inter Barredum, & Reginaldum O-hiuar Danos commissum est in qua Reginaldus, Barredo, & suis occisis victoriam reportauit.

Anno 915. Dani magna classe appellentes Momoniæ partem deuastant.

* Anno 916. Dani siue Ostmanni in Momonia, prælijs aliquot superati sunt, cæterum in Lagenia, meliori successu pugnarunt, nam sub ductu Sitrici Angarrus filius Dani superati. Alibi pugnant fælicius.

filius Aililli Rex Lageniæ prælio occisus est, & cum eo ceciderunt multi Lageniæ proceres. Sub eodem tempore Dani siue Ostmanni Dubliniæ Monam siue Anglesiam in Cambria vastarunt, vt è Caradoco Lhancaruanensi intelligimus.

Anno 918. Dani Momoniæ Albaniam hodie Scotiam infestarunt.

Atrox prælium inter Hibernos, & Danos.

Anno 919. prælium atrox inter Nellum Glundub Regem Hiberniæ, & Ostmannos commissum est Septembris 15. propè Dublinium, quo Rex ipse vna cum multis proceribus perijt, Nello occiso, Imperium suscepit Donatus Flani filius, qui anno sequenti Ostmannos magna strage profligauit.

Eorum cludes variæ.

Anno 921. Reginaldo regulo Ostmannorum Dublinij defuncto successit Godfridus qui eodem anno, contracto exercitu in Vltoniam profectus est vbi mense Nouembri Armacham diripuit.

Anno 924. Godfridus in expeditione Limericum versus magnam exercitus sui partem amisit.

Anno 926. Godfridus copias in Vltoniam misit sub ductu Aulafij filij sui qui ab Vltoniensibus bis in fugam coniectus ægrè tandem, à patre qui eum nouis è Dublinio auxilijs secutus est, liberatus.

* Anno 934. Godfridus obijt, ob crudelitatem infamis, successit filius Aulafus, aliàs Aulavvs, idem opinor cum Aulapho illo qui in prælio ad Bruneburgum in Northumbria, ab Athelstano Anglorum Rege victus est anno 937. De quo vid. Ingulph. & Hen. Huntindon.

Anno 941. Aulaphus morte repentina sublatus interijt, hinc Caradocus Lhancaruanensis Abloicum præcipuum Hiberniæ Regem appellat, & obijsse asserit anno 939. Liber Marganensis an. habet. 940.

Anno 942. Dunum, Clonarda, & Kildaria regionesqure adiacentes varijs Ostmannorum exercitibus vastantur.

Anno 943. Dani in Lecalia degentes, sedibus suis ab

ab Vltonienſibus eijciuntur, eodem vero anno Murtacum Aileſiæ Regulum, prælio interficiunt 26. Febr. & die ſequenti Ardmacam diripiunt.

Anno 944. Donato Rege Hiberniæ morte repentina ſublato Congelacus filius Melmithi imperium ſuſcepit, qui eodem anno Brieni Regis Lageniæ auxilo Dublinium vi cœpit, & diripuit Oſtmannis ibidem partim occiſis, partim in fugam conuerſis.

Anno 945 Blacarus Oſtmannus Aulafi frater copijs auxiliaribus Dublinium recuperauit, & reſtaurauit.

Anno 948. Oſtmanni Dublinlenſes, vt cladem nuper acceptam vlciſcerentur hoc anno non paruam Midiæ partem deuaſtarunt.

Anno 947. Oſtmanni Dublinienſes à Congelaco Rege prælio profligantur.

CAP. IV.

Dani ad fidem Chriſtianam conuertuntur, vario certamine vincunt, & vincuntur ad internecionem vſque.

* ANno 948. Bellum redintegrarunt Dublinienſes, ſed à Congelaco rege iterum ſuperati ſunt, ipſe Blacaro rege, & è ſuis ferme 1600. in prælio occiſis, Blacaro ſucceſſit Godfridus Sitrici filius, circa hæc tempora Oſtmanni Hibernici ad Religionem Chriſtianam conuerſi ſunt, neque deſunt qui hoc ipſo anno, Oſtmannos, Cœnobium Beatæ Mariæ Virginis, iuxtà Dublinium Monachis Benedictinis poſuiſſe tradunt, quamuis alij diù antea fundatum aſſerunt à Melachlino al. Malachia rege Hiberniæ (qui obijt 862.) Gillemoholmoc neſcio quo, & Roſia Vxore eius, & alij à Donaldo Gillemoholmoc, vt vt fuerit Monachos ibidem Ciſtercienſis Ordinis, inſtitutionibus ſe ſubmiſiſſe an-

Dani Hibernici ad fidem conuerſi.

Monaſteriũ B. Virginis Dublinij, pro benedictius fundatum, poſt ecceſſit Ciſtercienſibus.

no

no 1139. imitantes patrē suum Abbatem Sauiniacensem, docent eiusdem Cœnobij annales. Iacobum Abbatem primum obijsse 5. nonas Martij prodit loci Codex antiquus M.S. penes Rogerum Tvvijsdenum Equitem, & Baronettum de anno silet, sed Euerardum Abbatem quartum obijsse tradit quarto idus Aprilis 1151. Quæ si vera sint vel plerique eorum Macrobij fuerunt, vel Cœnobium diù Abbate fuit viduatum.

Slania direpta.

* Anno 950. Ostmanni Dublinienses Slanam in Midia deripuerunt, & incendio deformarunt. Eo incendio Cinaum virum doctum, & loci prælectorem multosque alios in Ecclesia congregatos perijsse ferunt, cæterum anno sequenti, post quam magnam Midiæ partem sub ductu Godfridi deuastassent, ingenti præda onusti in reditu Dublinium versus ab Hibernis intercepti sunt, & magna strage profligati.

Ostmanni profligati.

Prælium atrox, cum Danis.

Anno 956. Prælium atrox inter Congelachum Regem Hiberniæ, & Ostmannos Dublinienses ad Tiguran, in Lagenia commissum est vbi Congelachus fusus est, & occisus, eo cæso Hibernorum imperium arripuit Donal-Nellus.

Anno 959. Aulafus Dublinij Regulus à Caradoco Lhancaruanensi Abloicus Rex Hiberniæ appellatus, Promontorium Sacrum (quod nos *Holy-Head* incolæ, *Caer-Gubi* vocant) in Mona siue Anglesеia Insula deindè regiunculam Lhinnensem classe sua diripuit, atqui liber Margane siue liber Hergesti hanc depredationem adscribit Abloici filijs.

Eadgarus Rex Angliæ Hiberniam inuadit.

Anno 962. Mortem obijt Godfridus Ostmannus Aulafi filius, circa hæc tempora (vt videtur) Eadgarus Rex Angliæ magnam Hiberniæ partem subegit, & speciatim Dublinium vrbem.

Anno 970. Pugna Kilmonę commissa est inter Donaldum Regem Hiberniæ, & Donaldum Congelachi filium, Aulafi Ostmanni copijs adiutum. In eo prælio multi vtrinque ceciderunt, sed plures ex parte Donaldi Regis.

Anno

Anno 977. Aulafus Sitrici filius prælio vicit,& interfecit Murtacum, & Congelacum, Donaldi Regis filios.

Anno 980. Donaldo Regi defuncto ſucceſſit Malachlinus aliàs Malachias filius eius, qui eodem anno Temoriæ, prælio memorabili Oſtmannorum vires fregit, & quodammodo peſſum dedit, nam in eo prælio præter millia aliquot militum Gregariorum, primarij Oſtmannorum duces ferè omnes cæſi ſunt, inter quos numeratur Reginaldus Aulafi filius,ob cuius interitum, & maximam eam Oſtmannorum cladem Aulafus ipſe anno inſequente peregrinatione, ad Inſulam Hiemſem ſuſcepta, ibidem (vt ex annalibus Cœnobij Inſulæ omnium Sanctorum in occiduo limite agri Longfordienſis intelligimus) pœnitentiâ peracta vi mœroris obijt. Succeſſit ei filius Gluniarandus. Pugnâ Temorienſi finita Malachlinus in Fingaliam, ditionis Oſtmannicæ regiunculam profectus, eam igne, & ferro deuaſtauit, eodemque tempore Hibernos omnes quos Oſtmanni captiuos tenuerunt in libertatem aſſeruiſſe fertur. Cæterum pace tandem inter Malachlinum Regem, & Oſtmannos Dublinij certis conditionibus facta, ij vt priorem iacturam aliquo modo reſarcire viderentur auxiliaribus copijs contractis, Brieni filij Murchardi Regis Lageniæ territoria diripuerunt quæ dum Brienus tueri Conaretur ipſe ab ijs captus eſt, & paulò poſt occiſus.

Oſtmanni penè omnes deleti propè Temoriam.

Anno 983. Melachlinus Rex, ab Oſtmannis Dublinienſibus adiutus, Donaldum Cley Lorcani filium Regem Lageniæ prælio fudit, inter alios melioris notæ cecidit, Patricius Iuari Reguli VVaterfordienſis filius.

Anno 989. Gluniarandus aliàs Glumainus Aulafi filius Rex Oſtmannorum Dublinij, à famulo ſuo interemptus eſt, ſucceſſit frater eius Sitricus. Circa idem tempus Elirmannum filium Ablovvici occiſum aſſerit

Caradocus Lhancaruanensis, quem Regem Hiberniæ appellat, & nomine, & titulo deceptus: Eodem anno Godfridus Haraldi filius Hebridum Insularum regulus, à Dalriadenis occisus est cui successit filius Reginaldus.

Anno 994. Sitricus Aulafi filius ab Ostmannis Dublinij in exilium pulsus ante annum circumactum reuocatus est, regnoque restitutus.

Anno 999. Marianus aliàs Melmurius Muchardi filius, à iam dicto Sitrico adiutus Lageniæ Regnum obtinuit donato prædecessore eius in prælio capto, & abdicare coacto. Ante finem eiusdem anni Brienus Borous Rex Momoniæ Ostmannos Dublinienses in prælio ad *Glenana-nain* fudit ac Dublinium vi cæpit, & diripuit.

* Anno 100. Ostmanni (obsidibus Brieno traditis) Dublinium restaurarunt, & firmarunt. Eodem anno, Iuarus Ostmannorum Waterfordiæ Regulus obijt successit illì filius Reginaldus.

Anno 1013. Lagenia Primum à Murcardo filio Brieni Boroi, tum Regis Hiberniæ, deinde à Brieno ipso, ad muros, vsque Dublinij miserè direpta est Lageniensibus interim, & Ostmannis pace inter se facta coniunctis, copijs se suaque frustra tueri videntibus.

CAP. V.

Bellum Brieni Borhumi Regis Hiberniæ, prælium Clontarfense, cæsa multa hominum millia varij casus, in Hibernia variæ Danorum clades.

Initur Consilium deijciendis Danis velut publicis Regni hostibus.

* SVb initium anni 1014. vel paulò ante Brienus Borrous Rex, cum plurimis Hiberniæ Regulis, egit vt coniunctis viribus Sitricum omnesque Ostmannos Dublinij, vtpotè publicos regni hostes ex Hibernia

cx-

expellere conarentur. Sitricus contra certior factus eſt, quid Brienus moliebatur, nullum non mouit lapidem, vt ſe ſuoſque propugnaret; Pace igitur (vt antea diximus cum Melmuerio Murchardi filio Rege Lageniæ facta, ſuppetias tam ab eo quam à Danis ſiue Norvvegis qui Manniam, & Hebrides (Hibernis *Inchegall*) incolebant obtinuit, magnis copijs ſic vtrimque coactis, concurritur tandem Clontarfæ propè Dublinium Aprilis 23. vbi poſt longam acerrimamque pugnam victoria, (ſic plerique habent) ceſſit Brieno, qui tamen ex vulnere, quod in prælio acceperat mortifero, mox expirauit. Sunt contra qui aſſerunt Danos ſiue Oſtmannos, cum eorum acies nutare cæperat, Brieno occiſo redintegratis viribus, in Hibernos irruiſſe eoſque magna ſtrage profligaſſe.

Prælium Clontarfæ.

Qui hanc ſententiam tenent, addunt etiam Brieni temeritatem magno fuiſſe Danis commodo. Ille enim (vt fertur) auxilia cum filio eius Donato intra triduum ventura, non præſtolans ne priorum actorum gloriam obſcurare videretur cum hoſtibus congredi facilè perſuaſus eſt, id quod ſibi ſuiſque poſtea fuit exitio. In exercitu ſuo Melachlinum porrò habuit, tunc Midiæ, antea Hiberniæ Regem, qui in prælio ob priores iniurias alienati in eum animi indicia dediſſe fertur. Cum Brieno ceciderunt filius eius Murchardus, & Murchardi filius Tirdelvacus, magnus etiam procerum numerus, & cæterorum 7090. vel vt aliqui habent 1100. Ex Danis, ſiue Oſtmannis, & ex Lagenienſibus plurimi etiam perierunt ſed numerus incertus eſt, inter eos primarij numerantur, Dubgallus Aulafi filius, Briodarus claſſis Danicæ præfectus, qui Brienum occiderat, Melmurrius Rex Lageniæ, Donaldus Dux Fortuallenſium, & alij quos prætereo. Sunt qui tradunt cadauera Brieni, & filij eius Murchardi nec non Donati O-kelli Doulani O-arteghan, & Gille-bamedi ad *Killmainan*, Villam vnieo milliarî à Dublinio diſtantem, iuxta antiquam

Plures et Danis, & Hibernicis cæſi.

crucem lapideam, ab Hibernis sepulta esse, alij verò asserunt corpora Brieni, & Murchardi filij, Svvordam (Villa est ad sextũ à Dublinio lapidẽ) delata, inde à Melmurrio Eochæ filio Archiepiscopo Armachano (quem annales Hibernici S. Patricij Commorbanum appellant) Clero Comitante Armacham deportata in Ecclesia Cathedrali ibidem cui benefactor fuerat Brienus, fuisse condita. Prælio finito Sitricus cum Ostmannorum reliquijs Dublinium se recepit, ac Malachlinus Rex Midiæ, à popularibus, Rex maximus Hiberniæ denuò declaratus est.

* Anno 1018. Iam dictus Melachlinus copias Lagenienses Ostmannicas in prælio ad Fotvay fudit.

Anno 1019. Brienus Melmurrij filius Rex Lageniæ oculis orbatus est Dublinij à Sitrico Rege.

Anno 1020. Reginaldus Iuari filius Regulus Ostmannorum Waterfordiæ improlis obijt successit ei Sitricus frater.

Anno 1022. Vgarus Rex Lageniæ in conflictu ad Delgne Sitricum Regem Dublinij fugauit.

Anno 1023. Sitricus Ostmannorum Waterfordiæ Regulus ab Ossoriensibus occisus est successit ei Reginaldus O-hiuar.

Sitricus Danorũ Princeps Romam proficiscitur. In via mortuus.

Anno 1029. Sitricus Rex Ostmannorum Dublinij, peregrinatione Romam vsque susceptâ in via defunctus est, successit ei filius Aulauus siue Auloedus, qui anno sequente à Matthæo siue alias Mathgauno O-hagan captus pro lytro soluit 200. vaccas, 80. equos Britannicos tres vncias auri, & gladium quendam dictum vulgo Caroli gladium.

Anno 1039. Aulauus fiius Sitrici Rex Dublinij Romam profecturus in Anglia occisus est. Successit ei filius Sitricus.

* Anno 1036. Reginaldus O-hiuar VVaterfordiæ Regulus cæsus est Dublinij à Sitrico Rege.

Anno 1038. Commianus O-Raban Regulus VVa-

ter-

terfordiæ domesticis insidijs perijt, eodem anno VVaterfordia à Dermitio Rege Lageniæ direpta est, & incensa.

Anno 1042. (alijs 41.) Sitricus Aulaui filius Rex Ostmannorum Dublinij decessit: Hic fuit (vt reor) Sitricus ille, quem liber niger Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis Dublinij Sitricum filium Aleph appellat de quo ibidem hæc Legranus. Sitriacus Rex Dubliniensis filius Ablebh Comitis Dubliniensis, dedit Sanctæ Trinitati, & Donato Primo Episcopo Dubliniensi, locum ad ædificandum Ecclesiam Sanctæ Trinitati, vbi fornices siue voltæ sunt cum terris sequentibus viz Bealducq, Rochem Portsrahen, cum villanis, & vaccis, & bladis nec non aurum, & argentum sufficienter ad ædificandam Ecclesiam, & in tota Curia contulit. Sitrico successit Aulauus siue Auloedus, quem Caradocus Lhancaruanensis Alphredum perperam appellat. Sub eodem tempore Conanus *Ap-Iago* Aulaui gener copijs Dublinij collectis in VValliam transiecit, contra Gruffinum Ap-Lhevvellin Regulum qui Venedotiam Conano profugo deditam vsurparat. Gruffinum ibi dolo cœpit, sed dum captiuum naues versus, secum duceret, VVallij de ea re certiores facti, tanto numero confluxerunt, vt facile Gruffinum liberauerint, & Conanum ad naues repulerint. Fundatio Ecclesię SS. Trinitatis Dublinij.

* Anno 1050. Conanus cum alia Classe è Dublinio VValliam versus soluit spe plenus, Venedotiam, hæreditario iure sibi debitam recuperandi gratia; sed operam denuò lusit nam maximâ classis parte tempestate amissa ipse ad littora Hibernica reiectus est.

* Anno 1066. Godretus siue Gothricus cognomento Crouam Rex Manniæ (vt è Chronico Regum Manniæ intelligimus) subiugauit sibi Dublinium, & magnam partẽ de Laynester, Scotos verò ita perdomuit, vt nullus qui fabricaret nauem vel scapham ausus esset plusquam tres clauos inserrere. Eum Regem Hiberniæ appellat Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis in Epistola quadã cuius exemplar habetur in vndecimo annalium Cardinalis Barronij tomo.

CAP.

CAP. VI.

Præsentatio Patricij facta à Clero, & populo ad Ecclesiam Dublinienſem eius conſecratio per Lanfrancum Cantuarienſem, altera alterius præſentatio, Sedes Epiſcopalis VVaterfordiæ inſtituta, Reges Hiberniæ facti, fracti fœderis pœna.

* ANno 1071. Murchardus filius Dermerij Rex Lageniæ mortem obijt, & Dublinij ab Oſtmannis ſepultus eſt.

* Anno 1074. Maij ſexta, è vita migrauit Donatus aliàs Dunanus Oſtmannorum primus Epiſcopus Dublinienſis, & in Eccleſia ſua Cathedrali propè ſummum Altare ſepultus eſt. Tumque Patricius quidam, Oſtmannus itidem Godredo Rege petente, ſucceſſor electus à Dublinienſibus in Angliam miſſus eſt à Lanfranco Cantuarienſi Archiepiſcopo conſecrandus cum Epiſtola ſequente: „ Venerando S. Cantuarienſis Eccleſiæ Me- „ tropolitano Lanfranco Clerus, & populus Eccleſię Du- „ blinienſis debitam ſubiectionem. Veſtræ Paternitati „ eſt cognitum quod Eccleſia Dublinienſis, quæ Hiber- „ niæ Inſulæ Metropolis eſt ſuo ſit viduata Paſtore ac „ deſtituta rectore. Propterea elegimus Presbyterum „ nomine Patricium nobis ſufficientiſſime cognitum na- „ talibus, & moribus nobilem, Apoſtolica, & Eccleſia- „ ſtica diſciplina imbutum, fide Catholicum, in Scri- „ pturarum ſenſibus cautum in dogmatibus Eccleſiaſti- „ cis exercitatum, quem nobis quantocyùs petimus or- „ dinari Epiſcopum quatenus Authore Deo, regulariter „ nobis præeſſe valeat, & prodeſſe, & nos ſub eius regi- „ mine ſalubriter militare poſſimus, quia integritas præ-

Præſentationis pulchra forma.

„ ſiden-

„ sidentium salus est subditorum, & vbi est incolumitas „ ibi est forma Doctrinæ. Ante finem eiusdem anni, Patricius ille Londini in Ecclesia Sancti Pauli à dicto Lantfranco consecratus est obedientiæ professione sequenti præstita. Quisquis alijs præsidet, si & ipse alijs „ subiaceat dedignari non debet sed potius obedientiam „ quam à subditis suis desiderat habere propter Deum, „ studeat prælatis sibi per omnia humiliter exhibere: „ Propterea Ego Patricius ad regendam Dubliniam Me„ tropolim Hiberniæ electus Antistes, tibi venerande „ Pater Lanfrance Britanniarum Primas, & Sanctæ Do„ robornienfis Ecclesiæ Archiepiscope professionis meæ „ Chartam porrigo, meque tibi tuisque successoribus „ in omnibus quæ ad Christianam Religionem pertinent „ obtemperaturum esse promitto. Hæc ex vetusto Codice MS. Bibliothecæ Cottinianæ, vna cum alijs Episcoporum Ostmannicorum professionibus in lucem emisit inter veteres Epistolas Hibernicas Eruditissimus Iacobus Vsserius Pseudo-præsul Armachanus anno 1632. Præstitæ obedientiæ forma.

* Anno 1076. Godredus Crouan Rex Dublinij, nec non Manniæ, & Hebredum insularum obijt in Ija Insula, Ptolomæio Epidio, successit ei in Regimine Manniæ, & Hebridum filius eius Legmannus. Cæterum à Dubliniensibus in regem electus est (ni fallor) Godfridus cognomento Meranagh.

Octobris 10. Anno 1084. Patricius Dubliniensis Episcopus in Oceano Britannico naufragio perijt Episcopatus sui anno decimo.

Anno 1085. Donatus (aliàs Dongus) O-han-gli Ostmannus, natus Dublinij, sed Cantuariæ in Anglia educatus, vbi Monachus factus est Benedictinus, Tirdelvali Regis Clerique Dubliniensis consensu Cantuariæ, à Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi professione consueta præstita consecratus est Episcopus Dubliniensis, ac in patriam reuersus libros nonnullos, & Ecclesiastica ornamenta quæ Lanfrancus Ecclesiæ

San-

Sanctæ Trinitatis Dublinij dederat secum reportauit.

Anno 1088. (alijs 1087.) VVaterfordia vi capta est, & combusta ab Ostmannis Dubliniensibus.

Anno 1089. Ostmanni Dublinii, VVaterfordiæ, & VVickliæ dum coniunctis viribus Corcagiam diripere intenderent, ab Oneaghensibus in prælio fusi sunt, & profligati.

Anno 1095. Moriertachus O-brien Rex Hiberniæ Dublinium, cum exercitu peruenit, ac inde expulit Godfridum Meranagh Regulum, eodem anno mortem obijt Donatus O-hangly Episcopus Dubliniensis, cui successit eius Nepos Samuel O-hangly Cœnobij Sancti Albani Monachus Benedictinus de quo vide plura apud Edmerum in Historia nouorum. Sub eodem tempore Godfridus Meranagh mœrore confectus, è viuis excessit.

VVaterfordiæ Sedes Episcopalis erectæ.

Anno 1096. VVaterfordiæ Sedes Episcopalis instituta est, & primus ibi Episcopus electus est Malchus quidam, in Hibernia natus, sed educatione Monachus Ecclesiæ VVintoniensis in Anglia. Is consecrationē obtinuit Cantuariæ 10 Kal. Ianuarij ab Anselmo Archiepiscopo Cantuariensi assistentibus Radulpho Cicestriensi, & Goudulpho Rossiensi Episcopis professione sequenti præstita. „Ego Malchus Ecclesiæ VVaterfordiæ electus, & à te „Reuerende Pater Anselme Sanctæ Cantuariensis Ec„clesiæ Archiepiscope, & totius Britanniæ Primas, Anti„stes Consecrandus, tibi & omnibus successoribus tuis „Canonicam obedientiam me per omnia seruaturum „promitto. -- Litterarum in eius gratiam conscriptarum exemplar habes apud Eadmerum à Doctissimo Seldeno, in lucem editum anno 1623. cum notis, & spicilegio. Sùb exitum eius sæculi XI. Ecclesia Cathedralis Sanctæ Trinitatis VVaterfordiæ ab Ostmannis constructa est.

Fœdus percussum cū Rege Hi-

Anno 1103. Magnus Rex Norvvegiæ Manniæ, & Orcadis expugnatus fœdus temporarium percussit, cum

Mo-

Moriertachò O-brien Rege Hiberniæ, sed anno sequenti (dum in Vltonia exploratorem egit) ab Vltoniensibus improuiso interceptus interijt. De hac re si non pigeat legere: En tibi verba Chronici Regum Manniæ, Magnus Murecardo (rectius Muriertacho) Regi Hiberniæ misit calceamenta sua præcipiens ei vt ea super humeros suos in die Natalis Domini, per medium domus suæ portaret in conspectu nuntiorum eius, vt inde intelligeret, se subiectum esse Magno Regi. Quod audientes Hibernienses ægrè ferebant, & indignati sunt nimis: sed Rex Saniori consilio vsus, non solùm inquit, Calceamenta eius portare verumque manducare mallem, quam Magnus Rex vnam Prouinciam Hiberniæ destrueret; Itaque compleuit præceptum, & nuntios honorauit, multa quoque munera per eos Magno Regi transmisit, & fœdus composuit. Nuncij verò redeuntes ad dominum suum narrauerunt ei de Situ Hiberniæ, & amœnitate, defrugum fertilitate, & aeris salubritate, Magnus verò hæc audiens, nihil cogitabat, quam totam tunc Hiberniam sibi subiugare, itaque præcepit classem congregare, ipse verò cum sedecim nauibus procedens, explorare volens terram, cum incautè à nauibus discessisset subito ab Hibernensibus circumuallatus interijt, cum omnibus fere, qui secum erant sepultus est autem iuxta Ecclesiam Sancti Patritij in Duno regnauit sex annos sc. in Mannia exordijs illius quam dispar exitus.

[Hiberniæ insolens Norvvegiæ Regis petitio iusta Hibernorum indignatio.]

[Hiberniæ fertilitas, & salubritas, inuasionis iniustæ pœna.]

Anno 1106. Donaldus Archiepiscopus Armachanus Dublinium profectus, vt pacem inter Moriertachum Regem Hiberniæ, & Donaldum O loghlin procuraret in ægritudinem incidit, qua Dulekæ in reditu Armacham versus ætatis suæ anno 58. consecrationis 15. sublatus est.

CAPVT VII.

Varia incendia, clades, pugnæ, nonnullorum Anglorum in Hiberniam aduentus.

ANno 1109. Limericum incendio (maximo Ostmannorum damno) deflagrauit.

Limirici conflagratio.

Anno 1121. Quarto nonas Iulij obijt Samuel O-Hangly Ostmannorum quartus Episcopus Dubliniensis. Successit ei Gregorius Lamechæ consecratus secunda insequentis Octobris à Radulpho Archiepiscopo Cantuariensi.

Anno 1125. Torfinus filius Torcalle Ostmannorum Dublinij Regulus in ipsa iuuentutis flore morte repentina obijt.

Anno 1131. Defuncto Euerardo Ostmanno Abbate Cœnobij Beatæ Mariæ, iuxta Dublinium successit Andreas.

Anno 1134. Cornelius filius Murchardi Regis Midiæ, in conflictu à Donaldo filio Gillemoholmoc, & Ostmannis Dublinij occisus est, sed Donaldo eo subita conuersione in alio conflictu occiso, & Dubliniensibus fugatis, Midenses in Fingalliam irruunt, eamque ferro, & flamma deuastant.

Fingalliæ vastatio.

Anno 1139. Melisa O-hamire Episcopus Ostmannorum VVaterfordiæ ex hac vita migrauit successit Turstius, aliàs Tostius Ostmannus.

Anno 1140. Mortuo Gille siue Gilleberto Episcopo Limericensi, vel saltem resignante Patritius quidam ab Ostmannis Limerici Episcopus electus, in Angliam transiecit, vbi à Theobaldo Archiepiscopo Cantuariensi consecrationem obtinuit professione sequenti præstita.

Patricij electi Limiricensis iuramenta forma.

„ Ego Patricius ad Regimen Ecclesiæ Limericensis ele-
„ ctus, & à te Reuerende Pater Theobalde Sanctæ Ec-

„ clesiæ Cantuariensis Archiepiscopo, & totius Britan-
„ niæ Primate, per gratiam Dei Antistes consecrandus,
„ tibi, & omnibus successoribus tuis tibi Canonice
„ succedentibus debitam subiectionem, & Canoni-
„ cam obedientiam per omnia me exhibiturum pro-
mitto.

Anno 1142. vel circitèr Cadwaladrus à fratre suo O-weno Guynelk Venedotiæ Principe deficiens in Hiberniam profugit, ac Ostmannis duo millia marcarum pollicetur si iusto exercitu bellum contra fratrem mouerent, annuunt Ostmanni ac copijs collectis, partim è suis partim ex Hibernis exercitus (Octero filijsque Torcalli, & Cherulphi ducibus) in VValliam mittitur. Cæterum paulò post eorum appulsum pacem inter fratres factam audientes Cadwaladrum captiuum detinent donec 2000. marcarum, 2000. pecudum acceperent. Tum vero O-wenus in Ostmannos, & eorum socios sic onustos improuiso irruens antequam naues conscenderent, eorum numerum per magnum interfecit, & cum spolijs reuersus est, cæteri fuga ad naues euaserunt, sic, paucis mutatis Caradocus Lhancaruanensis.

Pactum nō seruatum.

* Anno 1147. Reginaldo Torcalli filio Dublinij Regulo in acie occiso, à Midensibus Godfridus filius Olaui Rex Manniæ (si fides sit adhibenda Chronico Manniæ ab Ostmannis Dublinij Rex salutatus est. Atqui in annalibus Hibernicis Orterus (aliàs Octerus) Reginaldo successisse, dicitur, fortè tamen Godred imperio subiectus, vtcumque Octero Biennio post occiso, Dublinij, Principatum obtinuit Brodarus Reginaldi frater.

Dublinij Regulis.

Anno 1151. Obijt Heraldus Ostmannus Episcopus Limericensis successit popularis eius Torgosius.

* Anno 1161. Brodaro Torcalli filio Ostmannorum Dublinij Regulo, à Midensibus in prælio occiso successit frater eius Asculphus. Eodem anno (Octobris octauo) decessit Gregorius Primus Archiepiscopus Du-

bliniensis cui successit Laurentius (indigenis Lorcanus) O-Thoole-Abbas Glendelacensis, à Gelasio Archiepiscopo Armachano, Dublinij consecratus in Ecclesia Cathedrali S. Trinitatis anno insequenti.

Dermitius Rex Lageniæ fugatus.

* Anno 1167. Rodericus O-coner Rex Hiberniæ Lageniam cum copijs ingressus, Dermitio filio Murchardi Rege Lageniæ in fugam coniecto Lagenienses, & speciatim Ostmannos Dublinienses sibi obsides tradere coegit.

Quorundã Anglorum in Hiberniam aduentus.

Anno 1169. è VVallia, cum copijs sub initium Maij in Hiberniam appulerunt Robertus filius Stephani Meilerus filius Henrici Milo filius Dauidis Meneuensis, & Henricus de Monte-Morisco. Primi appulsus locus Bono Omine dicebatur, Banna siue Beatus, vulgo Bag, & Bân, propè Fitardam, in agro VVexfordiensi, quem aliqui (perperam opinor) eundem esse existimant, cum Ptolomæi Sacro Promontorio. Postridie eos secutus est Mauritius de Prendergast cum decem,& 60. Sagittarijs. Dermitius Murchardi filius de eorum aduentu certior factus Bannam quanta potuit celeritate contendit, eosque lætissimo excepit animo. Die sequente VVexfordiam versus mouent quæ postquam obsidionẽ paulisper sustinuisset Dermitio in manus tradita est. VVexfordia sic capta, & Mauritio Geraldi filio cum nouis copijs ibi appulso (nam quæ ad res Ostmannicas nõ pertinent prætermitto) ijs Rex Dermitius ex pacto suas etiam copias adiunxit. De armis tum in Ostmannos Dublinij conuertendis initur consilium, quod cum omnibus placuisset Dublinium quanta possunt celeritate contendunt vrbemque deditione capiunt, sed obsidibus acceptis, protinus Asculpho Torcalli filio, restituunt.

Opem Dermitio laturi.

CAP.

CAP. VIII.

Dermitius auxiliares copias ex Anglia petit eius filia Comiti Pembrochiæ nubit, ambo declarantur hæredes Dermitij, Ostmanni penitus quasi in Hibernia deleti.

ANno 1170. Rex Dermitius ad Richardum cognomento Strong-bovv Pembrochiæ, (vel vt Giraldus Cambrensis eum appellat) Strigulliæ Comitem litteras perscripsit, quibus ab eo vehementer petit auxiliares eas copias quas promiserat. Comes his litteris à Rege Henrico II. licentiâ Ironicâ potius quam verâ (ait dictus Giraldus) impetrata, Reimundum Crassum sub initium Maij, decem viris equestris ordinis, & 70. Sagittarijs stipatum in Hiberniam præmisit, ipsos postea breui secuturus, Reimundus descensionem fecit ad Dundenil, ad quartum à VVaterfordia lapidem. De Anglorum appulsu Ostmanni VVaterfordienses facti certiores, eos antequam auxilijs firmarentur aggredi statuunt; tumque à Malachia O-Felan Desiensi, & O-Riano Idronensi adiuti, exercitum conscribunt in quo 13000. erant equitum, & peditum, hi in Anglos impetum facientes ab illis paucis dumtaxat adiutis, sub ductu Heruei de Monte Marisco, (qui illuc forte Reimundum visendi gratia venerat) fortiter excepti sunt, & post aliquot horarum pugnam, profligati. In eo prælio ex Ostmannis VVaterfordiæ, & Hibernis, plus minus mille cæsi occubuerunt. Capti sunt præterea 70. qui omnes, Reimundo procurante in vindictam interitus amici sui *De Buein*, qui in prælio ceciderat occisi sunt. Sic *Mauritius Reganus*: At Giraldus Cambrensis eos, Heruei suasu, aduersante Reimundo è rupibus in mare præcipitatos asserit,

Adueniunt à Dermitio vocati.

Prælium inter Ostmannos, & Anglos hi vincant.

hæc

hæc mense Mayo. Augusto sequente Richardus Comes Pembrochiæ, è Milfordia soluit ventoque secundo in portum VVaterfordiæ inuectus exercitum exposuit in quo fuerunt 200. milites primarij, præter mille ordinis inferioris: Post diem vnum aut alterum VVaterfordiam contendit quam Augusto 25. vi cepit ac in ea Reginaldum Ostmannorum VVaterfordiæ Principem, & Malachiam O-Felan, de quo supra. Illi ad mortem damnati; intercessione Dermitij Regis (qui vna cum Stephani de multisque Anglis, & VVallis post victoriam partam VVaterfordiam venerat) seruati sunt. Nuptijs tunc inter Richardum Comitem, & Euam Dermitij Regis filiam ibidem celebratis, Comes eiusque Vxor Dermitij hæredes publicè sunt declarati. Paulò post Dermitius, & gener, præsidio VVaterfordiæ relicto, coniunctis copijs Dublinium contendunt vrbemque (Roderico Rege viam frustra obstruere nitente) obsident. Asculphus Ostmannorum Princeps, cum resistere (quod viribus impar) sibi non tutum putaret, Laurentij Archiepiscopi Dubliniensis intercessione, de deditione citò agere cœpit. Cæterum Reimundus, & Milo de Cogan, durante intercessionis tempore, selecta manu Vrbem inuadentes, ea primo impetu, 21. die Septembris qui Sancto Mathæo Sacer) potiti sunt. Asculphus tamen, & Cydylus plerisque nauiculis, & Cymbis eo tempore in portu concensis euaserunt.

Nuptiæ inter filium Dermitij, & Comitem Pembrochiæ.

Anno 1171. Circa Festum Pentecostes, Asculphus à Ioanne quodam (quem Orcadiensem appellant annales Vltonienses) & copijs suæ gentis auxiliaribus, è Mannia adiutus cum 60. nauium classe Portum Dubliniensem ingressus est, & militibus ex positis in vrbis partem Orientalem irrumpere tentauit, vbi, dum Milo Coganus, qui vrbi præerat, præsidio haud satis firmatus vrbem propugnare conaretur, Richardus frater eius, è porta S.Pauli Australi, cum paruâ manu egressus, hostes (qui auxiliares copias Cogano aduenisse putarant) in

Iterum funguntur Ostmanni,

in fugam facilè coniecit, partim in prælio partim in fuga multi eorum cæsi feruntur, & inter eos dictus Ioannes Orcadiensis. Asculphus etiam ipse captus est, & quod linguæ frœnum intemperantius laxasset, vltimo supplicio postea affectus. De aduentu Henrici Secundi in Hiberniam, & de alijs licet magni momenti rebus, hoc anno in Hibernia gestis, non est hic dicendi locus, vt quæ ad rem de qua nunc agimus non pertinent. Denique satis erit hic indicare captis intra paucos annos postea vrbibus Limerico, & Corcagia ab Ostmannis plerumque possessis penitùs fractas fuisse eorum vires postquam (vt ex his quæ supradicta sunt,liquet) in Hibernia per aliquot annorum Centurias sedes fixerant. Verumtamen remansisse ibi aliquas Ostmannorum familias diù postea ex Archiuis in promptu colligere est. Speciatim ex rotulo Placitorum anni 4. Edwardi Secundi. Huc etiam facit (si ad antiquiora recurramus tempora) Recognitio facta anno Domini 1201. per Sacramentum 12. Anglorum, & 12. Ostmannorum, & 12. Hiberniensium de terris Ecclesijs, & cæteris pertinentijs ad Limericensem Ecclesiam spectantibus. Recognitio habetur in Regesto Decani Limericensis, atquè ita res ab Ostmannis in Hibernia gestas maximè memorabiles paucis perstrinxi.

Atqui ex relatis hactenus vides Hibernos cum Ostmannis, per trecentos, & plures annos pro fide, & patria bella gessisse, idque tam strenue vt hi, quamuis extremas sæpius adhibuerint vires, nunquam plenum, aut pacificum,Hiberniæ potuerint obtinere dominium, quin & illa suos proprios Reges, & Proninciæ suos Regulos haberent, neque post tot annorum Centurias, post tot prælia, post tam frequentes incursiones quibus Dani infestarunt Hiberniam; aliud assecuti sunt, quam pauca loca in Prouincijs Lageniæ, & Momoniæ, quæ etiam tunc à natiuis gubernabantur principibus.

Hibernia post bella 300. annorum semper inuicta.

CAP.

CAP. IX.

Hibernia Romanis Armis mansit intacta.

ROmanos olim in Hibernia subiuganda aliquid tentasse credunt nonnulli, & ægrè colligunt (vt ait Camdenus) ex illo Iuuenalis:

Arma quid vltra
Littora Iuuernê promouimus, & modo captas
Orcadas, & minimâ contentos parte Britannos.

Aliqua exemplaria Chronici Eusebij Galbani in Hibernia Imperium arripuisse habent, sed Hiberia legendum. In Hispania enim (quæ & Hiberia dicta) hoc factum è Suetonio liquet, vti rectè notat Orthelius. Innuit etiam Panegyricus Constantio Chloro Augusto dictus, Hiberniam sub eius fuisse nutu. „Britannia (in„quit) ita recuperata est, & illæ quoque nationes ter„minis eiusdem Insulæ coherentes, vestris nutibus ob„sequuntur. Et in Recentiorum Chronicis (vt iam di„ctus Camdenus notat) Hiberniam cum Britannia, & „Thule Constantino Constantini Maximi filio in Impe„rij diuisione obuenisse scribitur. Verumtamen de expeditione aliqua Romanorum in Hiberniam, vel Insulæ illius expugnatione ab ijs, tam apud Historicos Hibernicos, quam ipsos Romanos altum est silentium. Iulio Agricolæ animus quidem fuit Hiberniam inuadere, cum Regulum quendam Hibernicum seditione expulsum, specie amicitiæ retinuerit nil tamen in ea subiuganda tentauit. Sed audiamus quid hac de re scripsit Tacitus in Agricolæ vita. „Quinto expeditionum anno „(inquit) naue prima transgressus, ignotas ad tem„pus gentes, crebris simul, & prosperis prælijs do„muit eamque partem Britanniæ quæ Hiberniam aspi„cit copijs instruxit in spem magis, quam ob formidi„nem siquidem Hibernia medio inter Britanniam atque

Iulius Agricola.

Taciti de Hibernia sententia.

„Hispa-

„ Hispaniam sita, & Gallico quoque Mari opportuna „ valentissimam imperij partem magnis inuicem vsibus „ miscuerit. Spatium eius, si Britanniæ comparetur angustius, nostri maris Insulas superat, solum cœlumque, & ingenia cultusque hominum haud multum à „ Britannia differunt, melius aditus portusque per commercia, & negotiatores cogniti. Agricola expulsum „ seditione domestica vnum ex regulis gentis exceperat, „ ac specie amicitiæ in occasionem retinebat. Sæpe „ eo audiui, legione vna (de hoc infra) & modicis auxilijs debellari obtinerique Hiberniam posse idque aduersus Britanniam profuturum si Romana vbique arma, & velut è conspectu libertas tolleretur: Sic Tacitus. Ex eius verbis collegit Camdenus multos ex Hispaniâ, Galliâ, Britanniâ in Hiberniam se recepisse, vt Romanorum Iugo colla subducerent, sed hoc alij excutiant. In re obscura variæ (scio) oriuntur opiniones.

Hibernia valentissima Imperij pars, si Romanis subiecta.

Quid fuerit legio Roma, vide ad calcem huius capitis.

Denique (vt hoc etiam notemus) reperiuntur in Anglia, Gallia, & alijs regionibus, vbi Romani victores fuerunt, præter nummos antiquos Romanos, multæ aræ, statuæ, vrnæ, Columnæ, & inscriptiones marmoreæ (quasi tot antiqui operis miracula à veteribus Romanis relicta, at in Hibernia nullæ, ne quidem nummi Romani nisi aliundè inuecti. Hinc cum Guillelmo Neubrigensi rerum Anglicarum lib. 2. cap. 26.) concludimus Hiberniam Romanis etiam Orcadum Insularum dominium tenentibus inaccessam: legio Romana, de qua hic agit Tacitus, diuidebatur in decem cohortes, cohors in quinquaginta manipulos, manipulus in viginti quinque milites, sed tam paucis non tam facilè potuisse expugnari Hiberniam vti credebat Iulius Agrìcola, ostendunt crebri Hibernorum congressus in Britannia cum Romanis ipsis habiti.

SECTIO V.

De Rebus, & antiquitatibus Ecclesiasticis, ac Spiritualibus Regni Hiberniæ.

HActenus qua breuitate potuimus, egimus de Rebus Ciuilibus, ac temporalibus Regni Hiberniæ, nunc eadem breuitate conabimur res Ecclesiasticas attingere, & licet in annalibus enitamur ostendere, à temporibus Apostolorum fuisse in Hibernia aliqua Religionis Christianæ vestigia, quia tamen Sancto Patricio conuersionis integræ, Nationis Hibernicæ laus præcipua debetur, Ecclesiasticam hanc notitiam ab ipsius Apostolatu auspicamur. Hinc sit.

CAPVT PRIMVM.

Chronotaxis vitæ Historiæque Sancti Patricij, ex Vsserio, Colgano, Henschenio.

MVltos habuit vitæ suæ Scriptores magnus Hiberniæ nostræ Apostolus qui in ea tractanda, & mirabilibus prodigijs congerendis, magnam, distinguendis tamen temporibus curam pene nullam impenderunt, ab hoc tamen principio tota ferè Hibernica pendet Historia, obscuris quibus implicatur tenebris nunquam euoluenda nisi hinc lucem accipiat Lector. Quare in annalibus nostris temporum annorumque seriem pro virili obseruamus. Hinc multa præter recentiorum scriptorum mentem ad struenda, multa aliter ordinanda erunt, nunc verò in hoc breui opere pro Lectoris satisfactione hanc Chronotaxim exhibemus, & ita Sancti Patricij ætatem ex supradictis Authoribus recensemus.

Anno Christi CCCLXXVII. Non valdè prouecto nascitur Sanctus Patricius apud Britannos Alcludenses,

olim

olim ad Regnum Angliæ, nunc verò ad Scotiam Albanenſem ſpectantes, alij, & fortè veroſimiliùs aiunt natum eſſe Patricium anno CCCLXXIII.

CCCXCII. Ætatis ſuæ anno XVI. necdum expleto raptùs à prædonibus Scotis, cum ſorore Lupitâ in Hiberniam abducitur, ibique Milchoni in Dalaredia venditur.

CCCXCVII. Penè exacto, anno ſeruitutis VI. ætatis verò XXI. fuga elapſus, atque ad *Boandi* Oſtia à nautis in Britanniam ſoluentibus gratis admiſſus, poſt vnius ferè menſis errores domui paternæ reſtituitur, vbi ad Hiberniæ conuerſionem per viſum reuocatur atque hinc initium ſumunt 60. anni Apoſtolicæ eius vitæ, quæ alios ipſam in anno ætatis LX. inchoantis eo abduxit, vt CXXII. annis vixiſſe putarent.

CCCXCVIII. Tres menſes commoratus in patria, cum parentibus proficiſcitur in Aremoricam, illiſque ibidem barbarorum incurſu amiſſis, iterum captus ad pictos abducitur atque poſt duos menſes reuertitur in patriam: ac tertio captus Burdegalam auehitur, vbi redditus liberati confert ſe Turonas, ibique in Clericum Monachumque attonſus, in Sancti Martini Monaſterio Maiori triennium tranſigit.

Anno CCCCII. Quarto ſui Monachatus, ætatis XXV. vel fortè XXX. vt alij non in Themarenſem ideſt Hiberniam, vt putat Henſchenius neque in Camariam, vel Gallinariam, vt putant Vſſerius, & Colganus, ſed in Tamarenſem Inſulam, Tamaræ fluminis ex Anglia in Mare Hibernicum influentis oſtio obiectam, vt in annalibus noſtris probabiliter oſtendimus, ideoque in Britanniam ſuam denuò profectus eſt.

Anno CCCCIII. In Italiam profectus Patritius ſeptennem per Montes, & Inſulas, Eremitarum ac Monachorum per egrinaorem ſuſcepit.

Anno CCCCX. Ibidem angelico monitu in Preſbyterum ordinatur, & apud S. Seniorem Epiſcopum (fortaſſe Piſanum) triennio ſtudet.

Anno CCCCXIII. Nouis viſionibus animatus in Hiberniam ſe confert: ſed barbaris ad eius prædicationem aures obturantibus legitimam à Pontifice Romano Miſſionem, maioremque authoritatem ſibi neceſſariam iudicans, ſtatuit Romam adire.

CCCCXIV. Dum per Britanniam reuertitur amore ſolitudinis captus penè hæſiſſet in Valle Roſſina niſi intellexiſſet S. Dauidi naſcituro locum eſſe deſtinatum, ergo iuſſus ſe Hiberniæ reſeruare Antiſſiodorum adit, & iſtic Epiſcopo (quem Sanctum Amatorem oſtendemus fuiſſe) ſe adiungit.

CCCCVIII. Patritius annum agens XLI. Sancto Germano ad Epiſcopatum euecto, per Angelum comendatur illique adhæret annis quatuor.

CCCCXXI. Ex Angeli iuſſu Arelatenſem Inſulam (quam Lerinenſem eſſe putamus) adit Patricius ibique nouennium commoratur.

CCCCXXX. Monitus Hiberniæ miſſionis ſeriò auſpicandæ tempus adeſſe, ea de re confert cum S. Germano, poſt Britannicam legationem Arelatem, indèque Lirinum forte excurrente: à quo Romam ab ire iubetur, illuc paulò poſt Palladij diſceſſum adueniens repulſam patitur à S. Cœleſtino atque ad S. Germanum redit.

Anno CCCCXXXI. S. Palladius Hibernorum conuerſione deſperata reuertitur, & in Britannia apud Pictos moritur 6. Iulij Patricius cum litteris Commendatitijs, & Segerio Presbytero Romam remittitur à Sancto Germano.

CCCCXXXII. S. Cœleſtinus audita palladij morte, paucis ante obitum ſuum diebus Hibernicam Legationem Patricio committit: quod Sixtus Cœleſtino ſuccedens confirmat, ergo cum nouem ſocijs in viam ſe dat, & Eporediæ obuiam factus palladij diſcipulis, illius exitu iam certo cognito, à vicino (fortè Taurinenſi Epiſcopo) Epiſcopus conſecratur, alij ſocij ad ordines promouentur inferiores. Denique S. Germano per Gallias tran-

transiens valedicit, & anno in Autumnum prouecto appulsus in Lageniam, vbi initia quædam Palladius posuerat, primum omnium Sinellum baptizat.

CCCCXXXIII. In Dalarediam transit antiquo suo Domino Milchoni fidem Christi prædicaturus, & indè rediens varios in Vltonia conuertit, atque inter fructuosos ibidem labores Saballense circa Dunum Monasterium fundat.

Anno CCCCVI. Regis Leogarij quinto (nam ab ingressu Patricij anni eius numerantur. Videtur primum cum Rege congressus Patricius, & publicè disseminandæ fidei facultatem miraculis extorsisse ab obstinato, nec multo post Athrimiæ Episcopatus instituitur, & primus in Hibernia Episcopus S. Loemanus consecratur postea certatim populis fidem amplectentibus, prædicante, & totam Insulam circumeunte Patricio, plurimæ aliæ sparsim Ecclesiæ, & in ijs Episcopi ordinantur.

CCCCXLV. Roma rediens obuiat S. Kierano de Sagir, & alijs quinque Clericis eodem studiorum causa profectis. Trajecturus in Hiberniam, in Britannia Occidentali prædicat, Monasteria ordinat, sociosque in Hibernicam Messem auxiliares complures secum transuehit præsertim è paterna familia.

CCCCL. Sancta Brigida à Sancto Patricio velatur expleto ætatis anno decimo quarto.

CCCCLIII. Aut circiter quadragenarium Cruacan-Aichle, Ieiunium instituit, S. Munem Roma reuertentem, cum Reliquis excipit ac S. Kieranum Cluanmicnosiæ Fundatorem prædicit.

CCCCLIV. Ardmacha in Metropolim erigenda fundatur, & Concilia celebrantur, loco solemniter dedicato. Extant apud Spelmannum vnius alteriusq; Concilij acta ex antiquis MSS. Primis hic titulus est. INCIPIT SYNODVS EPISCOPORVM ID EST PATRICII, Auxilij Issernini, quos duos quia præ cæteris nominātur, Legatorum Apostolicorum personam sustinuisse

Col-

Colganus æſtimat. Coniectauit Spelmannus ad annum 450. vel 456. iſta referenda.

Anno CCCCLV. vel LV. Romam Angelico iuſſu iterum adit Patricius Reliquiaſque, & Metropolis à ſe conſtitutæ confirmationem refert. Secundinus Iterato Vicarium agit.

CCCCLVIII. Cum S.Brigida vltimũ agens, Patricius, eã mortis, ſepulturę ſuę prȩſciam rogat, vt veſtẽ mortalem texat, & ſibi ad plures annos ſuper futurã prædicit.

CCCCLIX. S. Secundinus componit Hymnum de S. Patricio eoque perfecto moritur 27. Nouembris ætatis anno LXXV. Sub finem ſæculi quinti moritur S. Patricius, quo anno, quia incertum, nunc non diſputo, Duni ſepultus fuit.

Atque hactenus quidem S. Patricij vita digeſta, per annos abſque illis quinquaginta annis quos penè otioſum egiſſe fateantur, neceſſe eſt, qui ipſos deffendunt: nunc quædam adhuc reliquæ Hibernicæ Chronologiæ ad huius aliorumque ſanctorum Hiſtoriam illuſtranda magnoperè profutura hic attexamus.

Anno igitur CCCCLXII. Moritur Leogarius, & in regnũ vi vel electione euadit Alildus-Molt filius Nathi. Sancti Patricij vita ſcribitur à varijs eius diſcipulis.

Anno CCCCLXIV. Romæ à S.Hilario Papa Epiſcopi ordinantur SS. Albeus, & Declanus qui Eccleſias apud Mummonios, & Deſios fundare pergentes, demùm inducuntur à S. Sen-Patricio, vt ſe ſubijciant S. Patricio; id eſt Ardmachano primatui quæ concordia ante quartum vel quintum annum ab eorum reditu non videtur confecta.

CCCCLXX. Peregrè apud Glaſconienſes moritur S. Sen-Patricius, cui S.Mocteus Lutmagenſis ſubſtituendũ curat S.Benignum annos natum xxxv. Interim S.Fiecus Sleptenſis Epiſcopus ſuam de S. Patricio Hymnum componit: in quem, antiqui Scholiaſtæ notæ pertinent ad ſæculum non VI. ſed VIII. vt illis antiquior ſit vita,

tum

tum illa quam Euinus ſcripſit, tum alia quam Thirecanus fecit, qui ambo ſæculo 7. floruere.

Anno CCCCLXXX. S. Benignus moritur die XIX. Nouembris ſubſtituitur ei Iarlathius inter ſanctos à Colgano reputatus ad XI. Februarij.

CCCCLXXXII. Olill-Molt Rex Hiberniȩ in bello magno in Regione Midiæ occiſus eſt vt ex MS. S. Patricij vita lib. 3. tradit Vſſerius pag. 947. credibile eſt Nielli potentiſſimum genus vniuerſaliter contra eum inſurrexiſſe, in gratiam *Lugadij* ſiue *Lugdaeh* filij Beogarij, vt impleretur quod deprecanti Matri conceſſerat Patricius ne hic ſaltem, quem geſtabat vtero communi Leogarianæ poſteritatis maledictioni ſubiectus ab auito regno excluderetur.

Anno CCCCXCVIII. Iarlatho mortuo in Sedem Ardmachanam inſtituitur Corbmacus.

DVIII. Lugadio propter blaſphemiam in S. Patricium fulmine extincto, toto quinquennio certatur de regno inter illius patrueles.

DXII. Corbmacho defuncto ſuccedit Alildus, cæteri deinceps obſcuriſſimi ſunt, nec indè vſque ad mortem S. Celſi anno MCXIX. & electionem S. Malachiæ quidquam nobis eſt exploratum de Epiſcopis Ardmachanis niſi quantum eos nobis Colganus indicauit append. 7. ad acta S. Parricij parte 3.

DXIII. Muircheartach Ercæ filius ex Muredacio filio Eugenij Pronepos Magni Nielli, regnum obtinet Eugenij poſteris à Sancto Patricio promiſſum.

DXXXIV. Cœpit regnare Thuathal Marghab annis X. cuius in vita Sancti Finani, & Sancti Kierani Cluanenſis ſit mentio.

DXLIV. Diermitius I. Ceruailli filius cœpit regnare: contra quem S. Columba precibus adiuuit cognatos ſuos Conallios in prælio Cuildebnenſi: cæſis ad tria millia aduerſarijs, eaque occaſione tamquam cædium tantarum reus, de Conſilio Cleri Hibernici voluntarium

tarium exilium pœnitentiæ nomine ſuſcepit, atque in Hienſem Inſulam migrauit, quæ an rectè ad annum DLXI. & II. referantur, videbimus die 9. Iunij. Regnauit Diermitius annis 21.

Anno DLXV. Ferguſius, & Donaldus Muchertachij filij Nepotes Ercæ, anno vno Imperium communiter tenuerunt.

DLXVI. Ainmereus filius Setnay annis tribus, qui Gildam cuius nos vitam XXIX. Ianuarij dedimus reſtituendæ diſciplinæ Chriſtianæ iam pene collapſæ cauſa acciuite Britannia in Hiberniam iam octogenarium.

DLXIX. Boetanus, & Eocanus commune exorſi regnum trienuio tenuerunt.

DLXXII. Regnauit Eeda filius Ammirei, huic ex vita Sancti Ædami ad XXXI. Ianuarij, iam noto tribuuntur anni XXVI.

DXCVIII. Aida II. cognomento Slane, & Colmanus filius Diermetij I. pariter regnauerunt annis ſex.

DCIV. Æda 3. filius Donaldi Primi annis octo.

DCXII. Malcobus Ædæ 3. filius annis tribus.

DCXV. Suibneus Mendi filius annis XIII.

DCXXVIII. Domnail ſiue Donaldus II. Ædæ primi filius Nepos Annireg, apud Adamnanum in vita Sancti Columbæ nominatur, & regnaſſe putatur annis XIV.

DXCLII. Conallus, & Cellachus fil. Malcobi annis XVI. imperitarunt.

DCLXVIII. Dermitius II. & Blathmach filij Ædæ ſecundi anno VII. regni ſui ſimul extincti qui fuit Chriſti annus DCLXIV. in magna illa mortalitate, quam per Britannicas Inſulas graſſantem accuratè deſcribit Beda lib. 3. cap. 27.

Atque hæc totius Hiſtoriæ Hibernicæ cauſsâ ex Vſſerio huc in ſeruimus, quia omnes tres Hibernicorum Sanctorum Ordines intra horum Regum tempora continentur. Regum quidem ſolius Midiæ ſed inter cæteros

qua-

quatuor aliorum Regnorum (Vltoniæ, Conaciæ, Momoniæ atque Lageniæ Reges absolutos, qui, & ipsi varios sub se Regulos habebant) in communibus totius Hiberniæ Comitijs, vt loco mediorum, sic dignitate, & authoritate præcipuorum qua de causa Reges Hiberniæ, ab exteris absolutè vocabantur. Hactenus ex præfatis authoribus.

CAP. II.

Fructus aliqui Apostolatus S. Patricij; vnde Iberni aliquot exterarū gentium Doctores referuntur ex Conuæo: Apud Suilliuanum.

COnuei verba ita se habent in eo libello in quo de Hibernorum sanctitate, litterisque nonnulla testimonia colligit.

Catalogus quorumdam Sanctorum virorumque Illustrium Hibernorum, aliàs Scotorum, seù Irlandorum, qui varias mundi plagas disseminandæ, aut conseruandæ fidei sacrarumque litterarum desiderio accensi peragrarunt, aut speciali beneficio patroni habentur, omissis innumeris qui domi floruerunt.

S. Mansuetus primus qui fidem suscepisse per D. Iacobum creditur, postea à S. Petro ad Thullos transmissus quos ad fidem conuertit, quorumque Apostolicus Patronus habetur Festus illius dies celebratur 3. Septembris.

S. Phrigidianus Princeps nostras, & Episc. Lucensis in Italia 18. Nouembris.

S. Hidulphus Princeps Doctor egregius, & Episc. Treuiri x1. Iulij.

Sedulius Episc. qui vniuersas Europæ Prouincias illustrauit Romæque fuit.

S. Vrsula cum magna parte vndecim mille virginum,

virgo Princeps, & Martyr, Coloniæ 21. Octobris.

S. Patritius præter quam quod Hiberniæ celeberrimus Patronus habetur, in Murcia Ciuitate in Hiſpania, ob ſingulare in illam illius beneficium præſtitum, quot annis celebri pompa colitur 17. Martij.

S. Brigida virgo Regali ſtirpè orta; Vlyſſipone, vbi ſacræ ipſius Reliquiæ ſeruantur, & annis ſingulis Iubilæi celebratione viſuntur 1. Februarij.

S. Rutbertus Princeps hæreditarius regni primus Salisburgenſis Epiſc. Patronuſque Pannoniæ, Bauariæ, & Noricorum 28. Martij.

S. Trudbertus Princeps glorioſus Martyr Frater Sancti Rudberti Patronuſque Friſingenſium.

S. Erentrudis Princeps ſoror ſanctorum Rutberti, & Trudberti ſociaque peregrinationum, variorumque Cœnobiorum Fundatrix Illuſtriſſima Nurimbergi vigeſima ſecunda Iulij.

S. Columba Princeps Abbas in Brittannia, vbi triginta annos vixit poſtea in Inſula Hù, vbi celebre extruxit Monaſterum obijt nono Iunij, quo feſtus illius dies agitur.

S. Blaithmac Princeps hæres Regni, & inclytus Martyr in Inſula Hu.

S. Columbanus qui varias mundi plagas fide illuſtrauit quieſcit in Monaſterio Bobienſi feſtus dies vigeſima prima Nouembris.

S. Chilianus Epiſcopus Hiperbolenſis genere, & Martyrio nobiliſſimus VViziburgi 8. Iulij.

S. Colonatus, ſeù Colomanus, & Totmannus Martyres, & ſocij B. Kiliani Albinaci 8. Iulij.

S. Gallus Nepos, & ſocius peregrinationis Sancti Columbani Abbas, & Patronus Sueuorum propè Alpes 16. Nouemb.

S. Dimphna Princeps hæreditaria Hiberniæ, ſupra modum pulchra, & Martyr inclytiſſima Gelæ propè Antuerpiam decima quinta Maij.

S. Gerebernus ipſius Confeſſor, & egregius Martyr, ibid. 15. Maij.

S. Furſeus Princeps Patronus Peronæ Abbas 16. Februarij.

S. Folianus Princeps, & frater Furſei, & Vltoni.

S. Cathaldus Epiſcopus, & Patronus Tarenti in Italia 10. Maij.

S. Brandanus Abbas in Inſulis Fortunatis 16. Maij.

S. Donatus Epiſcopus Fieſulanus Foeſulæ 7. Aug.

S. Fiacer Princeps in Territorio Meldenſi 30. Aug.

S. Virgilius Regiæ Proſapiæ Epiſc. Salisburgenſis Apoſtoluſque dictus Corinthiæ Kalendis Decembris.

S. Dobba Epiſcopus, & Cooperator S. Virgilij.

S. Magnus Abbas frater S. Galli Fundator plurium Monaſteriorum in Auguſtana Diocœſi 6 Septemb.

S. Romuldus Princeps Archiepiſcopus Dublinienſis poſtea Mechlinienſium Apoſtolus, & Martyr 5. Iulij.

S. Orguerus Leuita celebris Rurimundæ 10. Sept.

S. Plechmus Comes, & Epiſcopus, inſigniſque Concionator Oudenzeel, Diocœſis Dauentrienſis 15. Iulij.

S. Viro Epiſcopus apud Trajectenſes celebris octauo Maij.

S. Bertuinius Epiſcopus VValoniæ 11. Nouembris

S. Eloquius VValerodari Patronus eximius Concionator 3. Nouemb.

S. Etto Epiſcopus Faſciani, & lætiarum Patronus 10. Iulij.

S. Erendengardus Dornæ celebris 17. Iulij.

S. Himilius nobilis Romuldi cognatus apud Thenas 10. Martij.

S. Ieron Edmondæ in Hollandia egregius Martyr 17. Auguſti.

S. Liuinus Archiepiſc. & Martyr, pretioſus Gandaui 11. Nouembris.

S. Mono Martyr Naſauiæ celebris 18. Octob.

S. Oda Regia Proſapia Orta in Buſcoducenſi vrbe celebris 27. Nouemb.

S. VVanulphus Condati 1. Octobris.

S. VVicbertus Martyr in Foſtilandia 13. Auguſti.

S. VVulganus Epiſcopus Artheſiæ 2. Nouembris.

S. Helias inſignis Concionator, diſcipulus, & ſocius Sancti Liuini. Gandaui.

S. Vincentius Maldegarius Comes Hannoniæ à noſtris dictus Maguer. Soignaci 14. Iulij.

S, Landrius primus metenſis Epiſcopus filius Sanctorum Vincentij, & VValdetrudis, Gandaui xi. Nouembris.

Sancta VValdetrudis Comitiſſa Hannoniæ, & coniux Sancti Vincentij Montibus Hannoniæ, nona Aprilis.

S. Aldetrudis filia S. Vincentii, & VValdetrudis Malbodij 23. Februarij.

S. Medelborta filia etiam S. Vincentij, & VValdetrudis Malbodij ſeptima Septembris.

Hæc Conueus, vt ipſe affirmat ex probatiſſimorum Authorum libris collegit.

CAP. III.

Alij Faſti referuntur.

SEquentes Faſti per dies, & menſes digeſti (opus neſcio cuius opera minimè ſatis ſtudioſè, & diligenter elaboratum) communiter circumferuntur: Quos tamen nequaquam ſilentio prætereundos putaui, nam omnem operam quæ in tam pium ſtudium impenditur memoratu, laude, & etiam præmio dignam arbitror præſertim inopia ſcriptorum qui hoc argumentum tractent.

IANVA-

IANVARIVS.

1 S. Munchinus.
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13 S. Kentigernus.
14
15 S. Ita.
16 S. Furſeus.
17
18 S. Deicolus.
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29 S. Amnicad.
30
31 S. Medogus. S. Adamnanus.

FEBRVARIVS.

1 S. Brigida.
2
3 Recluſio Columbani.
4 S. Gilbertus. S. Tarahata.
5 S. Indractus Martir, cum 9. ſocijs.
6
7
8
9 S. Tronanus.
10
11 S. Etianus.
12
13 S. Columbanus Recluſus.
14
15
16 S. Berotius. S. Tancon.
17 S. Finanus.
18 S. Cuculanus.
19
20
21
22
23 S. Finianus.
24
25
26 S. Ogrinus. S. Soghanus. S. Stephanus.
27 S. Ogamis. S. Oda.
28 S. Aidus. S. Moduuena.

MAR-

MARTIVS.

1 S. Suitbertus.
2 S. Monendas. S. Tedqus.
3 S. Magor.
4 S. Mogrudo.
5 S. Colanus. S. Piranus.
6 S. Senanus. S. Fridolin.
7
8 S. Ducatus, Cathaldus, Conanus, Conellus, Cronanus.
9
10 S. Beſſoghus *Liuenus*,
11
12
13 S. Mecœuogus. S. Viganus.
14 S. Methodius.
15
16 S. Finianus.
17 S. Patritius Apoſt. Ibernię.
18 S. Chriſtianus.
19 S. Lactinius.
20 S. Luchbertus.
21 S. Endius. S. Iſingerus.
22 S. Brianus.
23
24
25
26 S. Motalogus.
27 S. Rudbertus. S. Archibaldus.
28 S. Chronanus. S. Guthber-
29 tus.
30 S. Paton.
31

APRILIS.

1 S. Sadoc. Adrianus.
2
3
4 S. Beganus.
5 S. Thibernoghus.
6
7 S. Sigenus.
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18 S. Laſrianus.
19
20
21
22
23
24 S. Egbertus.
25
26
27
28 S. Chronanus. S. Kortillus.
29
30

MAYVS.

MAYVS.

1	S. Vltanus, Briocus, VValburgis.
2	S. Piranus.
3	
4	
5	S. Scandaleus.
6	
7	
8	S. VViro. Cathaldus, Fiacrius, Gibrianus.
9	
10	S. Congallus. Saranus, Florentius.
11	
12	
13	S. Carthagius.
14	S. Maldodus, Monſedon.
15	S. Diphna, Gerebernus.
16	S. Brandanus. Tricius, Gernochus, ſeu Carantochus.
17	
18	
19	
20	
21	
22	
23	
24	
25	S. Adelinus.
26	
27	
28	S. Ionas.
29	S. Buriena V.
30	
31	

IVNIVS.

1	
2	S. Algiſus.
3	S. Coenginus, ſeu Kininus. S. Chronanus.
4	
5	
6	
7	S. Colmanus.
8	S. Columba.
9	S. Columba.
10	
11	
12	
13	S. Caninus.
14	
15	
16	S. Furceus.
17	S. Enolicus. S. Molingus.
18	S. Colmanus.
19	
20	
21	
22	
23	
24	
25	S. Adelbertus.
26	Nongenti Martyres Bencornenſes.
27	S. Enolicus.
28	
29	
30	

IV-

IVLIVS.

1 S. Rumoldus.
2
3 S. Gutagonius.
4
5 S. Nadunena V.
6 S. Nonina. S.Colinia.
7 S.VVilehibaldos, Disibodus, Kalian.
8 Babianus. Totnanus.
9
10
11 S. Etianus, seù Esto.
12 S. Leuanus.
13
14 S. Fagna. S.Vincentius.
15 Plechelnus. S. Harruc.
16
17 S. Fredegandus.
18
19
20
21
22
23
24 S. Declarus.
26
25
27
28 S. Sampson.
29
30 S. Erentrudis.
31

AVGVSTVS.

1 S. Dolochus, vel Tholocus.
2
3 S. Mansuetus, S. Dermitius.
4 S. Motna. S. VVoltanus.
5 S. Abel. S. Cassianus.
6 S. Masculinus.
7
8
9
10 S. Blauius. S. Malchus.
11
12
13 S. VVicbertus.
14 S. VVerensrinus;
15
16
17 S. Hieron.
18
19
20
21
22
23
24 S. Fathna.
25 S. Bareas Micanus.
26
27
28
29
30 S. Fiacer.
31 S. Aydanus.

SEPTEMBER.

1
2 S. Adaman.
3 S. Mansuetus Episc. Petri Apost. discipulus.
4
5 S. Alpho.
6 S. Bega. S. Magnus, seù Magobaldus.
7 S. Boetius.
8
9 S. Queranus. S. Osmana.
10 S. Otgerus. S. Fianus.
11
12 S. Albius.
13
14 Faigna.
15
16
17 S. Monachus.
18 S. Richardis Imperatrix.
19 S. Egbinus.
20
21 S. Maninus. S. Edilhun.
22
23
24 Translatio S. Ruperti.
25 S. Barrus.
26 S. Colmanus.
27 S. Oromnus.
28
29
30

OCTOBER.

1 S. Wasnulphus. Gutagonus.
2 S. Thomas.
3
4
5
6 S. Comin.
7
8 S. Elogitius.
9 S. Gislenus.
10 S. Canicus.
11
12
13 S. Colman.
14
15
16 S. Gallus. S. Elisius.
17
18 S. Ethbinus. S. Mono.
19
20 S. Vendelin. S. Vitalis.
21
22 S. Donatus.
23 S. Sira. S. Luglius. S. Luglianus.
24 S. Columbanus. S. Dalmachus.
25
26 S. Munnu. S. Albuinus.
27 S. Rumuldus.
28 S. Dalmachus.
29
30
31 S. Folianus, & Socij.

NOVEMBER.

1	S. Babilonius. S. Benignus.
2	S. Doranus. Malachias. Voranus Vulcanus.
3	
4	
5	S. Malachias Trigernoch.
6	
7	S. Florentius vel 17.
8	
9	
10	S. Enclus. S. Iohannes.
11	S. Bertuinus.
12	S. Helias. S. Leuinus. S. Lebruitrus.
13	S. Kelianus.
14	S. Laurentius.
15	S. Maclouius.
16	
17	
18	S. Fridianus.
19	
20	
21	
22	S. Osmania.
23	
24	
25	
26	
27	S. Oda.
28	
29	
30	

DECEMBER.

1	S. Virgilius.
2	S. Fregus.
3	S. Eloquius.
4	S. Fredegandus.
5	
6	S. Congellus.
7	S. Boetius.
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	S. Beanus.
17	
18	S. VVinebaldus.
19	
20	S. Comogellus.
21	S. Columbanus.
22	
23	
24	
25	
26	S. Thadeus.
27	
28	
29	
30	
31	

CAP.

CAP. IV.

Kalendarium à Patre Henrico Dublinensi Societatis Iesu, accumulatum refertur: Ex Suilliuano.

ITa hi Fasti se habent. Alios longè copiosissimos, & vberrimos non mensium, sed litterarum Alphabeti Latini ordine dispositos Pater Henricus Dublinensis collegit, relatis etiam Authoribus qui diuorum nomina sempiternæ famæ gloriæque commendarunt. Ac profectò cum nostri Libri Ibernico Sermone scripti, quibus nostrorum diuorum memoria accuratissime illustratur, sint hodie partim ab exteris hæreticis rapti, & deleti partim à nostris absconditi, ne in hæreticorum potestatem veniant. Ita vt præ manibus vulgo non habeantur mirum est, quanta cura, & diligentia, & industria sit vsus hic Religiosus Iesuita in tot Sanctorum nominibus cumulandis, & ab obliuione Hominum, & interitu vindicandis, tametsi per quam pauci sunt præ magnitudine quæ desideratur. Ne tam insignes, & elaboratæ lucubrationes quę hactenus à nullo scriptore (quod ego sciam) referuntur, intereant hic eas in Lectoris gratiam constitui collocare, numeros nominibus præfigens.

Catalogus aliquorum Sanctorum Hiberniæ.

1 S. Abel, quinta Augusti. Molanus in Natalibus.
2 S. Accha, vide inter socios Egberti.
3 S. Adelbertus Leuita 25. Iunij, vide socios Egberti.
4 S. Adelgilus, in vita Sancti Ettonis, ibidem.
5 S. Adelenus Episcopus 25. Maij, Florat. & Tritemius.
6 S. Adomnanus Abbas 31. Ianuarij, Martyr Angl. 2. Septembris.
7 S. Adrianus, in vita S. Ricarij 1. Aprilis, Mar. Angl.
8 S. Æthna, vel Etna, in vita S. Patricij, Iocel. c. 58. & Probus.
9 S. Aficlis Episcopus, Iocel. cap. 107.
10 S. Aidanus Episcopus 23. Aug. Surius, Beda.
11 S. Albertus Archiepiscopus Casselens. Chronicon Bauariæ.
12 S. Albius Episcopus Stanihurstus, in vita S. Patri-
13 S. Albogastus Episcopus. Gillebertus Minorita in supplem. Sanctorum.
14 S. Algisus 2. Iunij, Molanus loco citato.
15 Altho Abbas, 5. Septembris, Mart. Angl.
16 S. Aminicadh Confess. 30. Ianuarij, Mart. Angl.
17 S. Andreas.
18 S. Archibaldus Abbas 27. Martij, Mart. Angl.
19 S. Angurius Episc. 7. Febr. Genebrard in Kalendario ad Sanctos 361.

B.

1 S. Babilonius Episc. 1. Nouembris, Floratius.
2 S. Barrea Episcopus Mart. Carthusianorum 23. Aug.
3 S. Bathneus 11. Septembris V. S. Columbæ Mart. Angl.
4 S. Betulphus Abbas 17. Iunij Mart. Angl.

5 S. Beanus Episcopus 16. Decembris, in vita Fursei Martyr Angl. aliter Bocanus Florat.
6 S. Bega Virgo aqua S. Becs in Anglia Camdenus, Martyrolog. Angliæ.
7 S. Beganus Carthus. 4. Aprilis.
8 SS. Benchornenses Martyres Nongenti 21. Iunij, Martyr. Angliæ.
9 S. Benignus Episcopus 1. Nouembris Florat. Iocel. cap. 36. 96. quin etiam Stephanus.
10 S. Berasius Episcopus 16. Febr. Mart. Carth. Flor.
11 S. Bereus Confessor, Probus in vita Patricij.
12 S. Bertuinus Episc. 11. Nouemb. Molanus, Florat.
13 S. Bessogus Episcopus 10. Martij, Florat.
14 S. Blaetmach. Antiquæ lectiones tomo 6. pag. 570. viuebat circa annnm 512.
15 S. Blauius Episcopus 10. Aug. Florat.
16 S. Boetius Episcopus 7. Decembris Flor. Ita Melanus, in vita Sancti Mombili.
17 S. Bortuinus Abb. 16. Maij. Petrus à Natalibus in Chronica.
18 S. Brandanus Abb. 26. Maij. Petrus de Natalibus in Chronica Mundi.
19 S. Brianus Rex, & . . . . . 22. Martij. Marianus.
20 S. Brigida 1. Febr. Surius, vid. Mart. Baronij.
21 S. Brigida soror S. Andreæ.
22 S. Briocus à quo S. Brieue in Anglia Camd. 1. May, Mol.
23 S. Brocadius Episcopus Iocel. cap. 50.
24 S. Brochanus Episcopus, ibidem.
25 S. Burchardus Episcopus 8. Iulij, Flor. & Chronica Mundi.
26 S. Burena V. 29. Maij, Mart. Angliæ.

C.

1 S. Caidocus Episcopus, in vita Sancti Ricarij. Surius.
2 S. Canicus, vel Kanicus à quo Killkenna Camd.
3 S. Cassenus Episcopus 5. Augusti, Iocel. cap. 144.

4 S. Ca-

4 S. Cathaldus Episcopus 8. Maij. Petrus de Natalibus lib 4 c.142.
5 S. Celsus Episcopus 5. Augusti in Vita Malachiæ S.Bern.
6 S. Cethuberis Abbatissa.Iocel cap.79.
7 S. Cheranus, Iocel.Vid.Tueranum.
8 S. Chislenus in Vita Liliani Molan.
9 S. Christianus Episcopus 18. Maij . Petrus de Natalibus Mart.Angliæ.
10 S. Christianus in Vita Malachiæ S.Bernard.
11 S. Cinnia V.Focel.cap.79.
12 S. Cladius Monachus Trithemius.
13 S. Clemens in Vita Staybodi.
14 S. Coelius Sedulius Episcopus Trithemius.
15 S.Coenginus Abbas 3. Iunij Flor. Idem Læuius.
16 S. Coindrus Episcopus. Iocel. cap.251.
17 S. Colmanelbus Episcopus. Iocel ibid.96.
18 S. Colmanus Martyr 13. Octobris Martyr.Angl.
19 S. Colmanus Abbas 18.Iunij Flor. secundum Martyr. Cartus .
20 S. Colmanus Episcopus 7.Iunij. Mol. Beda Flor.
21 S. Colmanus Martyr. 8. Iulij in Vita Liliani.
22 S. Columba Abb. 9.Iunij.Iocel.Flor.
23 S. Columba Presbyter.Iocel.59.
24 S.Columbanus Abb. 21. Decembris . Surius.
25 S.Columbanus Monachus 24.Octobris Flor.& Sur. in Vita præ . . .
26 S. Columbanus Abbas reclusus 13. Febr. Mol. in Natal.
27 S. Conallus Mon.Iocel.125. 138.
28 S. Conanus Episcopus 8. Martij. Chartus. Boetius lib.9.Flor.176.
29 Conedus Episcopus. Iocel.91.c.
30 S. Conellus Episcopus 8. Martij Mart. Carthus.
31 S. Corbicanus in vita Edilgisi. Molanus.
32 S. Virgo de Eregri Iocel. 112.

32 S.Cor-

33 S. Cornarus 8. Martii.Mart.Cart. . . 8. Aprilis secundum Flor.
34 S. Cuculanus Episcopus 18. Februarij . Flor.
35 S. Culdouicus Presbyter. Petrus de Natal. lib. 4. cap.90.
36 S. Cuthbertus filius Regis Hiberniæ maior.

D.

1 S. Dalmachus Episcopus 28. Octob. Flor.
2 S. Darerca Virgo Iocel. c.32.
3 S. Deicolus Abb.18.Ianuarij.Flor.Mart.Angl.
4 S. Dermitius 3. Aug. in Vita S. Columbæ Martyr. Angliæ.
5 S. Dicha Confessor Forel. cap. 32.
6 S. Dimpna Martyr. 15. Maij Sur.Mol.Genebrad.
7 S. Disibodus Episcopus 8. Iulij. Surius .
8 S. Diuna Episcopus . . . . . . lib.3.cap.19.eumdem Diunam exstimo apud Camdenum.
9 S. Donatus Episcopus 28. Oct. Mart.Angl. scripsit Grammaticam.
10 S. Doranus Episcopus 2. Nouembris . Flor.
11 S. Donergardus. Iocel.129.130.
12 S. Duchatus Episcopus 8. Martij Flor.
13 S. Dulachus Eremita, eius vita extat Malahidæ in Ibernia .
14 S. Duonius Abb. Iocel.cap.32.

E

1 S. Echeu Rex Vltoniæ. In Vita s. Patricij .
2 S. Edanus. Vide Aidanus .
3 S. Edilhun 21. Septembris.Mart.Angliæ.
4 S. Eybertus Abbas. Beda 24. Aprilis.
5 S. Eybinus Leuita 19. Sept. Mart. Carthus: secundum Flor. 19. Octobris.
6 S. Elbeus Episcopus . Forel.
7 S. Elias Episcopus. Vid. Eliam .
8 S. Elisius Martyr. Petrus Cratapolitus 350.
9 S. Eloquius Abbas 3.Decembris.Flor.Mol.8.Octobris

bris

bris Mart. Angliæ.
10 S. Duæ Emeriæ Virg. Iocel.cap.32.
11 S. Enolicus 17. Iunij. Mart. Carthuſ.
12 S. Erſardus Confeſſor in vita S Sidulphi tom. 7. Surij.
13 S. Ernanus in Vita Columbæ Cellæ tom.5.
14 S. Erentrudis Virgo Soror S. Ruberti.
15 S. Etina Virgo Forel.c.58. Vide Hethnam.
16 S. Etranus Epiſcopus 11. Iunij. Molan.
17 S. Ericus. Iocel 109. Vid. Hecrum.
18 S. Eudenus Abb.11.Martij Mart. Carthus.
19 S. Euinus.Iocel.186.

F.

1 S. Faigna Epiſcopus 24. Iulij Flor.
2 S. Fathna Epiſcopus 24. Auguſti. Mart. Carth. Flor.
3 S. Ferſinus Fori, alijſque celebris multis Iberniæ locis.
4 S. Fedella Virgo.Iocel.cap.58.
5 S. Felinus Killmori celebratur.
6 S. Fetslin Probus. Tandem . . . Fedellani.
7 S. Fiacer Confeſſor. Sur. 8.Maij.
8 S. Fiecus Epiſcopus tàm parens, quàm filius.
9 S. Finianus Abbas 16. Martij. Mart.Carthuſ. Hertor.lib.9.fol.177.
10 S. Finianus Epiſcopus 23. Februarij. Mart. Carthuſ.
11 S. Finanus Abbas 17. Feb. Flor.
12 S. Florentinus 10. Maij.Sur.17. Nouembris Mart. Angliæ.
13 S. Folianus Epiſcopus, & Martyr.31. Octobris cum tribus ſocijs.
14 S. Fohernus Epiſcopus Iocel. c.32.
15 S. Florinanus Epiſcopus, & Abbas in Vita S. Eloquij Molanus.
16 S. Fredegandus 17. Iulij Confeſſor, & 4. Decembris. Mart.Carthuſ.

18 S.Fra-

17 S. Fregus Abbas 1. Decembris. Martirol. Carthus.
18 S. Frigidianus, seù Fridianus 18. Decembris ibidem.
19 S. Fridolinus Confessor 6. Martij. Mart. Angliæ, filius Regis Hiberniæ. P. Gibbonus Cepam de persecut.
20 S. Furseus Abbas 16. Ianuarij. Surius.

G

1 S. Gallus Abbas 16. Octob. Surius.
2 S. Gerebernus Abb. 15. Maij in Vita Dimpnæ.
3 S. Germanus Episcopus 9. Iulij. Flor. Iocel. cap. 92. Mol. in Vita Eloquij.
4 S. Gibrianus Confessor 8. Maij obijt Rhenis anno 509. Sigeb. Flor.
5 S. Gilbertus Episcopus 4. Februarij floruit cum S. Malachia Curgli Capgr.
6 S. Gille Confessor famulus Gutsagoni Mol.
7 S. Ginigille Presbyter. Bed. lib. 5. cap. 13.
8 S. Gislenus 9. Octobris. Mart. Angl. cum varijs.
9 S. Gisnaldus Confessor in Vita Disibodi.
10 S. Glartus Confessor apud Forell. cap. 81.
11 S. Gilie Glerani. Idem cap. 89.
12 S. Gobeus Confessor in vita Adalgisi. Mol. Bed. lib. 3. cap. 19.
13 S. Golinia Virgo 6. Iulij Flor.
14 S. Guualafonus Episcopus in Vita . . . . per Ioannem Donnum.
15 S. Gualterus Episcopus apud Illustres Prædicatorum.
16 Gutagonus Rex, & Confessor 2. Octobris Mart. Angliæ, 3. Iulij Molan.

H.

1 S. Harine Episcopus 15. Iulij. Mart. Angliæ.
2 S. Helanus in Vita Eloquij. Mol.
3 S. Herius Iocel cap. 41. puto eumdem cum Ercho.
4 S. Helias 12. Nouembris in vita Lauin. Mol. Episcopus fuit.

T 5 S. Hi-

5 S. Hibanus Episcopus. Iocel. c. 83.
6 S. Hildolphus Archiepiscopus Forniæ.
7 S. Himelinus Confessor 20. Mart. Mol.
8 S. Hillunaris Virgo Mol. in Vita S. Odæ.

I.

1 S. Iseron Presbyter, & Martyr 17. Augusti. Mol. Flor.
2 S. Ija Virgo, à qua S. Iusbai in Corn-Vallia. Camden.
3 S. Imarius Confessor in Vita Malachiæ Bern.
4 S. Indractus Martyr cum nouem Socijs 5. Februar. Mart. Angl.
5 S. Ioannes Episcopus Martyr 10. Nouemb. Mart. Angl. cum multis Socijs.
6 S. Ionas Confessor 28. Maij. Mart. Angliæ.
7 S. Isingerus Episcopus Martyr. 21. Maij. Mart. Angliæ.

K.

1 S. Kanicus Abbas 3. Iunij. Martirol. Carthus.
2 S. Kartagius Episcopus 13. Maij. Carth.
3 S. Keninus Abbas 5. Iunij. Idem Coengus.
4 S. Keutigernus Episcopus 13. Ian. Mart; Angl. Flor.
5 S. Kieranus Iocel. 113. puto eumdem cum Quærano.
6 S. Hilianus Episcopus, & Martyr. 8. Martij Flor. Mol.
7 S. Kirianus Episcopus, & Martyr. 5. Martij Flor.
8 S. Kirtemius Episcopus. Iocel c. 145.
9 S. Koianus Episcopus 5. Martij. Mart. Carthus.
10 S. Kortillus Episcopus Martyr. 28. Martij Martirol. Angliæ.

L

1 S. Lactinus Episcopus 19. vel 20. Martij. Martirol. Carthus Flor.
2 S. Lactinus Abb. 18. April. ibid.
3 S. Laurentius Episcopus 14. Nouembris. Surius.

4 S. Le-

4 S. Leninus Episcopus 12. Nouembris. Mol.
5 S. Louatius Confessor. Iocel. c. 144.
6 S. Luanus Monachus. Iocel. Bern. 12. Iulij. Martyr. Angl.
7 S. Lugadius Episcopus. Iocel. 93.
8 S. Luglius Martyr 23. Octobris.
9 S. Luglianus Martyr.
10 S. Lugatius Episcopus. Idem, ibidem.
11 S. Lumanus Episcopus. Idem c. 30.
12 S. Lumanus Confessor. Idem c. 39. puto eumdem cum Superiore.
13 S. Lupita Soror S. Patritij. Iocel. c. 50.

M.

1 S. Machaldus Conf. Iocel. cap. 151. 152.
2 S. Machilla Episcopus in Vita S. Brigidæ.
3 S. Maclouius Episcopus 15. Nouembris Flor. Dicitur discipulus Brandani Frat.
4 S. Madelgarius in Vita Ottonis. Mol.
5 S. Magnus, seù Magdobaldus 6. Septembris. Mol. Flor.
6 S. Magnus Abbas 6. Septembris. Canisius tom. 5.
7 S. Malachias Episcopus 2. Nouembris. Surius. Bern.
8 S. Malcallin. Abbas in Martirol. Angliæ.
9 S. Malchus Episcopus in Vita Malachiæ 10. Augusti.
10 S. Maldod 14. Maij. Mart. Carthus.
11 S. Mansuetus discipulus sancti Petri Mol.
12 S. Marnocatus celebris in Fingalia.
13 S. Martyres Nongenti Benchornenses.
14 S. Masnillinus Episcopus 5. Augusti Mart. Carthus.
15 S. Mel Episcopus. Iocel. c. 50. & 102.
16 S. Meldanus Episcopus. Iocel. cap. 93. Item in Vita S. Fiorsei.
17 S. Mema Virgo apud Camdenum par. 468.
18 S. Memessa Virgo. Iocel. 159.

19 S. Metſodius Confeſſor 14. Martij. Carth. Martirol.
20 S. Mochna Virgo. Iocel. c.50.
21 S. Mochus Epiſcopus. Iocel. cap. 50. 134. 135. vel Mocheus.
22 S. Moduuenna Virgo 5 Iulij Capg. Martirol. Angl.
23 S. Moguenus Epiſcopus. Iocel. c.50.
24 S. Mogrado Epiſcopus 4. Martij Mart. Carth.
25 S. Molochus Epiſcopus, diſcipulus Sancti Brandani maior.
26 S. Moncichinus.
27 S. Mono Martyr 18. Octobris. Mol. Martirol. Angl.
28 S. Motalogus Abb. 26. Martij Patronus Lillociæ.
29 S. Mouendas Abbas 2. Martij. Mart. Carthuſ.
30 S. Munerca Virgo Iocel. l. potius Probus.
31 S. Munis Epiſcopus Iocel. cap. 50. & 113.

N.

1 Naninus Confeſſor 21. Septembris Mart. Carthus.
2 S. Nehemius Epiſcopus in viſione tondali.
3 S. Neotus, à quo S. Neodus in Anglia Cleandus.
4 S. Nonnia Virgo 6. Iulij Mart. Carth.

O.

1 S. Oda Virgo 27. Febr. Mol. 27. Nouembris Mart. Angliæ.
2 S. Odrianus Martyr. Iocel. cap. 73.
3 S. Oganus 27. Feb. Epiſcopus Flor.
4 S. Ogrinus 26. Febr. Epiſcopus. Ibidem.
5 S. Oleanus Epiſcopus Iocel. cap. 86. 137.
6 S. Oranus Epiſcopus 27. Septembris Mart. Angliæ.
7 S. Oſmana Virgo 22. Nouembris in Martirol. Angliæ.
8 S. Otgenus Diaconus 10. Septemb. Mol.

P.

1 S. Patricius Epiſcopus 17. Martij. Iocel. Probus Stanihurſtus.

2 S. Pa-

2 S. Patron Episcopus 30. Martij Mart. Angliæ.
3 S. Pauper. Iocel. cap. 181.
4 S. Plechelnus Episcopus 15. Iulij. Mor. Mart. Angliæ.
5 S. Piranus, multis Miraculis Illustris. Camdeuus 2. Maij Martirol. Angliæ.

Q.

1 S. Quiranus Abb. 7. Septembris.

R

1 S. Ribianus Episcopus 8. Iuliuc Flor.
2 S. Richardis Impetratrix, & Virgo 18. Septembris Platius de bon. stat. Relig.
3 S. Riochus Diancon Iocel cap. 54.
4 S. Riquierius.
5 S. Rius Conf. Iocel cap. 35.
6 S. Rodanius Episcopus Iocel cap. 142.
7 S. Romulus Episcopus Iocel cap. 142.
8 S. Ruadanus Confessor in visione tondali.
9 S. Rumoldus Episcopus & martyr 1 Iulij Ioannes Donnius 27. Octobris martyr Angliæ.
10 S. Rubertus Episcopus 27. Martij Mol. Volfangus platius vocat cum filium Regis Hiberniȩ.

S

1 S. Sadoc Conf. 1. Aprilis in vita S. Ricarij.
2 S. Salustius in vita S. Desipodi Surius.
3 S. Sampson Episcopus Surius tom. 6. in vita Maclouij 25. Iulij.
4 S. Saranus Conf. 6. Martij Carth.
5. S. Seandalaus Conf. 5. Maij in vita S. Columbȩ Mart. Angli.
6 S. Senachius Episcopus Iocel cap. 130.
7 S. Secundinus Episcopus ibidem cap. 160.
8 S. Sigenus 7. Aprilis Mart. Angl. Abbas.
9 S. Siza Soror S. Fiacri 23. Octob. mart. Angl.
10 S. Siganus Episcopus 26. Febr. mart. Carth.
11 S. Sophanus Episcopus 26. Febr. mart. Carth.

12 S. Ste-

12 S. Stephanus vide Benign.
13 S. Suitbertus 1. Maij vide Mol.

T

1 S. Tancon Episcopus mart. 16. Febr. mart. Angl.
2 S. Tarahata Virgo 4. Febr. mart Carth.
3 S. Quatuor Virgines de Tedna Iocel. c. 103.
4 S. Tedeus vel Feguus Abb. 2. mart. Flor.
5 S. Tedna Episcopus Bod lib. 3. cap. 26.
6 S. Thessacus Episcopus Iocel cap. 190.
7 S. Tigsernogus Episcopus S. Martij Flor. Molan. vocat eum Thigernacum.
8 S. Tigrida Iocel cap. 30.
9 S. Tornanus martyr 5. Iulij passi habetur.
10 S. Tressanus in vita æloquij Mol.
11 S. Tricius Episcopus 16. Maij. mart. Angl.
12 S. Tronanus Episcopus 9. Febr. mart. Carth.
13 S. Trodbertus martyr antiquæ lectiones tomo 6.

V

1 S. Vendelinus 20. Octob. mart. Angl.
2 S. Victor Episcopus Iocel. cap. 139.
3 S. Viganus Conf. 13. Martij mart. Angl. Vid. Vulganum.
4 S. Vincentius alias Vualaldegarcas 14. Iulij.
5 S. Vinnochus Iocel. cap. 149.
6 S. Virgilius cognom. Soliuagus Archiepiscopus Salisburg. 1. Decembris.
7 S. Vitalis Archiepiscopus 20. Octob.
8 S. Vltanius Abbas 1. Maij passim habetur.
9 S. Voranus Episcopus 2. Nouembris, est ibidem ac Doranus.
10 S. Vluena Virgo.
11 S. Vrsula Princeps vndecim mille Virginum filia maioris Regis Scotorum Hibernię, manifestè monstrabo fabulas esse alias aliorum de S. Vrsula historias, & genealogias, & responsa habeo satis probabilia ad obiectiones contrarias.

12 Vulganus Iocel.cap.141.vide Vulganum.

VV

1 S. VVaſnulpſus Conf. 1.Octobr.mart.Carth.
2 S. VViro Archiepiſcopus Dubl' 5.Maij.
3 S. VVlganus Epiſcopus 2. Nouembris. Chronica Cameracenſia vocant eum Scotum.
4 S. VVltanus Abb.4.Aug.mart.Carth.

Si quis plures legendo compererit dignetur tempori impertire, vt in ſcribendam narrationem rerum Hibernicarum, quæ eſt præ manibus, id ſubſidij conferat Romæ 6.Aprilis Anno 1611. veſter omnium in Chriſto ſeruus Henricus Fitz Societatis Ieſu.

Ita ſuum copioſum quidem Cathalogum Henricus abſoluit, in quo tamen prę his Hibernis Diuis, qui relati ſunt, per quam multi requiruntur, & fere celeberrimi quique in Hibernia vulgo, quorum plurimos perſtringere mihi cordi foret. Niſi militaribus exercitationibus impeditus, litterario ſtudio minus otij ſuppeditare poſſem.

CAPVT V.

De Vniuerſitatibus, Academijs, & Scholis inſignioribus Hiberniæ: deque alijs apud exteras nationes Hibernorum opera excultis.

FRequens olim erat exterarũ Nationum in Hiberniã ſtudiorũ gratia cõfluxus, vt Curuden: in deſcriptione Britanniæ de Monaſterio Glaſtonienſi ſcripſerit de Viris, inquit Sanctiſſimis ſæpiſſimè legitur Amandalus eſt ad diſciplinam, in Hiberniam, & in vita Sulgeni qui ante 600. annos floruit dicitur.

Exem-

Exemplo patrum commotus amore legendi
Iuit ad Hibernos ſophia mirabile claros.

De prædictis Vniuerſitatibus agit VVareus cap. 15. quem quia ſatis accuratè eas recenſiſſe videtur, non grauatè ſequemur, addituri aliquid, & etiam aliquid correcturi vbi Reginam Elizabetham commemorat, fuiſſe olim, inquit, in Hibernia ſcolas inſigniores ſiue vt nunc appellamus Accademias in quas Hiberni, & Britanni, ac demum Galli, & Saxones tamquam bonarum litterarum Emporia confluxerunt ex antiquis Scriptoribus fide dignis liquido conſtat. De hac re vide Bed. libro 3. hiſtor. Eccleſ. gentis Anglorum cap. 7. & 27. & lib. 4. cap. 26. Item Alcuin in proſaica S. VVillibrordi vita cap. 4. lib. 2. de vita eius carmine cap. 1. & 33. Eric. Antiſſiodorenſem Monach. lib. 1. cap. 1. & de miraculis Sancti Germani, & Sulgeni vitam à filio eius Ioanne (qui claruit Anno Domini MLXXXIX.) carmine deſcriptam. Inter ſcolas eas vt antiquiſſima, ita olim eminebat Armachana, de qua ita Scriptor vitæ S. Patricij, qui eam tribus libris complexus eſt, diù ante Anglorum aduentum in Hiberniam. Ibi B. Patricius Ciuitatem, quæ dicitur Armachana, inſtituit, in qua eſt omnis Archiepiſcopatus Hiberniç, quam valdè dilexit S. Patricius viuens, & in qua ſummum conſtituit honorem in ſæcula. In ipſa iam Ciuitate ſcilicet Armacha ſtudium litterale manet ſemper. Gildam Albanium ibi ad tempus ſtudium rexiſſe tradit Carodocius Lhancaruanenſis. Superſunt porrò etiam num nomina prolectorum quorundam ibidem ſub ipſis Norvvegorum in Hibernia ſæuientium temporibus tamquam antiqui ſplendoris reliquiæ. Atque ſi Florentio Carteo credamus, ex M. S. neſcio quo Oxonienſi, cenſus ſtudioſorum eiuſdem Academiæ vno eodemque tempore olim ſeptem millium numerũ exceſſit. Sed hoc tranſeat Author Annalium Vltonienſium ad annum 1020. (qualis eſt 1021.) Armacham vniuerſam

tunc combustam asserit, eodemque incendio perijsse (inter alia ibi memorata) antiquam Cathedram Præceptorum: ad annum itidem 1162. vel 1163. Synodum 26. Episcoporum coactam asserit in loco dicto Clonard præsidente Gelasio Armachano Archiepiscopo, in qua decretum est, vt nullus deinceps ad Theologiam publicè perlegendam admitteretur, nisi qui Ecclesiæ fuerat alumnus, de schola Clonardensi ad Boinum fluu. in Midia hæc habemus in Vita Sancti Finiani Fundatoris, qui claruit Anno Domini DXXX. In loco qui Cluanacana dicitur velut Sol in medio Cœli Finianus radios virtutum, & salutaris Doctrinæ, atque miraculorum illustrando Mundum, emisit; Fama enim bonorum Operum eius ex diuersis Terræ Partibus Viros illustres partim ad Scripturam Sacram addiscendam, partim ad Ecclesiasticam Institutionem, quasi ad quoddam totius sapientiæ Sacrarium attraxit: quorum nomina sunt, Dico, Liecani C. Liecanus filius . . . qui Mac-Ileir dicitur & Liecanus Scigne, Columba Kell, & Columba filius Crimthamæ, duo Brandani C. Brandanus filius Findloque & Brandanus Birra, qui Propheta in Scholis illis & Sanctorum Hibernensium habebatur, & Lasseranus filius Nathfraicth, & Sinel filius Maenaci, & Cainecus filius Nepotis Daland, & Ruadan Lotra, & Nannyd Lamere, & Mugenoc Lillieri Muli Episcoporum Samacæ. Et in Vita S. Molin, venit ad Sanctam Scholam Sancti Finiani in sua Ciuitate, quæ est in Confinio Lageniensium, & Nepotum Neilli, in qua schola multitudo Sanctorum Hiberniæ diuinitatem apud Sanctum Finianum scrutabatur. Scholam ibi Accademiam, vel Gymnasium significare idem: ipsa loquitur, scholam etiam eamdem Ciceronis ætate habuisse significationem, iustè colligit Ioannes Caius de antiquitate Cantabrigiensis Academiæ lib. 1. pag. 177. neque dubitandum est, studium, de quo supra idem olim denotasse, atque ita eodem sensu D. Hieronymus ad Rusticum Monachum scribens, vocat studia Galliarum

Clonardæ Studium.

florentissima, fuit & aliud bonarum litterarum domicilium Rossæ in Carbria antiquitus Rossailitrey, à S. Fachnano sæculo sexto erectum, de quo ita Scriptor Vitæ Sancti Mocoenogi, habitauit S. Fachnanus in australi Hiberniæ Parte iuxta mare in suo Monasterio, quod ipse fundauit, ibi creauit Ciuitatem, in qua semper mansit magnum studium scholarum, quæ dicitur Rosse Author Sanctum Brendanum, ibi Artes liberales prælegisse asserit, qua authoritate nescio: in Chronico suo Hiberniæ Meroditus Hanoncrus inter Accademias numerat, fortasse Beg. Eri. sub Sancto Ibano, Clonferta sub Sancto Brendano, Bangora sub Sancto Congallo, Rathena (in Fercallia) & Humora sub Sancto Cartago, & Leglinia sub Sancto Laseriano. Mirum est sanè, quod de magnis Monachorum Agminibus sub eorum tutelis à Scriptoribus est traditum.

De alijs antiquis Musarum Sedibus in Hibernia Casseliensi sc: & Dunensi fit nuda mentio in Epistola quadam Florentij Carthei supradicti ad Donatum non ita pridem Comitem Thomoniæ, sed de his nihil prætereà traditum reperi; De hac re, qui plura scire volet, consulat profundæ eruditionis Virum D. Iacobum Vsserium d. Armachanum in Britanicarum Ecclesiarum antiquitatibus.

Venio iam ad recentiorum temporum Accademias, & hic primo se nobis offert Accademia Dubliniensis Ioanuem Lecchum Archiepiscopum Dubliniensem à Clemente V. Bullam procurasse fundationis Vniuersitatis scholarum Dublinij datam tertia Idus Iulij Pontificatus Anno VII. certò constat, sed per Archiepiscopi mortem, quæ secuta est 10. Augusti Anno Domini 1313. irrito successu. Anno verò MCCCXX. Alexander de Bricnor Successor eius in Archiepiscopatu Accademiam de nouo fundauit, & Ioannis XXII. auctoritate confirmari curauit, de regulis in ea obseruandis, en tibi ipsissima Instrumenti verba.

Erectio Vniuersitatis Dublinien.

In

In nomine Dei Amen. Nos Alexander de Bricnor permiſſione diuina Dublinienſis Archiepiſcopus, volumus, concedimus, & ordinamus de conſenſu, & aſſenſu Capitulorum noſtrorum SS. Trinitatis, & Sancti Patritij Dublinij Magiſtris,& Scholaribus Vniuerſitatis noſtræ Dublinij, quod Magiſtri actu regentes dictæ Vniuerſitatis poſſint eligere Cancellarium Doctorem in ſacra Pagina, ſeù Iure Canonico. Ita quod ſi in altera Eccleſiarum noſtrarum SS. Trinitatis, vel Sancti Patritij eiuſdem loci in dictis ſcientijs fuerit aliquis in ijſdem facultatibus gradus adeptus, in Cancellariũ præ omnibus cæteris per eoſdẽ eligatur; etſi, quod abſit, in electione eiuſdem Cancellarij fuerit diſcordia, quod tunc ſtetur electioni maioris partis dictorum Regentium in numero dumtaxat, & Cancellario dictæ Vniuerſitatis cedente, vel decedente, alius infra 15. dies eligatur, & idem electus Nobis, vel Succeſſoribus noſtris præſentibus, ſeù Vicarijs Nobis, vel illis in remotis agentibus, Sede Dublinienſi plena, & Sede Vacante, Cuſtodi ſpiritualitatis eiuſdem pro confirmatione obtinenda infra quindecim dies à tempore electionis præſentetur pro confirmatione ſua petenda, & obtinenda, volumus ad hæc, quod duo Procuratores actu Regentes, cùm fuerit copia Magiſtrorum regentium ſimili modo, vt prius eligantur, & quod ijdem Procuratores, cùm Vniuerſitas prædicta Cancellario caruerit, vices ſuppleant eiuſdem Cancellarij, & ſi electio Cancellarij infra 15. dies celebrata non fuerit, ex tunc deuoluatur Iuriſdictio ad Officialem Curiæ Dublinienſis; Sede plena, vel Sede vacante ad Cuſtodem ſpiritualitatis, quouſquè Cancellarius electus fuerit, & confirmatus, vel ſaltem aliquid non obſiſtat Canonicum quominùs debeat confirmari. Concedimus etiam, quod Dominus Cãcellarius habeat Iuriſdictionem ſpiritualem in Magiſtros, & Scholares, vbi actor, & reus ſunt de Vniuerſitate prædicta, & in eorum familiares, & approbationem, & reprobationem teſtamentorum eorum Ma-

Eius Regulæ, & Statuta.

giſtrorum, Scholarium, & familiarium, ac diſpoſitiones eorum bonorum, ſi inteſtati deceſſerint; Ita tamen, quod mulctæ ipſis delinquentibus indicendæ, & emolumenta inde, & ex quacumque alia cauſa de Iuriſdictione prædicta prouenientia, in Ciſta quadam Vniuerſitatis prædictæ reponantur, conuertenda in vtilitatem dictæ Vniuerſitatis communem ſecundùm diſpoſitionem Cancellarij, & Magiſtrorum, & quod duas claues Ciſtæ habeant Procuratores, & tertiam nominatus poſt Cancellarium; & inde dicti Procuratores bis in anno coram Cancellario, & Magiſtris, computum reddere teneantur, vel eorum Deputatis deputandis ab ijſdem: Iuriſdictionem verò noſtram, vel Decani noſtri Sancti Patritij prædicti in familiares noſtros, & Canonicos prædictarum Eccleſiarum, & ad eorum familiares, & ſuper Gleba Prebendarum exiſtentes nullatenus à Nobis, ſeù ab ipſo Decano abdicantes, Prouiſo tamen quod pro Officio Cancellarij, & eius oneribus ſupportandis pro loco, & tempore ſecundùm Vniuerſitatis facultates ordinetur honorificè. Si verò Cappellanus prædictus vices ſuas aliquibus, vel alicui committere voluerit in cauſis ſpecialiter, & vniuerſaliter cognoſcendis, facultatem ei concedimus per præſentes. Etſi ab eiſdem Cancellarijs appelletur: primò ad eumdem Cancellarium, & Regentes appelletur, qui per ſe in dicta cauſa appellationis cognoſcat, vel per alios illa vice, à quibus ſi ſecundò appelletur ad Nos, vel Officiales noſtros, ſeù Cuſtodem, vt præmittitur ipſa appellatio interponatur. Licentiandi inſuper Baccalaurei in facultate quacumque præſententur Cancellario prædicto, & Magiſtris regentibus, qui ſi ſufficientem numerum pro tempore per ipſos ordinando obtinuerint Magiſtrorum in eadem facultate pro litteratura, & quoad illos, & alios aliarum facultatum pro moribus deponentium, quibus credi volumus, ſi Iurati de credulitate deponantur, non obſtante minoris partis numero, & Magiſtrorum contradictione, Licentien-

tientur, alioquin per gratiam transeant Vniuersitatis. Et siquis contra licétiandos aliquid in quacumq;re obiecerit, & illud in forma Iuris non probauerit, eo ipso habeatur pro malitiosè opponente, & propter refusionem damnorum, & expensarum parti faciendarum, Vniuersitatis priuilegio priuetur ad tempus, vel ad perpetuum, prout Cancellario, & Regentibus visum fuerit, habita consideratione ad qualitatem rei obiectæ, & conditionem vtriusque personæ. Concedimus etiam pro Nobis, & Successoribus, quod Cancellarius de consilio Magistrorum regentium, & non regentium; si necesse fuerit, statuta condere possit ad honorem, & pacem Vniuersitatis, & ad scandala dirimenda, quæ contingere poterunt in euentu, & illa statuta debent Nobis, & Successoribus nostris præsentari, & per Nos, & eosdem Successores confirmari. Ordinamus etiam quod Nos, & Successores nostri eligere possimus, sęcularem in Theologia Regentem, vel de quacumque Religione, qui in Ecclesia nostra Sancti Patritij præfata actualiter leget in sacra Pagina, sine alicuius contradictione, vel calumnia perpetuis temporibus in futurum, ac Nobis, vel illis Successoribus nostris agentibus in remotis, quod Cancellarius hæc faciat vice nostra, & eorumdem Successorum (eo non obstante, quod scholas Fratrum Prædicatorum, ac Minorum duximus canonizandas,) & quod Cancellarius electus, & à Nobis, & Successoribus nostris confirmandus Iuramentum Nobis, & Successoribus nostris præstet fidelitatis; In cuius rei testimonium, sigillum nostrum cum sigillis Capitulorum nostrorum SS. Trinitatis,& Sancti Patritij Dublinij præfatorum præsentibus est appensum. Datum Dublinij 10. die Februarij Anno Domini MCCCXX. & Consecrationis nostræ quarto. Tumque Sacræ Theologiæ Doctores creati sunt ibidem Guillelmus de Hardite Ordinis Prædicatorum, Henricus Hogri Ordinis Minorum, & Edmundus de Slarmardin Ordinis Prædicatorum. Item ad gradum

Do-

Doctoratus in Iure Canonico promotus est, Guillelmus Roduert Decanus Ecclesiæ Sancti Patritij Dublinij, qui constitutus est etiam primus Accademiæ Cancellarius, lecturam Theologicam ab Eduardo Tertio ibi postea institutam docet Regestum Ioannis Alani Archiepiscopi Dublinij. Cæterum deficientibus facultatibus, quibus Alumni alerentur, Accademia ipsa paulatim defecit remanebant quidem vestigia aliqua Accademiæ tempore Henrici Octaui, nam in Concilio Prouinciali Dublinij habito in Ecclesia SS. Trinitatis coram VValtero, Fits Simone tunc Archiepiscopo Dubliniensi concessa sunt ad septennium Vniuersitatis Lectoribus stipendia quædam ab Archiepiscopo Suffraganeis, & Clero Prouinciæ Dubliniensis annuatim soluenda.

Sequentem mentionem de Dubliniensi Accademia facit VVareus laudans studium Elisabethæ Reginæ, quæ Collegium SS. Trinitatis nomini consecratum, posuit in loco vbi olim Dermitius Nutugardus Lageniæ Rex Cenobium omnium Sanctorum Canonicis Regularibus construxerat, Predijs ditauit, qui etiam (ait) Regem Iacobum præter annuam 388. librarum & 15. solidorum monetæ Anglicæ ex Fisco, pensionem, amplissimas in Vltonia possessiones elargitum esse, atque hæc (inquit VVareus) Vnica nunc est Hiberniæ Accademia, Athenæ nomine ita locum hunc extollit, cum reuera non studiorum, sed vitiorum schola sit, & hæresum sentina, in qua Protestantes Iuuenes hæretico toxico inficiuntur, & infecti conantur Hiberniam Catholicam inficere, hic prędicti Iuuenes nigro manciæ, & mille malis artibus operam nauant.

Dublinij erectam fuisse Vniuersitatem Clementis V. authoritate, constat ex eiusdem Bulla, sed collapsam, denuò fuisse restauratam auctoritate Sixti IV. patet ex eiusdem Bulla, quæ concedit eidem priuilegia Accademiæ Oxoniensis, & in eadem concedit facultatem Religiosis Ordinū Mendicantium, vt ibidem publicè legāt,

Accademiæ Dublinien. renouatio.

&

& Laureas suscipiant, vtramq; Bullam penès me habeo.

Neque silentio (inquit VVarreus) prætermittenda est Accademia Pontanæ erecta auctoritate Parlamenti ibi habiti in mense Nouembris MCCCCLXV. coram Thoma Comite Desmoniæ Deputato Georgij Ducis Clarentiæ, Hiberniæque Locumtenentis, & Accademia Oxoniensis priuilegijs adornata, cæterum ea Accademia ex defectu prouentus breui euanuit.

Fundationis statutum ipsum (gallicè pro more illorum temporum) Typis antehac non excusum Lectori integrum hìc visum est exhibere ex Archiuio Cancellariæ Hiberniæ Anni V. Eduardi IV. cap.46.

Item a la requisition des Conuines, que pour ce que la terre d'Irlande n'a nulle Vniuersitè ny estude General dans la mesme lequel Oeuure voudroit cause si bien l'encresse du science, richesse, & bonne Gouuernance come Raccordance du riot male gouernance, & extorsion dans la ditte Terre, Ordonnè est, & establiè, & Grantè par l'authoritè dudit Parlement, que soit vne Vniuersitè à la Ville du Drogheda, en laquelle Vniuersitè pouuoient estrè faits Bacheliers, Mestres, & Docteures en toutes Sciences, & Facultez, si comme il sont en l'Vniuersitè de Oxenford, & aussy d'auoir, occupier, & enioyer toutes maniere libertez, Priuileges, & Loix, & laudables coustumes, que la ditte Vniuersitè d'Oxenford à occupie, & enioyè. Per ainsy qu'elle ne soit preiudiciable au Maire, Vicomitè ny Comunautè de la Ville de Drogheda. Ita statutum.

* De Academijs apud exteras Nationes ab Hibernis erectis Parisiensi nimium in Gallia, & Ticiniensi, siuè Papiensi in Italia, vide quæ habet Notherus Balbulus, de vetustis Cænobij Sangallensis Monachis lib. de Gestis Caroli Magni, quæ ex M. S. Codice Bauarico edidit Henricus Canisius tomo primo antiquæ lectionis Anno Domini MDCI. Consule etiam D. Rotheium in Brigida Thaumaturga, & Hibernia resurgente.

CAP.

CAP. VI.

De Antiqua Dispositione Episcopatuum Hiberniæ.

IOcelinus in vita S. Patricij refert quod trecentos quinquaginta Episcopos manu sua in Hibernia consecrauerit Patricius, hic numerus successu tẽporis descendit ad quinquaginta tantum Episcopatus, qui tamen cùm alij auara temporum iniquitate deleti sunt, alij confusi, alij coniuncti, alij aliò translati ad triginta, & tres Cathedrales Ecclesias sunt reducti, quas antequam enumerem vetustiores illas Sedes numero circiter quinquaginta ordine Alphabetico recensere visum.

Sedes Episcopales quinquaginta olim in Regno Hiberniæ.

A

Arfad fuirair Sedes olim Episcopalis in Conacia.
Æcudumia Sedes Episcopalis in Vltonia.
Alfinia, siuè Elfin nunc etiam Sedes Episcopalis in Conacia.
Ardachad Sedes Episcopalis in Lagenia.
Ardbrecan Sedes Episcopalis in Midia Lageniæ.
Ardfearta Sedes Episcopalis in Momonia.
Ardmacha Metropolis in Vltonia.
Ardfratha Sedes olim Episcopalis in Vltonia.
Athrumia in Midia prima olim Sedes Episcopalis erecta à S. Patricio in Hibernia.

B

Bretam Sedes olim Episcopalis prope Dunum in Vltonia.

Casse-

C

Cassella Metropolis in Momonia.
Clocheria Sedes Episcopalis in Vltonia.
Clona Sedes Episcopalis in Momonia.
Cluanard Sedes olim Fpiscopalis in Midia.
Cluainfearta Sedes Episcopalis in Conatia.
Cluaindolcan Sedes olim Episcopalis in Lagenia.
Cluain maenorsa Sedes Episcopalis in Lagenia.
Cuil rathen Sedes olim Episcopalis in Vltonia.

D

Donachmor de Gleantochau Sedes olim Episcopalis in Momonia.
Doria, siuè Deria Sedes Episcopalis in Vltonia.
Drounmore Sedes Episcopalis in Vltonia.
Duacum Sedes Episcopalis in Conacia.
Dublinium Metropolis in Lagenia.
Dulikia Sedes olim Episcopalis in Midia.
Dundalium Sedes olim Episcopalis in Vltonia.
Dungallum Sedes olim Episcopalis in Vltonia.

F

Ferna Sedes Episcopalis in Lagenia.
Finninboren Sedes Episcopalis in Momonia.

G

Glandalach Sedes olim Episcopalis in Lagenia.

I

Imleach Sedes Episcopalis in Momonia.

K

Kenlisa Sedes olim Episcopalis vt creditur in Midia.
Killala Sedes Episcopalis in Conacia.
Kildaria Sedes Episcopalis in Lagenia.

Killkennia Sedes Epiſcopalis in Lagenia.
Killmaduach Sedes Epiſcopalis in Conacia.
Killmore Sedes Epiſcopalis in Vltonia.
Killdalua Sedes Epiſcopalis in Tuamonia.
Killthreith Sedes olim Epiſcopalis in Vltonia.

L

Leghlinia Sedes Epiſcopalis in Lagenia.
Limmericum Sedes Epiſcopalis in Momonia.
Liſmoria Sedes item Epiſcopalis in Momonia.

M

Mageo Sedes olim Epiſcopalis in Conacia.
Medenſis Sedes Epiſcopalis in Midia.

R

Rapotia Sedes Epiſcopalis in Vltonia.
Roſſa Sedes Epiſcopalis in Momonia.

S

Slania Sedes olim Epiſcopalis in Midia.

T

Tuamia Metropolis in Conacia.

W

waterfordia Sedes Epiſcopalis in Momonia.

Succeſſu verò temporis Sedes Epiſcopales fuerunt diſpoſitæ vt ſequitur. Igitur Ioannes Paparo Presbyter Cardinalis Tituli Sancti Laurentij in Damaſo Legatus ab Eugenio Tertio in Hiberniam miſſus quatuor Pallia ſecum detulit, quæ vt alias dicemus in Synodo habita Menſe Martio Anno MCLII. quatuor Archiepiſcopis tradidit, Armachano ſcilicet, Dublinienſi, Caſſelienſi, & Tuamenſi; De loco Synodi variant Scriptores, nam aliqui in Cænobio Mellifontis, alij Kenanuſæ, ſiuè Kenliſæ (quam hodie contracte Kels dicimus) in Midia habitam volunt. In ea Synodo cuilibet Archiepiſcopo certus Suffraganeorum numerus ſubiectus eſt, & aſſignatur horum diſpoſitio in Codice Cenſuum Cameralium Cenſij Camerarij qui fuit poſtea Honorius Tertius, ita ex Hibetio.

Sub

Sub Archiepiscopo Armachano.

Episcopatus de		Sine recentioribus nominibus Episcopi.
	Connerec.	Conorensis.
	Du Daleglas.	Dunensis.
	Lugud.	Ludunensis. alias Louthensis.
	Cluainiard.	Clonardensis.
	Coñanas.	Kenanensis. alias Kellensis.
	Ardachad.	Ardacadensis.
	Rathboth.	Rapotensis.
	Rathlurig.	Rathluriensis.
	Damliag.	Damliagensis. alias Dulechensis.
	Darrich.	Derensis.

De hac distributione non pauca hic notanda: nam si ad recentiora tempora veniamus, Sedes Clonardensis, & Damliagensis non diù post Anglorum aduentum in Hiberniam coaluerunt, ideoque Episcopi, iam inde à Midia, in qua dictæ Sedes sitæ stylum mutuati Episcopi Midienses sunt appellati. Item Sedes Rathlunensis adiecta est Cathedrę Derensi. Ad Lugudunensem quod attinet, illius Sedes Episcopalis, quandoque Ludunensis, siuè Lugudunensis, quandoque Clochorensis dicebatur, nam licet illæ duæ Sedes Ludunensis, & Clochorensis originitus fuerunt distinctæ, tandem tamen coaluerunt, & vnitæ manserunt vsque ad tempus Dauidis à Bragan Episcopi Clocherensis (qui vixit sub Henrico Tertio.) Tum verò omnes Regaliæ, siuè Vrielis Decanatus, qui olim suberant Episcopo Ludunensi, siuè Clochorensi ab eo abstracti fuerunt, & Diœcesi Armachanæ adiecti. Qua de re extat iam dicti Dauidis actio data Perusij Idibus Augusti Anno MCCLII. contra Reinerum Archiepiscopum Ar-

machanum, licet incerto ſucceſſu. Deniq; in hac diſtributione (quod hic non prætermittendum) deſunt Sedes Dromorenſis, Clonmacnoiſenſis, & Triburnenſis, quæ poſtrema vetuſto eo nomine tandem depoſito nomen accepit Sedis Kilmorenſis, ex quo Andreas (Bradeus ni fallor) loci Epiſcopus circa Annum MCCCCLIII. Eccleſiam Parochialem S. Filimei de Kilmore, Nicolai V. Papę aſſenſu in Eccleſiam erexit Cathedralem. Ad ſedēdi Ordinem quod attinet inter Epiſcopos Suffraganeos Hiberniæ in Concilijs, & alibi, Epiſcopus Midenſis primum habuit locum, ſecundum ſibi aſſeruit Epiſcopus Darenſis, cæteri ſecundum tempora Ordinationum ſederunt,

Sub Archiepiſcopo Dublinienſi.

Epiſcopatus de	Clendelachi. Fern. Cainic. Leghlin. Childar.	*Poſtea dicti Epiſcopi*	Glendelacenſis. Fernenſis. Oſſorienſis. Lechlinenſis: Darenſis.

Sedes Glendelacenſis, quæ (in Bulla Lucij Papæ III. data 1182. à Ioanne Comino Archiepiſcopo Dublinienſi impetrata) dicta eſt Archiepiſcopatus Inſularum, vnita fuit poſtea, & annexa Cathedræ Dublinienſi tempore Henrici Loundræ Archiepiſcopi Dublinienſis. non defuerunt, qui tradidere Sedem Fernenſem olim ſubfuiſſe Cathedræ Meneuenſi in wallia ſed tranſeant conceptus iſti Imaginarij.

Sub Archiepiscopo Casseliensi.

Episcopatus de	*Postea dicti Episcopatus*
Cendaluani.	Laonensis.
	aliàs Killaluo.
Limeuch.	Limerecensis.
Insula Gatthirij.	Inistatiensis.
Collumabracg.	Fenaborensis.
	aliàs Kilfenoragh.
Oleimlech.	Imelacensis.
Rosoceen.	Roscrensis.
waltifordian.	waterfordiensis.
Lismor.	Lismorensis.
Cluaintanian.	Clonensis.
Corcaia.	Corcagiensis.
Rosarliter.	Rossensis.
Ardfert.	Ardfertensis.

Ex his Sedes Inistatiensis post Anglorum ingressum adiecta est Cathedræ Lismorensi,& Roscriensis, Laonensi. Item adunatæ sunt Sedes waterfordiensis, & Lismorensis, deinde Corcagiensis, & Clonensis, atque demum Imelacensis adiuncta est Casseliensi.

Sub Archiepiscopo Tuamensi.

Episcopatus de	*Postea dicti Episcopatus*
Mageo.	Magionensis.
Cell-allaid.	Alladensis.
	vulgo Kill-alla.
Roscoman.	Roscomanensis.
Cláanfert.	Clonfertensis.
Achad.	Achadensis.
	vulgo Achoneis.
Cinant.	Cluanensis.
Celmun dúat.	Duacensis.
	vulgo Kilmagoch.

Ex

Ex his Sedes Episcopalis Magionensis postea adiuncta est Cathedræ Tuamensi sicut quæ in dicta distributione omissa Enaghdunensis.

Porrò Roscomanensis Elphiniam postea translata est, & Chianensis Prouinciæ Armachanæ adiecta, post longam nimium ea de re contentionem Romæ agitatam inter Archiepiscopos Armachanum,& Tuamensem; nam non possum non suspicare *Ciuani* corruptæ ibi legi pro *Cluana* (vulgò Clonmacnoisa) tum ob nominis affinitatem, tum ob Sedis illius propinquitatem, vt quæ à Prouincia Tuamensi, Shenano flumine tantum disterminatur.

Nomina Episcoporum, qui Synodo interfuerunt, in qua facta fuit dicta distributio ex antiquo Codice M.S. visum est hic reponere, quia huic rei lucem aliquam probent.

Giola Christ (siuè Christianus) Ochonarchi Episcopus Lismorensis Legatus, Giolla-mac-Erach, (alias Gelasius, Primas Hiberniæ. Domnaldus O-Lonarghin Archiepiscopus Momoniensium,idest Casseliensis. Giola O-Hossin Archiepiscopus Conaghtensium idest Tuamensis, Greri, siuè Gregorius Episcopus Athacliach, idest Dubliniensis. Giolla-na-nemh Episcopus Glendelacensis, Dungallus O-Collaid Episcopus Lechlinensis. Tuistius Episcopus watetfordiensis. Domnaldus O-Fogoctaigh Episcopus Ossoriensis. Find-mac-Tiarchin Episcopus Kildariensis, Gillo Anchomeheb, siue Deicola O-Ardmail Episcopus Imelacensis. Giolla Eda O-Maigin Episcopus Corcagiensis, Macronan Episcopus Kierensis, idest Adferdensis. Torgesius Episcopus Limericensis. Mnichertachus O-Melider Episcopus Cluainmiensis. Meliosa O-Conocthain Episcopus Anthioconact —— O-Ruadan Episcopus Luigni, idest Acadensis. Macraith O-Mocain Episcopus Commacus,idest Ardachadensis. Etroi O-Miadachain Episcopus Cluanairdensis. Tuathal O-Connachtaigh Episcopus Ambruin, idest

ideſt Enachdunenſis. Muindheach O-Cobtaigh Epiſcopus Ceanla. Eogain Epiſcopus Diala raid, ideſt Connorenſis Malioſa mac-Indecienich Epiſcopus Vllargh, ideſt Dunenſis.

Cæteris quorum tituli à Regionibus in quibus Sedes eorum Sitæ, quandoque mutabantur, ſupra recentiora nomina adiecimus huic diſtributioni ſic abſolute viſum eſt adijcere Inſignia iam dictarum quatuor Sedium Archiepiſcopalium.

Sedis Armacanæ Inſigne eſt Pallium pendens ornatum quatuor Crucibus, & quinta angulo eiuſdem imminens.

Dublinenſis Eccleſiæ inſigne Pallium item pendens ornatum quinque Crucibus, & ſexta eiuſdem angulo imminente.

Eccleſiæ Caſſellenſis duæ Claues tranſuerſæ.

Eccleſiæ Tuamenſis Imago Beatæ Virginis, à latere dextero Imago Sancti Patricii, à ſiniſtro (vt videtur) Sancti Ioannis Baptiſtæ cum Agno in brachijs, trium Capitibus imminēt tres fornices acuminatæ piramidales.

Fuerunt, & aliæ Sedes Epiſcopales in Hibernia, ante Paparonis aduentum de quibus fit mentio apud Scriptores Hibernicos, Trimenſis nimirum Sleptenſis, Luſcenſis, Ardomenſis, Ardfiratenſis, Slanenſis, & (vt cæteras hic prætermittamus) Saigerenſis. Sed illæ partim in Synodo ſupramemorata, partim antea, & partim breui poſtea alijs Cathedris adiunctæ fuerunt, & annexæ. Denique ſi prima ſurgentis Eccleſiæ Hiberniæ tempora ſpectemus Iocelinus Furneſſenſis in vita Sancti Patricij capit. 186. affirmat eum CCCL. (nec minus habet CCCLXV.) Epiſcopos manu ſua Conſecraſſe. Vt vt fuerit Sedes illius æui Epiſcoporum in Villis exiguis plerumque ſitas non diù poſtea ad longè minorem numerum fuiſſe redactas rectò conſtat ſed hæc pleniorem requirunt diſquiſitionem. Nos alio feſtinamus.

CAP.

CAPVT VII.

De Ecclesijs Cathedralibus Hiberniæ, in qua origines earum, & aliæ antiquitates aperiuntur. Ex Vvareo.

In Prouincia Armachana.

Loca, & tituli dedicationum.	Origines, & aliæ Antiquitates.

Armacha Ecclesia Sancti Patricij.

TEmplum erexit Cathedrãq; ibi fixit Sanctus Patricius Hibernorũ Apostolus, Anno Dom. 443, vel secundũ annales Vltonienses, 444, ad quem annũ, in ijsdem annalibus ita annotatum inuenimus, Ardmacha fundata est ab vrbe condita, vsque ad Ciuitatem fundatam, 1194. anni sunt. Locum (prope Calin flu.) à salicibus, quibus consitus fuerat, Druim-sailec primum dictum concessit darius quidam, vir diuitijs affluens, & inter suos magni nominis ab editiori vero situ, postea factum est nomen Armacha, siue Ardmacha, id est editus campus. De Sede à Sancto Patricio hic collocata, ita Iocelinus Monachus Furnessensis, in vita eiusdem Patricij, cap. 63. Cathedram Archiepiscopalem in eadem Vrbe collocauit (S. Patricius) & vt sedes illa totius Hiberniæ esset primaria, Metropolis, & Magistra, animo statuit. De antiqua huius Sedis dignitate, nihil pręterea dicam, nisi quod amplissima haberet olim priuilegia, ad Ecclesiasticæ libertatis firmamentum Indulta, sed redeamus ad propositum Ecclesia hæc Cathedralis, sicut sępè deuastata fuit, & Incendio deformata, ita iterum, atque iterum restaurata, & amplificata ab Archiepiscopis Armachanis: sed

præ-

præcipuè à Patricio Scanlaino circa annum ſalutis 1262, tum nuper à Sede Rapotenſi Armacham translato, proximus eius ſucceſſor Fr. Nicolaus Meliſſæ filius, præter libros, veſtimenta Eccleſiaſtica pretioſa, & alia, quæ Eccleſiæ ſuæ Armachanæ dederat, Annuam, etiam 20. marcarum penſionem eiuſdem Eccleſiæ fabricæ, & mannerio ſuo de Termon-feichan pendendam contulit. Sedi præterea ſuæ appropriari curauit Mannerium de Dromyskin obijt decimo Maij 1303, vir ob facundiam, & prudentiam celebris cum Eccleſiam Armachanam rexiſſet annos 31.

Clonardæ Eccleſia S. Finiani.

In midia multæ erant olim Sedes Epiſcopales, Clonardenſis, nempe Damleagenſis, Keliſenſis, Trimmenſis, Ardbrachanenſis, Don-Saghlienſis, & Slanenſis, præter aliàs minoris notæ: quæ omnes, exceptis Damleagenſi, & Kenliſenſi, ſiue Cenanuſenſi, coaluerunt, ijſque communis Sedes Clonardæ conſtituta eſt, ante annum Dom. 1132, quo facta eſt diuiſio Epiſcopatuum Hiberniæ, à Iohanne Paparone Præsbytero Cardinale Tituli Sancti Laurentij in Damaſo, Eugenij III. Tunc apud Hibernos Legato, in Synodo Inchoata pridie nonas Martij, vel in Cænobio Mellifontis, vel vt alijs placet, Kenliſæ; cæterum duæ illæ Sedes (Damleagenſis, nempe, & Kenliſenſis) eandem poſtea aleam ſubierunt. De his Compendio ſigillatim: ac primo de Clonarda.

Clonardæ primus præfuit Epiſcopus Sanctus Finianus, ſiue Finanus, Philoſophus, & Theologus Inſignis. Nobili ortus proſapia, ſed pietate nobilior, apud Sanctum Dauidem Meneuenſem in Cambria Epiſcopum aliquamdiu commoratus eſt, eique ob egregias animi dotes valde charus fuit in patriam reuerſus factuſque Epiſcopus, Sedem ſuam Clonardæ in midia prope Boinium fluuium, collocauit, ibi porrò Gymnaſium inſtituit, quod illius cura, & laboribus, multos progenuit viros ſanctitate, & doctrina Celebres: Inter quos fuerunt

vterque Kiaranus, vterque Brendanus, vterque Columba (nempe Columba-cille, & Columba filius Chrimthani.) Laserianus filius Nathfraci, Cainecus, Mouæus, & Ruadanus. Et sicut Schola S. Finiani fuit quasi quoddam totius sapientiæ Sacrarium, vt loquitur vitæ eius descriptio, ita & ipse Finianus Sapientis cognomen adeptus est. Obijt is Decembris 12, anno Salutis 532, & in Ecclesia sua sepultus est. Episcoporum huius Diæcesæos, qui Clonardæ sederunt, postremus fuit Simon de Rupeforti al. Rochfort, Anglus, qui sicut prędecessor, Eugenius, vltimis consecrationis suæ annis, stylo à Midia regione amplissima, mutuato, Episcopus Midensis dictus est; quo titulo omnes etiam deinceps successores constanter vsi sunt. Non tamen hic prętermittendum est, Idumanum vnum è prædecessoribus Eugenij, diu ante eum, Midiæ Episcopum fuisse dictum, & eo vsum stylo, inter testes Epistolæ VVaterfordiensium ad Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem, in gratiam Malchi electi VVaterfordiensis, anno 1096. conscriptas. Sed ad Simonem redeamus. Is circa annum Christi 1206, Clonarda Relicta Cathredam suam Episcopalem ad Cœnobium SS. Petri, & Pauli Apostolorum nouæ villæ iuxta Trimmam transtulit, quod tum nuper Canonicis Augustinianis condiderat. Constat porrò Henricum VIII. Regem (qui Monachos vbique exturbauit) Ecclesiam Cœnobij Beatæ Mariæ de Ballemore iuxta Logh-seudy apud VVest Midenses, in Cathedralem huius Diœceseos conuertisse, sed quam diu ita durauerit, nescio. Damleagæ, siue vt hodie, Dulekæ, Sedes Episcopalis primum constituta est à S. Kenano, aliàs Cianano, cui ipse præfuit Episcopus primis Ecclesiæ Hibernicæ Surgentis Temporibus. S. Kenanum Ecclesiam ibi construxisse lapideam, & inde Damleag nomen accepisse.

Refert officium eius, cuius exemplar, è codicè M. S. Bibliothecæ publicæ Cantabrigiensis transcriptum, impertiuit mihi amicissimus M. Guliemus Morus, Ecclesia-

rum

rum etenim anteà (sic idem officium) de virgis, & tabulis structuræ fiebant in Hibernia, nec facilè quidem reperiemus aliam structuram, è Saxo ab Hibernis factam, ante tempus S.Malachiæ Archiepiscopi Armachani, S.Bernardi æqualis,& dilecti, licet in morte Paulo Prioris. Sed de Veterum Hibernorum ædificijs, vide, si placet, quæ alibi diximus Sanctus hic Kenanus Regio Momoniensium ortus Sanguine,& ad Tempus in Gallia, sub Sancto Martino Episcopo Turonensi educatus obijt 24. die Nouembris anno 489, vel 488.

Sequitur Cenanus, postea Contractiùs Kenlis, & deinde (sicut hodie vulgo) Kells, antiquitùs inter Insigniores Hiberniæ Vrbes numerata, sed posterioribus temporibus postquam nimirum in opidulum decreuit, dicta ob situm, & munimentum Clauis earum partium Midiæ,memoranda porrò hoc nomine, quod S. Columba, qui & Columb-cille, composito (inquit Beda) à Cella, & Columba nomine, Cœnobium Insigne ibi fundauit circa annum Domini 530. locum concedente Dermitio filio Cerualli Rege Hiberniæ. Sedem etiam Episcopalem ibi postea erectam fuisse liquet, sed quando primum constituta fuerit, ignoratur. Hoc tamen constat, Seculo XIII, Cathedræ Midensi fuisse coniunctam. Kenlisæ huic Magnum olim decus fuit. S. Cuthebertus Lindisfarnensis Episcopus, (obiter adnoto) qui hoc in loco editus est, vti vitæ eius descriptor demonstrat ex Historijs Hibernensium. Liber habetur in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Vitellij, D. XIV. 8. non desunt tamen, qui natum eum in loco dicto Kilmacudrick, ad quartum â dublinio lapidem contendant. Ad cæteras, quod attinet, satis erit, vel verbo memorare Ecclesias Trimmensem, & Donsaghlinensem à S. Patricij nepotibus erectas fuisse, hanc à S. Secundino, al. Sechnallo, illam à S. Lumano: Deinde Slanensem à S. Erco, qui obijt anno 513, & Ara-bracanensem à S. Vltano, qui anno decessit 637. hique omnes, vt fundatores, ita primi fuerunt ha-

rum Ecclesiarum Episcopi, atque hæc de Sedibus hisce, vnitis tandem, & coniunctis Episcopatui Midensi compendio dicta sufficiant.

Duni Ecclesia S. Patricij.

Sanctus Cailanus S. Macnisij Episcopi Connerensis æqualis, sed in Episcopatu posterior, ex Nendrumensi Abbate, factus est Dunensis Ecclesiæ Episcopus. Sub exitum Seculi post Christum natum quinti. Ecclesiam hanc refecit S. Malachias Morgarius, Episcopus primum Connerensis, Dein Armachanus Archiepiscopus, demum Archiepiscopatu abdicato, Antistes Dunensis, anno 1137. Tum post annos circiter 40, Malachias Tertius eiusdem nominis Episcopus Dunensis, à Ioanne Curcæo Vltoniæ dicto expugnato re adiutus, auxit eam, & ornauit. Ioannes ille præterea, Canonicis secularibus expulsis, eorum loco Monachos Benedictinos, è Cœnobio S. VVerburgæ Cestriæ substituit anno 1183. & sub eodem tempore, eiusdem Curcæi suasu, Ecclesia ea Cathedralis, quamquàm anteà S. Trinitatis nomini consecrata, in S. Patricij honorem dicata est. Non paucos autem credidisse Iliadem malorum curcæum inde sibi postea attraxisse, author est Christophorus Pemprigius, in Annalibus suis. Vtcumque, maximam, olim claritatem loco proculdubiò conciliauit S. Patricij sepultura, quo etiam corpora SS. Columbæ, & Brigidæ postea translata fuerunt. Postremus huius Sedis Episcopus, ante realem (vt loquimur) vnionem Ecclesiarum Dunensis, & Connerensis, fuit Ioannes Sely, Monachus Benedictinus. Eo vero exauthorato anno 1441, Ioannes Episcopus Cônerensis vnionem vtriusque Sedis, ab Eugenio IV. Pontifice obtinuit. Et iam inde vnus idemque Episcopus Dunensis, & Connerensis appellatur. Locus, antiquiori nomine Arascealtair prorsus deperdito, Dunun dictus est, vnde, & Regioni nomen. Dunun autem Priscis Gallis, & Brittannis, & Saxonibus, collem, vel situm aulicum denotabat: atque hinc Lugdunum, Iuliodunum in Gallia Dunelmum

mum, Sorbiodunum, & ſimilia in Anglia manarunt: neque aliam habebat ſignificationem apud Hibernos. Nam hæc Sedes in Regeſto Cenſuum Cameralium. Cenſij Camerarij appellatur Dun-da-leghlas, quam vocem Hiberni interpretantur Collembinorum mediorum Catenæ: & Iocelinus, cap. 38. à Catenis confractis, Dunum nomen ſortitum fuiſſe aſſerit. Sic porrò à Collino ſitu in Hibernia, nomina deducunt, Dun-amaus, Dun-keran, Dun-gannon, & Dun-garuan. Exempla alia ſatis obuia ſunt: ſed in re, tam nota, hæc ſufficiant.

Connera, Eccleſia S. Mac-niſij.

Aengus Macniſius primus fuit huius Eccleſiæ Epiſcopus, & Fundator. Is cognomentum à matre, more inſolito, trahens, vulgo S. Macniſa, vel Mac-niſius, ſine aliqua alia additione, dictus eſt, Patris autem nomen Fobrec fuit, vt tam è Tigernaci annalibus, quam ex antiquo Aenguſiani Martyrologij Scoliaſte, ad diem tertium Septembris, intelligimus. E viuis hic ceſſit Senex Venerabilis 3. Septembris, Anno Domini 507. vel ſecundum alios, 514. huius Eccleſiæ benefactor dicitur Iſaacus de nouo Caſtro ad Tinam, Epiſcopus creatus Connerenſis anno 1243, vbi præfuit annos 12. quid autem contulerit traditum non reperi. Celebritatem huius loci maximam aliqui adſcribunt S. Malachiæ ſupra memorato, qui hic præfuit ad Tempus Epiſcopus, & cuius vitam deſcripſit, S. Bernardus Abbas Clarauallenſis Celeberrimus, è quo plura petas.

Clochoræ, Eccleſia S. Maccartini.

Hanc Eccleſiam fundauit S. Patricius eamque poſtea contulit dilecto ſuo Diſcipulo, & in Verbi Dei prædicatione adiutori indefeſſo, S. Maccartino, Iocelino, Kerterio è nobili Aradentium proſapia orto, ſed moribus nobiliori. Sedit ibi Maccartinus vſque ad annum Dom. 506. quo placide ex hac vita ſenex migrauit, ix. Calend. Aprilis, vel vt alij habent, vi. Octob. & in Eccleſiæ ſuæ Cemeterio ſepultus eſt. Poſt aliquot deinde ſecula, anno

nem-

nempe 1041. hæc Ecclesia de nouo ædificata est, & S. Maccartini memoriæ dicata. Circa annum verò 1293. eam restaurauit Matheus Mac-Catasaid Episcopus Clocherensis. Is Capellam porrò condidit supra sepulchrum S. Maccartini, & Cemeterium muro circundedit. Anno demum post centesimo, Aprilis 28. dum Arthurus Mac-Camæil loci Episcopus Capellam Maccartini de nouo erigi curaret, Ecclesia ipsa Cathedralis, & duæ Capellę, & Monasteriorum Beatæ Mariæ, nec non Curia Episcopi vna cum 32. alijs ædificijs, &c. incendio conflagrarunt. Ad Ecclesiæ, & Curiæ structuram, Arthurus hic omni studio postea incubuit, decessit autem admodum senex, die S. Laurentij 1432. cum hanc Ecclesiam rexisset annos 42. extant ordinationes (obiter adnoto) anno 1393. & 1430. editæ. Clochora (ad Launum Flusita) nomen habet à lapide aureo, quo Ethnicismi temporibus, dæmon Responsa præstigialia, quasi Apollinis Pythij oracula, dare solebat; vt è Regesto Clochorensi intelligimus. Inter huius loci Episcopos secundum Maccartinum maximè celebratur Christianus O-Morgair, frater vnicus S. Malachiæ Armachani, quem S. Bernardus in vita Malachiæ virum bonum appellat plenum gratiæ, & virtutis Germano quidem suo secundum in celebri opinione, sed vitæ sanctimonia, & iustitiæ zelo fortè non imparem obit 1139. & Armachiæ in Cęnobio Sanctorum Petri, & Pauli sepultus est.

Ardacha Eccles. S. Meli.

Ecclesia Cathedralis Ardachadensis merito, Inter antiquissimas totius Hiberniæ numerata, à Sancto Melo Britanno, primo loci Episcopo fundata est. Fuit is S. Patricij è Darcera sorore nepos, & ab ipso. S Patricio (cuius etiam discipulus fuit) Episcopus Consecratus hunc ex proprio labore manuum, more Pauli, victum sibi comparasse asserit Iocelinus, in vita S. Patricij, cap. 102. obijt S. Melus anno salutis 488. Februarij die 6. quaquadriennio ante auunculum, & in Ecclesia sua Arda-

cha-

chadensi sepultus est, Ardachæ nominis ratio ab editiori situ deducitur, atque huius nominis libentius hic memini, quia Ard. generali vocabulo loca editiora Hiberniæ vocantur.

Raphoæ Ecclesia S. Eunani.

Cœnobium ibi loci fundauit S. Columba-cille, Vir Regio sanguine, ad virtutem, & litteras natus: antea quidem Crimthanus dictus; Columbæ vero nomen secundum Adamnanum, (qui vitam eius descripsit) ob Innocentiam, secundum Veterem Aengusiani Martyrologij Scholiastem, eodem sensu, ob simplicitatem candidum obtinuit, allusione fortasse facta ad præceptum seruatoris nostri, (Matth. X.) estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut Columbæ. Hanc structurauit postea iam dictus Adamnanus, Celebris ille cœnobij Hyensis Abbas cuius magno cum honore meminit Beda venerabilis, Ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum lib. 3. cap. 16. vbi virum bonum appellat, & sapientem, & scientia scripturarum nobilissime instructum huius Cænobij templum in Ecclesiam Cathedralem erexit, (vt videtur) S. Eunanus, qui primus existimatur huius Sedis Antistes. Quo tempore autem vixerit nulla potui indagine inuenire. Ostendebatur Raphoæ, siue (vt olim) Rathbothæ, non ita pridem lectus eius ibi porrò Turris erat, siue pyramis, vt aliqui vocant, Colli imposita, in qua Episcopi Rapotenses musæum olim habebant. Huius Ecclesiæ benefactor fuit egregius Patricius Magonail Episcopus Rapotenses, circa annum Dom. 1360, qui porrò ædes Episcopales in tribus mannerijs ad Sedem suam pertinentibus construxit. Locus nomen habet partim ab Hibernico Rath, quod sepimentum militare denotat; sed residui nominis rationem inquirant alij.

De Ecclesia Sancti Columbæ.

De Cœnobio à supradicto Sancto Columba Deriæ extructo anno 553. iam ante egimus. Cœterùm, Ecclesia Cathedralis Derensis opus est multo recentioris temporis

poris. Nam illius Dioecesis Episcopus Ardstrathæ ad Dergum Flumen primum Cathedram habuit constitutam, vbi primus præfuit Episcopus S. Eugenius, quem aliqui S. Patricij discipulum, & ab eo Episcopum consecratum tradunt: alij verò SS. Canei, & Congalli æqualem faciunt. Tempora certè parum cohærent: nisi fortè S. Eugenio (inter Macrobios illius sæculi) istam tantam longæuitatem adscribamus. Fuit is Prædicator eximius & assiduus. Natus porrò dicitur Regio Lageniensium Sanguine. Decessisse ferunt 23. die Augusti anno 618., & in Ecclesiæ suæ Cœmeterio sepultus est, supra cuius Sepulchrum Sacellum postea ædificatum est. Ab Ardstratha Sedes Episcopalis Magheram translata est, quæ S. Lurocho dicata cuius festum agitur 17. Februarij: vnde (vt opinor) Episcopi illius Sedis Rattholurienses dicti sunt circa annum tandem 1130. Mauritius Hibernus appellatus Murcachus O-Coffi, Al-Cobtraig Episcopus mutauit Sedem in Deriam, is ex Canonico Augustiniano Episcopus factus dictus est etiam Episcopus de Renet-Eogain, siue Tiroen, & Houedeno impresso, ad annum 1172. corrupte, Charensis vir ob eruditionem, humilitatem & erga egenos liberalitatem, ab historicis plurimum laudatus. Vixit vsque ad annum Domini 1173. vel 1174. quo defunctus 10. Februarij, in Cœnobio S. Columbæ Deriæ, quod olim Cellam nigram vocabant, sepultus eo sedente, anno 1164. Ecclesia Cathedralis (vt ego intelligo) siue Ecclesia magna Derensis (vt in annalibus Vltoniensibus appellatur) constructa est, Mauritio Maclochlin Rege Hiberniæ, & Flano O-Brolchan Abbate Cœnobij S. Columbæ Derensis opus promouentibus non negandum tamen ante Mauritium nonnullos ex Abbatibus Derensibus dictos etiam simul Episcopos huic Dioecesi, circa annum 1266. adiunxit Germanus alijs Gelasius O-Cherballan, Episcopus Iden-Derensis, (vt è Regesto Chlocherensi didici) per potentiam Nationis Suchæ Kenel-Cogain, Ecclesiam de

Ard-

Ardstratha, cum pluribus alijs Ecclesijs de Ophearach. Hasa Sedes Clochorensi eripuisse dicitur, dum Dauid O-Brogam Episcopus Clochorensis iaceret paraliticus in Cœnobio Mellifontis, cuius Monachus aliquando fuerat, & in quo defunctus sepultus est anno Domini 1267. dicitur porrò partem aliquam Diœcesis Rapotensis, Carbraco O-Scoba Ordinis Prædicatorum, & Episcopo Rapotensi, circa idem tempus subtractam, Diœcesi suæ adiecisse. Sedis huius Episcopus anno 1420. fuit Gulielmus QuaplodCarmelita, Bertrami Fitz Allen Carmelitæ Ijdem, & viri eruditi mæcenas, vt è Lelando liquet, in libro de Scriptoribus *Britanniæ*, id quod eo libentius hic obiter annotaui, vt *Balæi* errorem patefacerem, qui Episcopum Darensem eum fecit, vnum scilicet è Suffraganeis Archiepiscopi Dublinensis. Vrbs ipsa à Colonia, è Londino deducta London-Dery hodie dicta, Daire-Ealgac olim appellabatur, *i. e.* Roboretum Calgachi, aliquando etiam Daire Columb-Kill & de Luco, & in antiquo prouinciali Romano, Darich.

Clona siue Clonmacnoisa Ecclesia S. Kiarani.

Cœnobium Clomacnoisæ, prius Tipraic dictæ, propè Shenanum flumen in ipso quasi Hiberniæ Vmbilico siue Meditullio construxit S. Kiaranus siue Ciaranus Iunior, ex Aradensium familia ortus, sed Boesij à S. Beonadi fabri lignarij filius, vndè & vulgo dictus est Mac-Iteir, siue filius Artificis, locum concedente Dermitio Ceruall filio Rege Hiberniæ. Huic Cœnobio secundum plurimos, Kiaranus vnico solum anno, secundum nonnullos verò (perperam opinor) annis septem præfuit Abbas, morte ibi ereptus 1. Idus Septembris, anno salutis per Christum 149. in ipso ætatis flore, cum annos vixisset solùm 33. Exequijs eius tertia nocte insequenti interfuit S. Coemgenus Hymnum in eius laudem paulo postea composuit S. Columba amicus eius. Huius Cœnobij Ecclesia postea, sed quo tempore plane me later, in Ecclesiam Cathedralem commutata est. Non desunt

quidem, qui S. Kiaranum Episcopum fuisse Clonmacnaisensem disertè tradant. Hoc si verum, de Ecclesiæ Cathedralis initio, non est cur vlterius disquiramus, vt fuerit, vt posteriora tempora 9. alias Ecclesias, in vno quasi eodemque Cœmeterio, duo plus minus iugera Hybernica ambitu Colligente, ei subiecerunt. Ad oc-Occasum huius loci Præsules ædes Episcopales ædificarunt.

Ecclesia ipsa Cathedralis multis certè olim possessionibus ditata fuit, Magnatum præterea, ac Episcoporum Sepultura, nec non monumentis aliquot, & inscriptionibus, partim Hebraicè, partim Hibernicè incisis, in primis Insignis; paulatim attamen decreuit. Et ad pudendam tandem redacta est paupertatem. In Synodo supra memorata, anno 1132. habita, dum Cardinalis Paparo Legati munus in Hibernia obiret, inter sedes Episcopales Prouinciæ Tuamensi subiectas, numeratur Cinani, quæ post longas contentiones, Romæ agitatas inter Archiepiscopos Armachanos, & Tuamenses Prouinciæ Armachanæ tandem adiudicata est. hanc Sedem iam pridem è nominis affinitate, eandem esse existimaui cum Cenanusensi, siue Kenlisensi. Sed dies diem docet. Nunc non possum non existimare Cinani corrupte ibi legi pro Cluana, vulgo Clonmacnoisa, tum ob vicinitatis rationem, vt quæ à Prouincia Tuamensi, Shenano fluuio solum disterminatur, tum quia in diuisione antedicta Episcopatuum Hiberniæ, inter Sedes Prouinciæ Armachanæ subiectas, habetur Connanas, quæ eadem sine dubio est cum Cenanusa: non enim verisimile est vnam eandem Sedem in ea Sedium distributione facta in Synodo, cui tot Præsules Hibernici interfuerunt, fuisse bis numeratam, & diuersis Prouincijs assignatam. Clona siue Cluaina latibulum sonat de residui nominis ratione, ita annales Cænobij Inisfallensis, ad annum Domini 347. vel 348. hoc anno fundata est Cluain-Mac-Nois, idest, Nois-MuccaidRex Conaciæ, à quo nominatur

tur Cluan hactenus de Clona vetere.

Kilmora Ecclesia Sancti Fedlemidi:

Post Clonmacnoisam, memorabitur Kilmora, idest si Interpreteris, Ecclesia magna huius Diœcesis Episcopi stylo à Bresinia (Regione ita dicta) mutuato Bresinienses aliquando dicti sunt, quandoque Triburnenses, quia consedisse dicuntur in viculo quodam obscuro Triburna dicto. Cœterum anno tandem 1434. Andreas (Bradæus opinor) Episcopus Triburnensis Ecclesiam Parochialem S. Fedlemidi Alfelimij Kilmoræ, quem locum commodiorem inuenerat Nicolai V. Papæ assensu in Cathedralem erexit, & in ea Cannnicos tredecim collocauit. Hanc electionem confirmauit Calistus Tertius anno insequenti: & circa idem (ni fallor) tempus, decanatus Kilmorensis constitutus est. Ad S. Fedlimidum, quod attinet vixit is seculo VI. & frater fuit, vt ferunt S. Diarmitij Abbatis Inis, Cloghranensis, obijt 9. Augusti. de anno non habeo, quod certo dicam. Regestum Ecclesiæ Clorchorensis Episcopum eum facit Ecclesiæ Cluanensis, quam, ad lacum dictum Lough, Ern, sitam Nos vulgo Clunes dicimus, & ibidem cum S. Tigernacho primo loci Episcopo sepultum tradit. Sed redeamus iam inde à nouæ huiusce fundationis initijs, ipse Andreas eiusque successores non Episcopi Bresinienses, nec Triburnenses, vt antea, sed Kilmorenses appellati sunt. Vt videtur sane ipsam sedem Bresiniensem, vel Triburnensem non antiquæ fuisse memoriæ, nam de ea nulla fit mentio in supra memorata diuisione Episcopatuũ Hiberniæ, vt è codice Censuũ Cameraliũ Censij Camerarij, qui postea fuit Honorius III. Papa, cõstat hac Ecclesię Cathedralis Kilmorensis fundatione non obstante. Duos postea Episcopos ad Eiscopatum Triburnensem fuisse promotos ostendit Lucas VVaddingus in tomo 8. annalium minorum nempe Stephanum de Straboniza, & post eius obitum, Fr. Bernardum 13. Iunij 1309. Cæterùm

terùm cum certum sit Thomam Bradæum tunc temporis Episcopum fuisse Kilmorensem, & è vita non migrasse ante annum 1311. admodum probabile videtur eum ne teruncium quidem ex Episcopatu percepisse.

Dromoræ, & S. Colmani.

super est Dromora, quæ (vt à peritioribus accepi) dorsum magnum collis, siue cliuum magnum denotat.

(*Conueniunt rebus nomina sæpe suis*)

Hæc Ecclesia originem suam debet S. Colmano, Aradeorum gente oriundo, primo Cœnobij Muckmarensis apud Antrimenses Abbati, deinde primo huius Sedis Episcopo. Hunc Iocelinus, cap. *96*. Colmanelum vocat: sed Mocolmoc etiam dictum notat vetustus Aengusiani martyrologij scoliastes. Claruit Colmanus sæculo VI, quippe, qui natus anno *316*. obijt 7. idus Iunij annum vero obitus eius nondum inuenimus, de hac sede, in libro supradicto Cencij Camerarij, (quod miror) nulla habetur mentio. Ideoque credibile videtur aliquot sȩculis eam proprio caruisse Antistite. Et sunt qui opinentur toto eo tempore, Diœcesi Archiepiscopi Armachani fuisse inclusam. Neque comperi quidem Episcopum ibi loci aliquem sedisse, post sæpe supra memoratam diuisionem Episcopatuum Hiberniæ factam anno 1152. ante Gerardum Monachum Cisterciensem cœnobij Mellifontis, qui (vt ex Archiuijs arcis Londinensis didici) electus assensum Regium obtinuit 15. Apirilis 1227. Ex huius Ecclesiæ Episcopis, non pauci postea sȩculo XV. in Anglia plerumque degebant, & temporis in hac Ecclesia ob eius (vt auguror) paupertatem, parum aut nihil absumebant, speciatim sub Henrico IV. Rege Angliæ, Ricardus Mesinus Carmelita, & eius successor Ioannes quidam. Item sub Honorio V. Nicolaus VVartre Ordinis Monorum, & Dauid de Chirbury Carmelita, ac sub Honorio VI. Thomas Scropusal de Bradley Carmelita itidem, & Thomas Radcliffus. Pristina Episcopatus huius Dromorensis paupertas ex Epistola quadam

Octa-

Octauiani de Palatio Archiepiſcopi Armachani ad Henricum VII. Regem, intelligi poteſt, in qua annuos eiuſdem cenſus tunc temporis non valuiſſe aſſerit, vltra 40. marcas monetæ Hiberniæ, hæc porro moneta minoris tunc fuit valoris (vt, ille ibi aſſerit) ex tertia parte, quam nummus ſterlingus dictus, atque vt Epiſcopatus erat tenuiſſimus, ita Parochiæ in eo perpaucæ, ſolum nempe 23. de Baſilicis Prouinciæ Mach-Arang hactenus, ad ęas Prouinciæ Dublinenſis iam venio.

In Prouincia Dubliniensi.

Loca, & tituli Dedicationum.	Origines, & aliæ Antiquitates.

Dublinij Eccleſia Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ vulgo Eccleſia Chriſti appellatur.

HAnc Eccleſiam, in Ciuitatis Meditullio, Sitricus Filius Amlaui Rex Oſtmannorum Dublinij, & Donatus Epiſcopus Dublinienſis Canonicis ſecularibus conſtruxerunt, circa annum ſalutis 1038. De hac fundatione, ita liber niger eiuſdem Eccleſiæ: Sitricius Rex Dublin. filius Atleb Comitis Dublin. deditS. Trinitati, & Donato primo Epiſcopo Dublin, locum ad ædificandam Eccleſiam S. Trinitatis, vbi fornices ſiue voltæ ſunt fundatæ, cum Terris ſubſequentibus VII. Beal-Dulek, Bechen, Portraern, cum Villanis, & Bladis, nec non aurum, argentum ſufficienter ad ædificandam Eccleſiam cum tota curia contulit. Donatus hic pærter nauẽ Eccleſiæ aliàs ſtructuras excitauit etiam à fundamentis Capellam Sancti Nicolai in parte Boreali, & Capellam S. Michaelis, quam, qui illi poſt aliquot ſęcula ſucceſſit Richardus Talbotus in Eccleſiam erexit Parochialem obijt tandem Donatus 6. Maij 1074. & in Eccleſia ſua ſepultus eſt. Canonicos ſeculares huius Eccleſiæ Laurentius Archiepiſcopus Dublinienſis in Canonicos mutauit Regulares

res

res Ordinis Aroacensis, circa annum Domini 1163. Laurentius hic, nec non Ricardus cognomento, Strongboa Comes Striguliensis Robertus filius Stephani, & Reimundus Grassus, siue Legros, Ecclesiam amplificare aggressi, Chorum suis sumptibus ædificarunt, cum Campanili, & duabus Capellis, vna S. Sedmundo Regi, & Martyri, & S. Mariæ, quæ dicitur alba, dicata altera, S. Laudo, inter benefactores primarios, numerantur etiam Laurentij tres primi successores, Ioannes Cominus scilicet Henricus Londres, & Lucas quidam, qui ante Infulas susceptas Decanus fuit S. Martini Londini, & Thesaurarius Garderobæ, siue à Synthesi Henrico III. Regi Angliæ. Neque prętermitti debet Iohannes de S. Paulo illius itidem Sedis Archiepiscopus, qui paulo ante obitum, obijt autem 9. Septembris 1362. totum præsbyterium, vna cum ipsa (quam hodie cernimus) Cathedra Archiepiscopali, suis sumptibus extruxit saxo is coopertus marmoreo, Aeneis laminis ornato tumulatus est in secundo gradu ante summum Altare sicut in testamento suo mandauerat. Huius Ecclesiæ Priorem, & Conuentum Henricus VIII. Rex Angliæ in Decanum, & Capitulum conuertit 1541.

Dublinij Ecclèsia Sancti Patricij.

Ioannes Cominus (de quo supra diximus) Ecclesiam hanc speciosissimam S. Patricio dicatam in australi Vrbis suburbio veteri Parochiali Ecclesia ibidem demolita, construxit, & dotauit circa annum Domini 1190. in qua octo collocauit prębendarios, qui numerus posterioribus temporibus auctus est, ad 22. his Bullam etiam à Lucio III. Pontifice obtinuit, datam Velletri idibus Aprilis Indictione 12. 1182, in qua inter alia priuilegia Sedi Dubliniensi concessa ita legimus; sacrorum quoque Canonum authoritatem sequentes, statuimus, vt nullus Archiepiscopus, vel Episcopus absque assensu Dubliniensis Archiepiscopi, si in Episcopatu fuerit in Diœcesi Dublinensi, Conuentus celebrare, causas, & Ecclesia-

stica

ſtica negotia eiuſdem Diœceſis, niſi per Romanum Pontificem, vel Legatum eius fuerit eidem iniunctum tractare præſumat. Exemplar huius Bullę habetur in antiquo Regeſto Dubliniensi, vocato *Crede mihi*, *fol.* 80. *B.* atque ex hoc priuilegio Initium ſumpſit Controuerſia illa, ſiue acris, & diuturna concertatio inter Archiepiſcopos Armachanos, & Dublinienſes, an Armachanus habuerit ius primitiæ, Baiulationis Crucis, appellationum, & viſitationum in Prouincia Dublinenſi, quę per aliquot annorum Centurias poſtea durauit, ſed redeo. Collegiatam hanc Eccleſiam Comini proximus ſucceſſor Henricus Londres ſiue Londinenſis in Cathedralem erexit vnitam (inquit Ioannes Allanus Archiepiſcopus Dublinienſis ſub Henrico Octauo) Cum Eccleſia Cathedrali S. Trinitatis in vno ſponſo ſalua alteri Eccleſiæ honoris prærogatiua. Gulielmum filium Guidonis primum ibi conſtituit Decanum præcentorem porro, Cancellarium, & Theſaurarium ordinauit quibus prædia, & Rectorias aſſignauit. Capellam B. Mariæ ibidem extruxit poſtea Fulco de Sanfora ſucceſſorum vnus, in qua ipſe tumulo ſtatua eius ornato conditus eſt anno 1271. partem denique Eccleſiæ Cathedralis incendio fortuito deformatam reſtaurauit Thomas Minot Archiepiſcopus itidem Dublinij, qui porrò Campanile præcelſum è ſaxo quadrato conſtruxit circa annum 1370. Vnde & in ſigillo ſuo vſus eſt poſtea Imagine pontificali, quæ manu viſa eſt tenere Campanilis effigiem, atque hæc de hac Eccleſia, quæ ſiue laxitatem ſpectemus egregiam ſtructuram, & magnificentiam cæteris Hibernię Eccleſijs Cathedralibus facile (vt opinor) eſt præponenda.

Fernæ Eccleſia Sancti Aldani.

Fernam Vrbem Braudubus Rex Lageniæ S. Edano al Moedago primo loci Epiſcopo contulit, & ſecundum Biogiaphos noſtros Synodi magnæ conſenſu Metropolim eam totius Prouincię Lagenienſis conſtituit circa annum Domini 593. qua de re ſit antiquus vitę eiuſdem Edani

ſcri-

ſcriptor: Magna Ciuitas in honore S. Moedog ibi creuit, quæ vocatur Ferna, deinde facta Synodo magna in Terra Lagenienſium decreuit Rex Brandubh, & tam Laici quam Clerici, vt Archiepiſcopatus omnium Lagenienſium ſemper eſſe in Sede, & Cathedra S. Moedog, & tunc S. Moedog à multis Catholicis conſecratus eſt decesſit Edanus Grandæuus die vltimo Ianuarij anno Domini 632. & in Eccleſia ſua Fernenſi quam ipſe fundauerat ſepultus eſt: ei ſucceſſit S. Molingus dictus etiam Dairchilla fuit enim Binomius, qui (vt in vita eius legimus) conſtitutus eſt ipſe Archiepiſcopus in Sede, & Cathedra, S. Moedog à Rege iam Lagenienſium Brandubh filio Eathac conſtitutum eſt, vt Archiepiſcopatus Lagenienſium in Ciuitate S. Moedog eſſet ipſa Ciuitas vocatur Ferna, quæ eſt in Terra gentis Kenſelach, is vero diu ante obitum præſulatum abdicauit, & vitæ pertæſus eam depoſuit valdè ſenex 17. Iunij 697. Iemolingi, vbi in Cœnobio à ſe conſtructo ſepultus eſt. Molingum, Brachanum, Patricium, & Columbam, quatuor Hibernicos Prophetas appellat Giraldus Cambrenſis lib. 2. Hiberniæ expugnatæ cap. 33. vbi etiam eorum libros ſuo tempore exſtitiſſe Hibernicè ſcriptos aſſerit, ſed hic obiter locus nomen habet (vt notat Colganus) à Ferna Heroe, Carili Regis Deſiorum filio, ibi inpugna per Gallum filium Mornæ interemptum. Inter Primarios Eccleſiæ Fernenſis Benefactores numeratur Ioannes de Sancto Ioanne, tam ob ſtructuras ſuas, quam ob priuilegia Sedi ſuæ comparata. Obijt is anno Domini 1243. poſtquam magna cum prudentiæ, & integritatis laude ibi præfuiſſet annos circiter 22. eique Bis ſucceſſi Galfridus de Sancto Iohanne (fortè frater eius) primum in Eccleſiæ Limericenſis Theſaurariatu, deinde in Epiſcopatu Fernenſi fuit porrò Galfridus ante Præſulatum, Hiberniæ Eſcaetor. Notandum hic aliquos è iam dicti Iohannis prædeceſſoribus Ioſephum O-Hethe nempè, & Albinum O-Mulloy, dictos fuiſſe interdum Epiſcopos VVexfordien-

dienſes, & eo vſos ſtylo in Chartarum quarum dam ſubſcriptionibus; fortaſſe animo Cathedram hanc Epiſcopalem Wexfordiam Oppidum, tunc temporis populi frequentia longè celebrius, transferendi hoc certè conſtat hunc Epiſcopatum in Bulla Lucij III. Papæ ad Io; Cominum Archiepiſcopum Dublinienſem, VVexfordenſem eſſe dictum.

Kildaræ, Eccleſia S. Brigidæ Virginis.

Sanctus Conlæthus quibuſdam Conlaidus, alijs Conlianus primus perhibetur Darenſis Epiſcopus, & Eccleſię Cathedralis à S. Brigida adiutus, fundator, in eiuſdem Brigidæ vita à Cogitoſo deſcripta. Is Archiepiſcopus, & Summus Pontifex appellatur. Vltimum diem clauſit 3. Maij anno 519. & Kildaræ (quæ Cellam roboris ſonat) in Eccleſia ſua propè ſummum Altare ſepultus eſt. Eius vero oſſa 281. poſt, anno, viz anno 800. in Capſulam argenteam deauratam gemmiſq; ornatã fuerunt translata: Liber rubeus Comitis Kildarenſis (quo nixus fundamento neſcio) Ionium quemdam primum fuiſſe loci Epiſcopum tradit, Iuorium ei ſucceſſiſſe, & Iuorio Conlæthum: & ex eodem (vti creditur) libro, idem habet Richardus, Stanihurſtus in Anglica ſua Hiberniæ deſcriptione, quæ in edito Holinshedo exſtat; ſed vterque perperam opinor. Multo probalius Conlæthum omnium primum ibi Sedem Epiſcopalem fixiſſe, id quod ita affirmat Scriptor antiquus vitæ S. Brigidæ, lib. 2. cap. 11. Conlianus Epiſcopus S. & Propheta Domini, qui habebat Cellam in Auſtrali parte Campi Liffi, venit in curru ad Sanctam Brigidam, & moratus eſt apud eam quem Beata Brigida Epiſcopum elegit in ſua Ciuitate Kildara. In Eccleſiæ huius ornatu, & reparatione, non paruam impendit pecuniam Radulphus de Briſtol, Briſtoliæ (vt opinor) in Anglia natus primus Eccleſiæ Sancti Patricij Dublinienſis Theſaurarius primuſque Anglici generis Epiſcopus, qui in hac Sede collocatus eſt. Deceſſit ſub initio anni 1232. cum ſediſſet annos vix 9. eandem

Ecclesiam fatiscentem restaurauit Edmundus Lanus Episcopus regnante Henrico Septimo inter Episcopos suffraganeos Hiberniæ, vt in Concilijs, & alibi primum habuit locum Episcopus Midensis, ita secundum sibi asseruit Episcopus Darensis: Cæteri secundum tempora ordinationum sederunt.

Kilkenniæ Ecclesia S. Canici.

Sedes Episcopalis Ossoriensis Saigeræ hodie Seir Keran appellamus In-Helia Carolina primum collocata est, sub medium sæculi quinti, primus præfuit Episcopus Kiaranus Senior, vir magnæ authoritatis ob sanctitatem, & doctrinam. Quirinum tamen eum fuisse, ad quem, & cæteros in Hibernia Episcopos scripta est Epistola *61*. Gregorij Primi, quæ in Regesto eiusdem Gregorij, lib.*9*. extat (licet Kiarani eminentia, Longæuitas, & nominis similitudo quodammodo inuitent) non audeo affirmare. Hæc Sedes Aghauoam, in Ossoria superiore translata est, sed quo tempore incertum est: fortasse tamen anno Domini 1072. nam ad eum annum ita annales M.SS. Lagenienses: Templum Achadboæ constructum est, & Canici Scrinium ibi collocatum, hic S. Canicus filius Lacdeci, Poetæ insignis, vir doctus, & industrius, primus fuit Abbas Cœnobij Agauoensis à se constructi, in quo etiam defunctus 3. idus Octob. anno Domini 599. vel 600. annos natos 72. scripsit is vitam S. Columbæ, & Hymnos aliquot præterea in eius laudem. Agauoam, siue vt olim Achadboam Adamnanus in vita S. Columbæ lib.1. cap.4. Campulum bouis interpretatur, & scriptor vitæ S. Canici, Agrum boum, hinc vero Cathedram tandem Kilkenniam siue Canonicopolim transtulit Fœlix O-Dullany Episcopus Ossoriensis, circa finem Regni Henrici Secundi Regis Angliæ. Is fundamenta videtur iecisse Ecclesiæ Cathedralis Kilkenniensis, quæ tamen non absoluta fuit ante tempus Galfridi de S. Leodegario Episcopi, qui eam sumptu non exiguo ante obitum suum, qui incidit in annum 1286.

per-

perfecit, licet ante eum nonnulli è prædecessoribus in primis Hugo Mapiltonus fabricæ eiusdem Ecclesiæ strenuè incubuissent. Nec hic prætermittendus Richardus Ledredus Minorita successorum vnus, qui in eiusdem Ecclesiæ ornatu, & reparatione magnam insumpsit pecuniam. Speciatim omnes fenestras de nouo erexit, & vitro obduxit, inter quas enituit fenestra orientalis opere tam eximio adornata, vt in Vniuersa Hibernia par ei non inueniretur. Obijt Ledredus anno Domini 1360. & in Ecclesia sua Cathedrali propè summum Altare ad latus Euangelij tumulo conditus. Tum, qui illi post annos 100. successit Dauid Hacketus è Polito Saxo testitudines Campanilis erigi curauit. Item Oliuerus Cantuuellus Ordinis Prædicatorum (qui mihi penè exciderat) sub exitum sæculi 15. præter ædium suarum Episcopalium Aghoræ, & Freinstonæ, & Pontis maioris Kilkenniæ aquarum inundatione fracti reparationes, Vicarijs Coralibus appropriauit Ecclesiam S. Mallæ.

His Addamus amœnissimum huius Ecclesiæ situm, quæ è colle Cleměter edito, & vrbem modicè subiectam, & fertilissimam Regionem adiacentem Neoro flumine irriguam, iucundissime prospectat.

Leghlina Ecclesia S. Lasseriani.

Ex Prouincia Dubliniensi dicenda superest Leghlina, quæ ibi Sedes Cathedralis à S. Lasseriano, aliàs Molaisre filio Cairelli de Blita, constituta est. Educatus hic fertur ad ætatem vsque adultam sub Sessurino Abbate cui mater, quæ filia erat (vti fertur) Regis pictorum illum instituendum tradidit, postea Romam profectus vbi 14. annos transegit interea Diuum Gregorium Sacras Scripturas exponentem audiuit, & ab eodem demum Presbyter ordinatus in patriam reuersus est. Breui postea, Leghlinam peruenit, vbi S. Gabanus, tunc præfuit Cœnobiarcha, qui ei Cœnobium suum sponte cedens, sibi è Monachis suis cellam construxit. Monachos 1300. Lasseriani Regimini hic subfuisse tradit Scriptor vitæ,

S. Munnus, qui porrò asserit Synodum magnam in Campo Albo habitam fuisse, & magnam ibi ortam contentionem inter S. Laserianum, & S. Munnum, de Festo Paschæ celebrando, die Dominico, an cum Hebræis, decima quarta Luna. Hac vero Synodo habita, vti videtur, mense Martio, anno 630. sed sine optato successu finita, Laserianus Romam vsque denuò iter suscepit, vbi Honorius I. eum Præsulem consecrauit, & reuertenti (vt in vita eiusdem Laseriani legimus) legationis in Hibernia officium commisit. Nec irrito successu, nam post reditum in patriam, Paschalis obseruationis Ritum, ad Honorij monita, in Australibus Hiberniæ partibus reformatum fuisse liquet. Vid. Bed. Venerab. Histor. lib. 3. cap. 3. mortem obijt S. Laserianus 14. Kalendas Maias anno Domini 638. vel 639. & in Ecclesia sua sepultus est. In Synodo Dublinij celebrata, sub Alexandro Bicknoro Archiepiscopo Dublin. (quod obiter adnoto) nec non dies obituum Sanctorum Patricij, Brigidæ, Canici, & Edani, duplicibus festis, per Prouinciam Dubliniensem, annumerati sunt. Inter Ecclesiæ Leghlinensis benefactores primarios, habetur Burchardus Norwegus, Gusmundi filius, de quo supra diximus. Fuerunt, & nonnulli ex huius Sedis Episcopis valdè Benefici, speciatim Donatus, sub aduentum Henrici II. in Hiberniam, & Gulielmus aliquando Archidiaconus Leghlinensis, qui sedere cœpit anno 1227. alijs 1229. & obijt 1231. is porrò confirmauit Burgensibus Leghliniensibus prædia, & priuilegia, quæ Herlevvinus prædecessor eius ijs concesserat. Nec prætermittendi, inter benefactores, Ioh. Mulganus Episcop. sub Rege Henrico VI. Mathæus Sandenij, sub Henrico VIII. Leghlina dicta non procul abest à Baroo Fluuio, quem Ptolomæus Birgum, vel Brigum vocat. Mitto hic Glendalacham, vbi olim erat Sedes Episcopalis, (ab Houedeno, Bistagnensis dicitur, & in Bulla Lucij III. Episcopatus Insularum) siquidem ea regnante Iohanne Cathedræ Dubliniensi vnita est.

In

In Prouincia Casseliensi.

Loca, & Tituli Dedicationum.	Origines, & aliæ Antiquitates.

Casseliæ, Ecclesia S. Patricij.

POst Ænguſæ (Nafrachi filij) Regis Momoniæ Conuerſionem ad Chriſtianam Religionem S. Patricij Prædicatione, populum Caſſelienſem S. Albei, & ſucceſſorum eius Iuriſdictioni, qui Imelacæ (ad 12 à Caſſelia Lapidem) ſederunt aliquandiu ſubfuiſſe, non eſt cur dubitemus: qua de re poſtea pluribus cum ad Imelacam peruentum fuerit. Quis autem primus fuerit Eccleſię Caſſelienſis Epiſcopus, haud facilè quis deſignarit, de Cormaci Culinani filio, Rege, & Epiſcopo Caſſelienſi, ſub initium ſæculi decimi, alias fusè diximus. Is certè tanquam fundator, vel ſaltem reſtaurator Eccleſiæ Cathedralis vulgo habetur, & memoria procul dubio, & Antiſtitum Caſſelienſium ante eum, per quam exilis ſupereſt. Eccleſiam eius, poſt nouam (vt auguror) reſtitutionem ſolemniter conſecratam fuiſſe, & Synodum ibi habitam Anno 1134. tradunt annales Prioratus Inſulæ omnium Sanctorum. Cæterum Eccleſiam nouam circa Anglorum Ingreſſum, ſub Henrico noſtro ſecundo, à fundamentis ibi excitauit Donaldus O-Brien Rex Limericenſis, quam, & prædijs ditauit, veteri Cormaci Eccleſia in Capellam, vel Domum Capitularem, ad auſtrum Chori conuerſa is porrò Sedi Caſſelienſi Latifundia non pauca elargitus eſt, cui alia itidem in Tuamonia poſtea Contulit filius eius Donatus cognomento Carbrac, & inter Catera, duas Inſulas Sulleitet, & Kilmacayl appellatas. Hanc donationem confirmauit Iohannes Rex Angliæ 6. Septembris 1203. Sed redeo poſt Annos deinde plus minus 200. Richardus Ludianus Archiepiſcopus Caſſelienſis Eccleſiam hanc vetuſtate fatiſcentem reſtaurauit. Aulam præ-

præterea Vicarijs ſuis Choralibus conſtruxit, ijſque prædia quædam dedit vocata Grange Cannol, & Baon-Thurlisbegh. Eccleſia ipſa extra Vrbem Liſa, Colle petroſo præcipitique munita eſt, ſed ventis, ob ſublimem ſitum nimis expoſita. In aſcenſu ad eam, ſaxum grandiuſculum memini me Iuuenem vidiſſe ad quod (vti ferebāt incolæ) nouus quiſque Rex Momoniæ pro more, Edicto publicè promulgato, olim declarabatur. Eſt, & alia Caſſelia, dicta olim Caſſel-irra, in Conacia, cui primus præfuit Epiſcopus S. Bronus, qui mortalitatem exuit Anno 512. quod ideo hic monendum duxi, quia non deſunt qui opinentur Bronum hunc Epiſcopum fuiſſe Caſſelienſem in Momonia.

Imelaca, Eccleſia S. Albei.

Poſt Caſſeliam memorabitur Imelaca Ibair, Sedes Epiſcopalis Antiquiſſima, in Regione amęna, & fertili ſita, & ampliſſimis olim ditata prædijs, vbi, & Vrbs erat olim celeberrima, quæ tamen paulatim in exiguum viculum decreuit, huic loco maximum fuit decus S. Albeus dictus alter Patricius, & Momonienſium poſt Patricium ſecundus patronus; qui dum Euangelicam doctrinam in Hibernia deſſeminaret Conatibus eius ita Deus benedixit, vt quam plurimos ex nobilitate, & plebe tam docendo, quam vitæ exemplo ad Fidem Chriſti conuerterit. Totâ demum Inſulâ his pietatis officijs peragratâ Eccleſiam ſuam Cathedralem fixit tandem Imelacæ, iuxta Lacum iam fere exiccatum. Author Antiquus mihi Anonimus, qui vitam Sancti Colmani Dromorenſis Epiſcopi deſcripſit, Epiſcopum vocat Imblicenſem, ſapientem, ac Religioſum Virum addi porro Colmanum apud eum diuinarum Sripturarum Studijs ieiunio, & orationi atque vigilijs ſedulò inſiſtentem, aliquot annis docilem manſiſſe. Verum enim verò Sanctum Albeum totius Momoniæ conſtitutum fuiſſe Archiepiſcopum his verbis diſertè aſſerit Vitæ Sancti Declani Scriptor, adhuc (opinor) ineditus: Commanentes in Ciuitate Caiſſyl, S. Patricius

S. Al-

S. Albeus, Sanctusque Declanus, cum multis Sanctis suis Discipulis apud Regem Ængusam, multa bona rigoris Christiani constituerunt, & ibi Rex Ængusa, & S. Patricius cum omni Populo ordinauerunt Archiepiscopatum Mumeniæ in Ciuitate, & in Sede Sancti Albei (qui tunc ab ijsdem Archiepiscopus ordinatus est) per sæculum. Ita ille. Item Scriptor vitæ Sancti Albei; cum Beatus Albeus (inquit) audisset quod Patricius Regem Momonensium Ængusam filium Nefrich conuerteret ad Christum, & esse cum eo in Ciuitate Cassel venit, vt eos salutaret; Rex autem & Patricius gauisi sunt in aduētu Albei, & ille est gauisus eos videns. Ibi verò accepit Patricium Magistrum suum Sanctus Albeus quia valdè erat humilis tunc Rex Ængus, & Patricius ordinauerunt, vt in Ciuitate, & Cathedra Sancti Albei esset Archiepiscopatus omnium Momonensium semper. Quo tempore, Sanctus Albeus Euangelium in Hibernia prædicare cæperit controuertitur. Sunt qui tradunt in Christiana Religione propaganda operam ibi sedulo eum Nauasse, & multos ad Christi Fidem conuertisse ante Sancti Patricij aduentum in Hiberniam, sed nos illorum sententiæ adhæremus qui eum Sancto Patricio posteriorem ponunt. Vide si placet quæ diximus in annotationibus nostris ad opuscula Sancti Patricij quibus, & hic addere liceat Albeum Præsbiterum ordinatum ab ipso Sancto Patricio, id quod docet Tirecanus Scriptor antiquus, libro 2. de vita Sancti Patricij. Item è iam dicta vita Sancti Albei intelligimus puerum eum fuisse dum Palladius à Celestino Pontifice missus in Hibernia moraretur, & ab eo Baptisatum. Palladium vero in Hiberniam peruenisse Anno Dom. 431. vnico solum Anno ante Sanctum Patricium doctis satis est notum. Sed hæc obiter. Hic talis tantusque Vir discessit tandem grandæuus integris tamen animi, & corporis sensibus 12. Septembris Anno Domini 527. vel vt alij volunt, 541. & in Ecclesia sua Imelacensi sepultus est: Imelacam direptam, & Mitram Sancti Albei, ibi

ma-

magna cura per multa sæcula asseruatam à latronibus combustam fuisse Anno 1125. Trandunt annales Vltonienses huic Sedi tunc præfuit Malmorda Episcopus, qui fuga Euasit, ad reparationem, & ornatum Ecclesiæ post annos deinde 120. (nam inter medijs temporibus nihil ad rem comperi) Christianus successorum vnus valde intentus fuit, obijt is Anno 1249. Imelacæ etiam Collegiũ nescio quod erexit Thomas Hurleus Episcopus tempore Regis Henrici VIII.

Limerici, Ecclesia B. Mariæ Virginis.

Hanc Ecclesiam Cathedralem extruxit, & dotauit Donaldus O-Brien Rex Limericensis (de quo supra in Cassellia) circa Anglorum aduentum in Hiberniam. Est vero Limerici ædes sacra vulgo dicta Sancti Munchini Ecclesia, nunc Parochialis, sed olim (vt ferunt) Cathedralis à Sancto Munchino primo Limericensi Episcopo fundata, & ab Ostmannis postea restaurata de hac re quęrant alij, quis autem iste Munchinus fuerit non parua quæstio est: sunt, qui opinentur hunc esse illum Mancenum quem Iocelinus, cap. 59. Virum appellat Religiosum, & optime in Scripturis exercitatum, quemque Sanctum Patricium à Malgaidi Regis Conaciæ populo, à se iam nouiter ad Christum conuerso præfecisse asserit. Sunt alij qui minus probabiliter cum Mancheno illo confundunt, quem annales Vltonienses Abbatem vocant de Mæne-Drochit, & obijsse Anno *631.* vel *632.* huius Mancheni obitus memoria designatur; sub nomine Manichei sapientis Hiberniensis in libris de mirabilibus Scripturæ à quibusdam S. Augustino perperam adscriptis. Non abhorret nomen, & tempora exactè conueniunt vid. lib. 2. cap. 4. tom. 3. operum Sancti Augustini. Festum Sancti Munchini Limericensis agitur die prima Ianuarij. Post Munchinum inter Episcopos huius Sedis celeberrimus fuit Gille al. Gilbert. In Hibernia Legatus Pontificis cuius extat de statu Ecclesiæ libellus circa Annum Domini 1130. descriptus. Sed Redeo ad Ecclesiam

Ca-

Cathedralem Limericensem cui sub initium sæculi 13. Valde beneficus fuit Donatus O-Brien loci Episcopus inter alia Decano, & Capitulo præbendas assignauit, ac de Ecclesiæ suæ Liturgia, & Canonicorum priuilegijs constitutiones quasdam ordinauit porro is fuit (nisi me fallo) qui Decanatum ipsum,& Capitulum erexit: atque vt illustris fuit genere ita eruditione prudentia,& liberalitate illustrior. Eius opera multũ vsus est Rex Ioannes, in rebus suis Hibernicis, & Officium certo sibi demandatum ea fide, & solertia executus vt magnam inde gratiam apud Regem comparauerit. Numerum præbendarum auxit postea Hubertus de Burgo Episcopus itidem Limericensis qui decessit 14. Septembris 1230. proximus eius Successor de Imelaca Decanatus appropriauit Ecclesiastica beneficia de Carnarthis, & Rathsiuuard. Vt ex Ecclesiæ Limericensis Regesto didici. Neque hic prætermittendum, sub exitum sæculi XII, vel initium insequentis, Episcopatus Limericensem, & Cathagensem, siuè de Insula Gatha coaluisse. Vrbs ipsa totius Momonię pulcherrima hodiè vulgò Limericum nuncupatur, olim vero Lumniacum, & Hibernicè Lumneach, vnde, & loci Episcopi Lumnicenses, vel Lumnicani olim dicti. Quo spectat diploma hoc à iam dicto Donaldo,circa Annum 1194. Brictio Lumnicano, siue Limericensi Episcopo concessum: Domnaldus Rex Lumnicensis, Vniuersis Dei Fidelibus tam præsentibus quam futuris, salutem. Non lateat vniuersitatem vestram me donasse Brictio Lumnicano Episcopo, suisque successoribus, Cleroque S. Mariæ Lumnicæ, in liberam, & perpetuam Eleemosynam, Terram hodie Mungaret Imungram, & terram Iuamnacham, ab arcu videlicet Imungram vsque ad Terram Imalin, & à vado Ceinu, vsque ad flumen Sinam, cum omnibus appenditijs suis. Vt autem rata sit hæc Eleemosyna, sigilli mei impressione eam confirmo. Teste Domino Mattheo Cassil Archiepiscopo, & Ruadriua Gradei, Ciuitatis maximam partem, diuiso Al-

ueo, circumluit Shenanus Hibernicorum fluminum præcipuus, Ptolæmeo Senus, de quo Alexand. Nechamus.

Fluminibus magnis lætatur Hibernia, Sineus.
Inter Connatiam Momoniamque fluit:
Transit per muros Limerici, Knock-patric illum
Oceani clausum sub ditione videt.

Castro præterea, tormentis maioribus instructo, Vrbs munita est, & mœnibus firmissimis obuallata, præsertim qua flumine non defenditur, sed hoc obiter. Sunt qui Lumneach. Interpretentur locum denudatum ex pastu equorum, quam verè viderint alij.

Waterfordiæ, Ecclesia SS. Trinitatis.

Ostamnis Waterfordiensibus, postquam religionem Christianam amplexi fuissent, consultum tandem visum fuit Vrbi Episcopum præficere. Ad hoc itaque munus, Malchum quendam Virum probum deligunt, Monachum quandoque Benedictinum wintoniensem, & in Angliam mittunt Anno Domini 1096. ab Anselmo Archiepiscopo Cantuariensi cõsecrandum, literarum in eius gratiam conscriptarum exemplar extat apud Eadmerum in Historia sua nouorum, deinde consecrato, & VVaterfordiam reuerso, Ecclesia hæc Cathedralis ab eo, & Ostmannis popularibus suis cõstructa est, prædijs eam postea Iohannes Rex Angliæ sub initium sæculi XIII. ditauit, cuius porro tempore, (vt opinor) Ecclesia VVaterfordiensis primum habuit Decanum, possessiones Decani, & Canonicorum sigillatim expressas confirmauit Innocentius III. Papa Anno 1210. vt ex eius Epistolis, à Francisco Bosqueto, I. C. Tolosæ Tectosagum editis Anno Domini 1635. intelligimus. Ecclesiæ Chorum, & Presbyterium testudine, siue laqueari fornicato ornarunt Nicolaus Cominus Episcopus, & Robertus Lombardus Decanus, Anno 1522. neque hic omittendum Decanum, & Capitulum huius Ecclesiæ Anno 1463. ab Edvvardo IV. Rege Angliæ in augmentationem diuini cultus ibidem (vti verba sunt chartæ) facultatem impetrasse fun-

dos

dos acquirendi ad annuum valorem 100. Marcarum hactenus de Ecclesia Cathedrali, quæ vt originem suam debet Ostmannis, sic & ipsa Ciuitas VVatersordia, quæ ad Surij nobilissimi fluminis ripam australem Sita, inter celeberrimas totius Hiberniæ merito connumeranda est, siue opes, & frequentiam spectemus, siue portus opportunitatem; ad nominis Etymon quod attinet, exoticam plane ostendit originem; nam fluminis, vel aquæ traiectum sonat: Hibernis autem, & Britannis Portlargi vocatur.

Lismoræ, Ecclesia S. Carthagi.

Sanctus Carthagus vulgo dictus Mochudu, patria Momoniensis, Abbas fuit primum celeberrimi Cænobij Ratheniensis, vbi & præfuit Annos 40. sed ex eo tandem à Blutmacho Rege pulsus, primus Ecclesiæ Lismorensis euasit Episcopus. Ecclesiam Cathedralem, nec non Scolam Insignem ibi construxit, in quam multi olim Philosophiam veram profitebantur. Mortem obijt post multa sanctitatis edita signa, 14. Maij Anno 638. vel vt alij habent, 637. & Lismoræ, (quæ sæpimentum magnum significat) in Ecclesia sua sepultus est. Scolam Lismorensem ad tempus rexisse dicitur S. Cataldus, postea Tarentinus in Italia Episcopus, ad quam vndique ex finitimis, ac remotis Regionibus, innumeros pene homines confluxisse refert in eius vita, Bartholomæus Moronus, id quod ostendit etiam eiusdem Cataldi officium. Cæterum hinc inter alia colligere licet Cataldum non Anno 1170. Hoc corrigetur. Vt Moronus habet, neque sub initium sæculi sexti, vt Alexander ab Alexandro, & Antonius Caracciolus volunt, sed sub medium potius septimi claruisse, post obitum nempe S. Carthagi Scolæ Lismorensis fundatoris. Hanc opinionem firmat multitudo ea credentium in Hibernia, S. Cataldi æuo, à Morono memorata, quæ ad sæculum secundum sine dubio referri non potest. Siquidem Hibernia eo sæculo, & diù postea Ethnicismi tenebris obuoluta tacuit, sed hæc obiter. Ecclesiam Cathe-

dralem restaurauit Cormacus filius Mureti Rex Momoniç, circa annũ 1130. Vicarios Chorales ibi primus instituit, & docuit Griffinus Christophori Episcopus Lismorensis, circa annum 1230. de tempore erectionis Decani, & Capituli nihil mihi constat, librum habuit hæc Ecclesia lectissimum, de eius iuribus, & benefactorum donationibus, quem composuit Thomas Pursellus Episcopus Lismorensis, & VVaterfordiensis, anno Domini 1487. atqui magno Ecclesię detrimento, liber ille igne fortuito combustus est, circa annum 1612. hę duę Sedes Lismorensis inquam, & VVaterfordiensis realiter (vt loquimur) vnitę fuerunt, & coniunctę ab Innocentio VI. Pontifice anno 1363. primus vtriusque sedis Episcopus post vnionem fuit Thomas quidam, qui è Canonico Lismorensi factus est Lismorensis Episcopus anno 1358. & Rogero Cradoco Minorita Episcopo VVaterfordiensi ad sedem Landauensem in Vallia translato an. 1362. vtriusque Sedis vnionem, à iam dicto Innocentio VI. paulò postea obtinuit, de antiqua vrbis Lismorensis celebritate, corollarij loco, audi vetustum vitæ S. Carthagi Scriptorem, egregia, & sancta Ciuitas est Lesmor: cuius dimidium est Asylum, in quo nulla mulier audet intrare, sed plenum est Cellis, & Monasterijs Sanctis: & multitudo virorum Sanctorum illic manet. Viri autem Religiosi ex omni parte Hiberniæ, & non solum, sed ex Anglia, & Britannia confluunt ad eam, volentes ibi migrare ad Christum. Et est ipsa Ciuitas posita super Ripam fluminis quondam dicti Nem, modo autem Aban-Mor; id est amnis magnus, in plaga Regionis Nan-desi, Hunc fluuium Ptolemæus Duronam vocat, Nechamus Auen-mor, de quo ita ille:

Vrbem Lismor pertransit Auen-mor,
Ardmor cernit vbi concitus æquor adit.

Nunc Anglis alicubi. Broad-water, i. Aqua lata, alicubi Black-water, siue Aqua nigra dicitur. Adeo verum est illud Claudiani, lib. 2. in Eutropiam:

--- *Quid*

—— *Quid non longa valebit*
Immutare dies, &c.

Ardmora ipſa, ab editiori ſitu ſic dicta, Sedes etiam olim erat Epiſcopalis, à S. Declano primo loci Epiſcopo, in Eccleſiæ Hibernicæ infantia conſtituta, ſed poſt Anglorum aduentum in Hiberniam, Cathedræ Liſmorenſi vnita.

Corcagia, Eccleſia S. Barri, aliàs Finbarri.

Proxima dicetur Corcagia, vbi S. Barrus, aliàs Finbarrus, ſiue Barrus albus, dictus etiam antea Lochanus, in Conacia ortus, primus præfuit Epiſcopus. Eccleſiam Cathedralem is ibi loci fundauit ineunte ſæculo 7. & cum annos ſediſſet 17. vel ſecundum alios ſolum 7. Clonæ, quę Corcagia 15. circiter milliaribus diſtat 7. Kalendas Octobris, amicis circumſtantibus, placida morte obijt: quo autem anno obierit non eſt omnino certum Corpus eius Corcagiam deportatum, ibi in Eccleſia ſua, honorificè ſepultum eſt, & oſſa, neſcio quamdiu poſtea, capſulæ argenteæ indita. Eius eſt Epiſtola Alcuino attributa, de ceremonijs Baptiſmi, ſi Dempſtero credimus. In cœmeterio eſt campanile à Templo parum diſtans, quod aliqui exiſtimant Oſtmannorum Corcagienſium fuiſſe opus, & pro ſpecula, vel loco vbi excubiæ agebantur ab ijs primum vſitatum. Inter benefactores Eccleſiæ primarios, numerantur Gilla-Aeda Omugin Epiſcopus Corcagienſis, qui naturæ debitum perſoluit valdè ſenex, anno Domini 1173. eiuſque proximi ſucceſſores Gregorius, & Reginaldus. In hoc tractu Ptolemæi ætate O-Coriondi habitarunt, eorumque nominis veſtigia quædam retinere videtur Corcagia, quæ & olim dicta Corcagia magna, niſi quis malit ab Hibernico Concac, quod locum paluſtrem ſonat, fluxiſſe. Notandum hic veteribus Hibernicis vſitatiſſimum, vt C literam in fine dictionis, in aſpirationem verterent, & aliquando etiam in initio dictionis.

Clo-

Clonæ, Ecclesia S. Colmanni.

Colmannus ille filius Leninij S.Finbarri discipulus vir doctus, & pius, primus fuit Ecclesiæ Clonensis Episcopus, & Fundator. Constructionis huius fit mentio, in vita S. Brendani Abbatis Clonfertensis, his verbis: Erat hic Colmannus filius Lenini, vita atque Doctrina, inter sanctos, præcipuus. Ipse fundauit Ecclesiam Clonensem, quæ est hodie Cathedralis, & famosa in partibus Momoniæ. Claruit is sæculo VI. sed placidè tandem in Domino obdormiuit, anno 604. Nouembris 4. hanc Sedem per obitum Adami Pay, vel Py, vacantem anno 1430. Martinus V. Papa contulit Iordano Cancellario Limericensi: & Iordanus hic non ita diu postea, post obitum nempè Milonis Episcopi Corcagiensis, realem vtriusque Sedis vnionem obtinuit. Clona Latibulum sonat. Hæc in antiquo Prouinciali Romano Cluain-Vanian, ab Historicis Hibernicis Cluain-Vama appellata, in Agro Corcagiensi sita est, non longe à mari vergiuio. Expositionem posterioris partis dictionis, scil. vama, melius instructis relinquo. Ex huius Sedis Archiuijs antiquis, nunc solum (quod ego sciam) superest Rotulus, quem pipam Colmanni vocant, inchoatus anno 1364. tempore Ioannis Swafhami Carmelitæ, S. T. D. tum Clonensis, postea Bangorensis in VVallia Episcopi.

Rossæ, olim Ross-Ailithri, Ecclesia S. Fachnani.

Sanctus Fachnanus, vir sapiens, & probus, (vt eum vocat Scriptor vitæ S. Mocoëmogi) claruit ineunte sæculo 6. de eo, eiusque Cœnobio, & nobili Schola Rossensi, propè mare vergiuium, alibi diximus. Quando autem Ecclesia Cathedralis, ibi erecta fuerit, aut quis primus extiterit eiusdem Episcopus, haud certò constat. Non possum tamen non existimare Fachnanum ipsum primum fuisse Episcopum Rossensem, & Ecclesiæ Cathedralis fundatorem. In Martyrologio certò antiquo, ad 14. diem Augusti, quo die memoria eius celebratur,

Episco-

Epiſcopum eum diſertè appellatum comperi, de antiquis huius ſed is libertatibus, VVrecis maris ſc. ſiue naufragijs, &c. vide Inquiſitionem, in Archiuio Curiæ Capitalis Banci, Dublinij, an. 29, Edvvardi I. membr. 21. a. In cauſa Laurentij Epiſcopi Roſſenſis. Atque obiter hic notamus Ros-viridantem planitiem, vel vt alij volunt, ericetum ſignificare, & Alithri, peregrinationem, quod locus olim peregrinationibus frequentabatur.

Laoniæ Eccleſia S. Flannani.

Laonia vulgo Killaloc, ad Occidentalem Shenani ripam ſita (non procul à cataracta, qua fluuius impeditur, quo minus vlterius, nauigia deferat) nomen habet à S. Molua Abbate, qui ibi aliquandiu vixit, ſub finem ſæculi VI. atque eius diſcipulus S. Flannanus Theodorici Regis filius Romæ à Ioanne IV. Pontifice conſecratus, primus fuit huius Sedis Epiſcopus eo ſedente, pater eius Theodoricus Eccleſiam Laonenſem multis prædijs dotauit, ac mortuus tandem annorum plenus, in eadem, à filio Flannano, ſolenniter ſepultus eſt. Inter huius Eccleſiæ benefactores, numeratur etiam Moriertachus O-brien Rex Iberniæ, qui è vita migrauit 6. Idus Martij 1120. & ſicut viuus mandauerat, in eadem Eccleſia ſepultus eſt. Nec ſilentio præteriri debet, ex eadem familia, Donaldus O-brien Rex Limericenſis, de quo ſuſupra, ob largitiones non ſolum huic Eccleſiæ, ſed quam plurimis etiam alijs conceſſas, ab hiſtoricis multum celebratus. Sub finem ſæculi XII. ſedes antiqua Roſcræenſis huic Cathedræ, adiecta eſt, & vnita. Ibi Iohannes Rex Angliæ Caſtrum erexit, ex aſſenſu Cornelij O-hency Epiſcopi Laonenſis: ſed ipſum Mannerium Roſcræenſe permutauit poſtea Mathæus O-hogan, vnus è Cornelij ſucceſſoribus, cum Edwardo I. Rege Angliæ anno Domini 1280. pro prædijs quibuſdam prope Nouum-Caſtrum in Agro Dublinienſi, quę anno poſt 148. videlicet anno Domini 1428. qui tum præfuit Epiſcopus, Donatus Mac-

cragh

eragh permutauit, cum Gulielmo Fin (siue albo) Fitz-Reuher, pro Villa de Hamonston, apud Limericenses. Mannerium vero Roscræense (vt ad illud redeamus) Edwardus Primus, anno 1281. Edmundo Butlero contulit, postea Comiti Carikiano. Vtcumque, hac vtriusque Sedis vnione, Diœcesis Laonensis, admodum spatiosa euasit, ita 116. plus minus Ecclesias Parochiales præter Capellas contineret. Ad Ecclesiæ Roscræensis primordia quod attinet, certissimum est S. Cronanum Episcopum, vel, vt alij volunt, Abbatem primum eius fuisse conditorem. Frontispicium eius ad occasum (pro loci paupertate) satis speciosum est.

Ardfertæ Ecclesia S. Brendani.

Sedes hæc Episcopalis sita est in Kerria regione, olim Kerrigia dicta, quæ patria fuit, S. Brendani Abbatis Clonfertensis, cuius memoriæ hæc Ecclesia dicata est. Is ab ineunte ætate, in hac sua patria, bonis litteris, sub Erto Episcopo operam dedit donec adultus impetratâ veniâ in Conaciam profectus est, ad Sanctum Iarlathum Episcopum, sub quo Theologiæ studio nauiter ad tempus incubuisse dicitur. Orationis Longiusculæ S. Brendano attributę exemplar habeo. M. S. cuius initium est: Deus Omnipotens, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Id quod à me libentius hîc memoratur quia oratio ipsa nondum typis mandata est. Atque hæc de S. Brendano. an vero Ertus ille huius Ecclesiæ fuerit Episcopus non facilè iudicari potest, fuisse tamen vix est cur non existimemus, donec tempus veritatem in lucem extrahat. Habitatio eius fixa in Kerria hoc innuere videtur: & ipsos Episcopos Ardfertenses (vt hoc non omittam) nonnunquam Kerrienses dictos, tam ex Historicis Hibernicis, quam ex Archiuijs publicis didici: Adfert significat locum editum mirabilem, vel vt alij interpretantur altitudinem miraculorum, sed vulgo nunc dicitur Ardart.

Fenekoræ, Ecclesia S. Fachnani.

Post has recensebitur Fenabora, vulgo Kilfenora,

in

in Agro Clarensi (olim Tuamonia) sita in Baronia nempè de Corcumro Oceano Occidentali pulsata, huiusce Sedis Episcopum dictum, etiam Corcunrothensem notat Ioannes Clinnus, in diuisione Sedium Episcopalium ad finem annalium suorum, quo tempore, & à quo condita fuerit Ecclesia Cathedralis, nihil (quod sciam) certi extat. Suspicetur fortasse aliquis Sanctum Fachnanum, de quo supra eam primum excitasse. Qua de re quærant alij. Episcopatus iste, vt totius Hibernia minimus cui nempè 13. tantum Parochiæ subiectæ, ita & inter pauperrimos semper numeratus est, ad reliquas Basilicas instituto ordine iam pergamus.

In Prouincia Tuamensi.

Loca, & tituli dedicationum.	Origines, & aliæ Antiquitates.

Tuamæ, Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis.

PRimus Episcopus qui Tuamæ (olim Tuaim Dagauland) Sedem fixit Cathedralem, fuit Sanctus Iarlatus Logæ filius, qui claruit sub initium sæculi sexti. Quippe qui Sancti Brendani Abbatis Clonfertensis Præceptor fuit, vt ex eiusdem Brendani vita intelligimus, vir doctus, & in quo pietas, & morum candor cum Doctrina certabant. Decessit dierum plenus 26. Decembris sed quo anno non comperi. Extant sub eius nomine vaticinia quædam de successoribus suis in Sede Tuamensi, quorum exemplar habeo. M.S. sed quam fidem mereantur aliorum sit iudicium, ossa eius, diu post obitum quæsita, & inuenta, in scrinium argenteum translata sunt, & Tuamæ reposita in Ecclesia siue Capella, quæ inde vulgo est Temple Nescrin; id est Templum scrinij, post aliquot deinde sæcula videlicet circa annum Domini 1152. Ecclesiam Cathedralem de nouo condidit à Tirdeluaco O-Conner Rege Hiberniæ adiutus, Edanus. O-Hoigin

primus Archiepiſcopus Tuamenſis, ſaltem qui primus pallio vſus eſt, nam aliqui è prædeceſſoribus eius, ab Hiſtoricis Hibernicis paſſim appellati ſunt Archiepiſcopi, quamuis pallio non induti: Edanus hic, ob morum ſuauitatem celebratus obijt ſenex anno Domini 1161. & in Eccleſia ſua Cathedrali conditus eſt vbi, ſaxo quo tegitur, Epitaphium Hibernice inſcriptum legitur, in quo Iarlati Comorbanus, ſiue ſucceſſor appellatur. Cæterum hanc Eccleſiã Edani ſucceſſores, nouo conſtructo Choro, in nauem Eccleſię poſtea conuerterunt, inter eos Thomas O-Coner Eccleſię valdè beneficus fuiſſe perhibetur: qui porrò Sedi ſuæ ab Henrico III. Rege Angliæ nundinas impetrauit, Tuamæ quot annis 28. Decembris, & 7. diebus inſequentibus habendas. Ad Sedes quod attinet quæ Cathedræ Tuamenſi vnitæ fuerunt, prima erat Majonenſis, ſiue Magionenſis, tempore Felicis Ruadani Archiepiſcopi annexa, poſt obitum nempè (vt opinor Cœleſtini, aliàs Cœle O-Dubhai Epiſcopi Maionenſis, qui obitus contigit anno Domini 1210. ſecunda Enaghdunenſis; atqui ante eius realem vnionem, diuturnæ erant olim contentiones inter Archiepiſcopos Tuamenſes, & alios, qui eius etiam Eccleſiæ ius ſibi vendicabant. Lis primum enata eſt poſt mortem Thomæ O-Maley Epiſcopi Enagdunenſis. Eo enim defuncto anno 1230. Florentius Mac-Flin, eodem anno, à Cancellariatu Tuamenſi ad Archiepiſcopatum Promotus, intrauit in Epiſcopatum Enagdunenſem, Sede vacante, de licentia Canonicorum Enaghdunenſium: & retinuit, toto tempore ſuo, temporalia, & ſpiritualia dicti Epiſcopatus, vt è Rot. placitor. anno 34. Edwardi I. liquet, Concorde quodam Epiſcopo conſecrato, & Regio aſſenſu confirmato 8. Maij 1231. de iniuria ſibi allata fruſtra conquerente. Florentij proximus ſucceſſor VValterus de Salern, aliquando Decanus Eccleſiæ S. Pauli Londinenſis (quem Matthæus Pariſienſis Male Archiepiſcopum vocat Armachanum) obijt Londini, in redditu Roma, paulò

poſt

poſt conſecrationem, menſe nimirum Aprili 1238. antequam Sedem ſuam vidiſſet, ita vt de eo, ad hanc rem non habeam quod dicam. VValtero defuncto ſucceſſit Thomas O-Conner, de quo ſupra, qui Sedi Tuamenſi ſimul ac Enaghdunenſi præfuit annos 20. Cæterum ſedente ibidem Stephano de Fulburn, vetus controuerſia denuò ſuſcitata eſt, inter eum, & Iohannem de Vfford, qui in Epiſcopum Enaghdunenſem electus regium obtinuerat aſſenſum Martij 16. (Stylo Anglicano) 1282. in qua tamen Vffordus ſuccubuit. Fulburno defuncto 5. nonas Iulij 1288. Gulielmus de Bermingham ſucceſſit, cuius tempore Gilbertus quidam Ordinis Minorum, in Epiſcopum Enagdunenſem electus, & conſecratus 1306. temporalibus Epiſcopatus tandem reſtitutus eſt Iulij 15. 1308. Archiepiſcopo quantumuis inuito, & reclamante. Mitto hic (ne longus nimis ſim) lites agitatas inter Malachiam Gulielmi ſucceſſorem, & iam dictum Gilbertum eiuſque ſucceſſores, Iacobum Kernæum, Robertum le Petit, & Thomam Malæum. Satis erit hic indicare Malachiam Thoma Malæo Auenione mortuo anno 1328. Eccleſiam Enaghdunenſem repetijſſe, & ante obitum per annos non paucos, adminiſtraſſe. Atque ita, tandem lis ea diuturna finita eſt. Venimus iam ad Sedem Elphinenſem.

Elphinæ, Eccleſia S. Mariæ.

Elphina, ſiue (vt alii ſcribunt) Elfina, in regione fertili, & amœna, aliquantulum ſurgente ſita eſt, vbi Eccleſiam Cathedralem conſtruxit S. Patricius, propè amniculum è duobus fontibus emanantem, circa medium ſæculi quinti, eique præfecit Aſicum Monachum, magnum pœnitentiæ, & auſteræ vitæ amatorem, à ſe in Epiſcopum conſecratum, qui paulò poſtea Monachis eam impleuit. Sunt qui tradant (quam verè neſcio) Aſicum hunc aurificem fuiſſe præſtantiſſimum, arteque ſua, Eccleſiam Cathedralem, operis eximij monumentis, ornaſſe. Poſt multas verò annorum centurias, nempè non

ita diu post Anglorum ingressum, Sede Roscomanensi huc translata, hæc Sedes (Elphinensis inquam) multis magnisque ditata est latifundijs. Quando Ardcarnensis, Clanmolinensis, & alij eiusdem minoris notæ Episcopatus coniuncti itidem, & vniti fuerint, ignorare me fateor; verisimile autem est eos ante Anglorum aduentum annexos fuisse vel Elphinensi Cathedræ, vel Roscomanensi. Non inueniuntur certè eorum nomina in dispositione Episcopatuum Hiberniæ facta anno 1152. iam sæpius à nobis memoratâ: & (quod miror) ipsa Sedes Elphinensis in dicta distributione omissa est, non possum non suspicari eam, ad tempus, ante translationem scilicet prædictam, Roscomannij Sedi fuisse etiam adiunctam. Vtcumque, certum est Sedem Elphinensem, ex hisce vnionibus, inter opulentissimos totius Hiberniæ Episcopatus, tandem fuisse numeratam, & Ecclesias Parochiales plus minus 79. subiectas habuisse imperitum vulgus loci nomen factum somniat ab ingenti Saxo ibi conspiciendo, quod Finni Mac-cool, Gigantis Saxum vocant.

Clonfertæ, Ecclesia B. Mariæ.

S. Brendanus Finlogæ filius, S. Brendani Birrensis æqualis, & studiorum Comes Cœnobium Clonfertæ construxit, prope Shenanum flu. anno Domini 558. cui ipse præfuit Abbas, & in quo sepultus est, cum annos vixisset 93. Enaghdunæ die Dominico, 16. Maij anno 577. vnde corpus Clonfertam delatum, ibi sepulturæ (vti diximus) traditum est. Eius tempore Ecclesia Cathedralis Clonfertensis primum constituta est. Primi qui ibi præfuit Episcopi obitum, in annalibus Vltoniensibus, ad annum 571. vel 572. ita annotatum inuenimus; Mæna Episcopus Clonfert-Brenain quieuit. Inter Ecclesiæ huius benefactores recensetur vir magni imprimis nominis, Iohannes quidam natione Italus, Clementis IV. Pontificis Nuncius in Hibernia, Athenriæ ad hanc Sedem consecratus, die Dominico ante Festum Natalis Domini 1266. vbi cum prefuisset annos fere 30.

ad

ad Archiepiſcopatum Beneuentanum in Italia translatus eſt. Ei ſucceſſit, in Sede Clonfertenſi, Robertus, Monachus Benedictinus Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ, qui ab Henrico III. Rege Angliæ probatus eſt 24. Septembris 1296. ſed hoc obiter. Ad nominis Etymon quod attinet, Cluain-ferta latibibulum mirabile ſignificat.

Killallæ, Eccleſia S. Muredachi.

Muredachus ille, cuius memoriæ Eccleſia Cathedralis Alladenſis dicata eſt, primus fuit eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus. Ordinatus eſt à S. Patricio vnde eum claruiſſe conſtat ſæculo quinto; de tempore vero obitus eius, nihil traditum comperi: Killalla ſita eſt non procul à Muado, aliàs Moio flu. in Agro Maionenſi, & eius Sedis Epiſcopi ab ea parte agri, qua cingitur, ab Hiſtoricis nonnunquam appellabantur, Epiſcopi de Tir-Amalglaid. Antiquas huius Sedis poſſeſſiones confirmauit Innocentius III. Papa, 3. Kalendas April. 1198. ad Rogatum Donati Epiſcopi Alladenſis. Vide ſi placet earum Catalogum, in editis eiuſdem Innocentij decretalibus Epiſtolis.

Achonriæ, Eccleſia S. Conrahi.

Hanc Eccleſiam conſtruxit S. Finianus Clonardenſis, circa annum ſalutis 530. locum concedente Dynaſta Regionis Luignienſis. Eccleſiam ita conſtructam S. Finianus mox contulit Nathio, qui Binomius fuit, dictus vulgò Comarhus, aliàs Cruimthir, vir magnę ſanctitatis. Hunc Scriptor vitæ S. Finiani Presbyterum ſolum appellat. Ego autem non poſſum non exiſtimare factum eum poſtea fuiſſe Eccleſiæ huius Achadenſis Epiſcopum. In annalibus antiquis Hibernicis, Præſules huius Sedis appellantur plerumque, a centuria in qua ſita eſt Epiſcopi Luignienſis, ſiue Leinienſis. Inter Epiſcopos, ob eruditionem maximè celebratur Gulielmus Andrew Anglus Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Doctor, qui cum hanc Eccleſiam annos plus minus ſex gubernaſſet, ad Epiſcopatũ Midenſem translatus 1380.

poſt

post quinquennium decessit, in vigilia nimirum S. Michangelis Archangeli 1385.

Duaci, Ecclesia S. Colmani.

Diatribam hanc claudit Duacensis Ecclesia, quę originem suam debet S. Colmano filio Duaci, qui ibi sedit Episcopus circa medium sæculi 6. & obijt 3. die Februarij: obitus autem annum ignoro. Ab eius cognomine ipsa Sedes Kilmac-duac; id est Ecclesia filij Duaci nomen sortita est: sed corrupte vulgo Kilmacough nuncupatur. De hac Ecclesia nihil præterea memoria dignum se offert.

Erunt fortasse qui vicio mihi vertent quod de Prouincię Tuamensis Basilicis tam pauca dixerim, sed sciant illi diplomata, & Regesta ferme omnia antiqua Præsulum ac Basilicarum illius Prouinciæ, exceptis nudis nonnullis possessionũ reddituum ac procurationum Cathalogis, magno non solum Ecclesiarum sed etiam rei antiquariæ detrimento perijsse. Atque hæc sunt quæ de Hiberniæ Basilicis dicenda habui.

CAP. VIII.

De Monastico Instituto in Hiberniam introducto, deque regula S. Martini quam creditur S. Patricius obseruasse.

Fidei Christianæ ortum, & progressum vt aduertunt eruditissimi Viri DD. Lucas d'Acherij, & Ioannes de Mabillon Benedictini pene è vestigio subsecuta est Monastica Institutio, & naturali quadam lege ex Oriente in Occidentem peruasit; Basilium Ducem præcipuum celebrant Orientales, Benedictum Occidentales Monachi; Augustiniani, seù Eremitæ, seù Canonici Regulares, Augustinum, Basilium in Monastico edocendo Instituto, S. Antonius præcessit, à quo Roma mediante S. Athanasio

Fidem Christianam Monastica institutio subsecuta.

Quiuis Authores.

nasio Episcopo Alexandrino, Monachismum accepit, de qua re S. Hieronymus ad Principium Virginem de Marcellæ epitaphio, ex Vrbe ad cætera Europę loca profluxit: vti in Hiberniam nostram sub ipsis Apostolorum temporibus Christianam penetrasse Fidem, ita, & illam in nonnullis ibidem partibus, & Monasticum viguisse Institutum ante S. Patricij aduentum in annalibus nostris conamur ostendere.

Post prædicatam in tota Ibernia per Patricium fidem, illico Monastica Institutio Regnum peruasit, Teste Iocelino cap. 174. fecit ergo (Patricius) totam Insulam
„ in funiculo distributionis diuidi, diuisam cum omnibus
„ Incolis vtriusque sexus decimari, omneque decimum
„ Caput, tàm in hominibus, quàm in Pecoribus in par-
„ tem Domini iussit sequestrati, Sanctimoniales efficiens,
„ numerosa Monasteria ædificauit, decimamque por-
„ tionem terrarum, & pecudum eorum sustentationi assi-
„ gnauit infra igitur breue temporis spatium, nulla Ere-
„ mus, nullus penè angulus terræ, aut locus in Insula,
„ tàm remotus, qui electis Monachis, & Monialibus
„ non repleretur, itaut Hibernia speciali nomine Insula
„ Sanctorum vbique terrarum Iure nominaretur. Viue-
„ bant enim secundum regulam à Sancto Patricio illis
„ præfixam, in mundi cōtemptu, cælestium appetitu, San-
„ cta mortificatione carnis, ac abdicatione voluntatis
„ proprię pares Ægyptijs Monachis merito, atque nume-
„ ro, itaut exteras, atque longiquas regiones illustra-
„ rent verbo, ac Religionis exemplo. Hæc Iocelinus.

Notam porrò fuisse S. Patricij regulam, vel inde constat, quod S. Cemalicus, vt habet Surius tom. 2. eximiæ virtutis eius opinione permotus, modis omnibus ad eum proficisci per optauerit, vt viuendi normam ex eius Sanctissima Institutione capesceret.

At quænam fuit hæc D. Patricij regula? D. Mobillon, ait fuisse normam à S. Martino Turonensi præscriptam sub cuius disciplina vixisse Patricium spatio circi-

tèr quatuor annorum in annalibus narramus ex Iocelino, & alijs: Auunculus Matris suæ, inquit, Iocelinus, con-
„ quessæ fuerat, & quia idem Sanctissimus Martinus,
„ Sacerdotum Carbunculus Monachus fuit cognato suo
„ Patricio Monasticum habitum,& eius instituta tradidit
„ obseruanda, quæ iste deuotè suscepta actibus respon-
„ dentibus habitui adornauit, & in eisdem perseuerauit.

„ Cuius verò coloris hic habitus fuerit, idem tradit
„ Iocelinns cap. 185. super cætera Indumenta Cuculla
„ candida amiciebatur, vt ipsa habitus forma, & colore
„ Monachus sui speciem, & candidatum humilitatis, &
„ Innocentiæ repraesentare videretur. Vnde, & Monachi
„ in Hibernia, Sancti Patricij sequendo vestigia per mul-
„ ta temporum volumina habitu simplici contenti erant,
„ quem Ouium ministrabat lana, qualibet extrinseca
„ tinctura remota. Hæc ille prædictam S. Martini normam breue quidem, & paucis multa complectentem refert Seuerus Sulpitius Patritij sub Sancto Martino Condiscipulus lib. de Vita eiusdem Sancti cap.7.

„ Discipuli verò, inquit octoginta erant, qui ad
„ exemplum B. Magistri instituebantur.

„ 1 Nemo ibi quidquam proprium habebat.

„ 2 Omnia in medio conferebantur.

3 Non emere, aut vendere (vt plerisque Monachis mos est, *cuiquam licebat.*

„ 4 Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur, cui
„ tamen operi minor ætas deputabatur, maiores Orationi vacabant.

„ 5 Rarus cuiquam extra Cellulam fuit egressus, nisi
„ cum ad locum Orationis conueniebant.

6 Cibum vna omnes post horam Ieiunij accipiebant.

7 Vinum nemo nouerat nisi quem infirmitas coegisset.

„ 8 Plerique Camelorum Setis vestiebantur mollior, ibi habitus pro crimine erat.

Quod

Quod eo magis sit mirum necesse est, quod multi inter eos nobiles habebantur, qui longè aliter educati, ad hanc se humilitatem, & patientiam coegerunt, pluresque ex his postea Episcopos vidimus, quæ enim esset Ciuitas, vel Ecclesia, quę non sibi *de Martini Monasterio cuperet habere Sacerdotes*? Et hæc de D.Patricij Monastico instituto, cui non dubium, quin plura alia addiderit pro meliore sequacium suorum regimine.

CAPVT IX.

De diuersis Ordinibus Monasticis, & Regulis olim in Hibernia.

VArios Monasticos Ordines à tempore S.Patricij sub diuersis Institutoribus, & regulis peculiaribus viguisse constat ex peruetusto auctore Vitæ S. Patricij, & altero Vitæ Finiani, quem ex manuscripto Armachano Codice citat Ven. P. Patritius Fleminghus nostri Ordinis, olim in hoc Sancti Isidori Collegio Philosophię Professor pro fide in Germania passus: distinguit autem ille author hos Ordines Sanctorum Primitiuæ Ecclesiæ in Hibernia: primus Ordo Sanctorum erat tempore S Patritij & tunc erant Episcopi omnes clari, & Sancti, & Spiritu Sancto pleni trecenti quinquaginta numero Ecclesiarum Fundatores vnum Caput Christum colentes, & Ouiũ Ducem Patritium sequentes, vnam Tonsuram habentes; & vnam celebrationem Missæ, & vnum Pascha, scilicet post Equinoctium Vernale celebrabant, & excommunicatum ab vna Ecclesia omnes excommunicabant, mulierum administrationem, & consortia non respuebant, idest in contiguis Claustris, & habitaculis ad vnum Abbatem, & Ecclesiam spectantibus.

In secundo Ordine pauci erant Episcopi, & multi Presbyteri numero 300, diuersus celebrandi Ritus ha-

bebant, diuersas regulas viuendi, vnum Pascha luna 14. celebrabant, vniformem tonsuram ab aure ad aurem faciebant, mulierum quoque consortia, & administrationem fugiebant, atque à Monasterijs suis eas excludebant, ita ille, ex quibus colligi potest memoratos Presbyteros fuisse diuersorum Cænobiorum Abbates, & fuisse trecentos numero.

In tertio Ordine erant Presbyteri Sancti, & pauci Episcopi numero centum, qui in locis desertis habitabant, hi oleribus, & aqua, & eleemosinis fidelium viuebant, & omnia Terrena contemnebant, hi diuersas regulas, & varios celebrandi Ritus habebant, & diuersam etiam tonsuram, aliqui enim habebant Coronam, alij Cæsariem, & hi diuersam solemnitatem Paschalem habebant, alij luna 14. alij 13. celebrabant hactenus ex authore præfato.

Ex his patet primum Ordinem vixisse sub regula S. Patritij; In secundo autem, & tertio varias fuisse regulas, octo suppeditat Vita S. Kierani, prima, vt dixi S. Patritij, secunda S. Brandani, qui tribus Monachorum millibus præfuisse creditur mortuus anno 560. Tertia S Kierani Clauensis, quarta S. Columbæ Hiensis, quinta S. Congelli Abbatis Monasterij Bencherensis in Diœcesi Dunensi Prouinciæ Armacanæ, in quo Cænobio inquit Iocelinus vitæ S. Patricij cap. 98. multa millia perfectorum Monachorum per Euangelium Christo genuit, itaut vnus ex filijs eius, inquit S. Bernardus vitæ S. Malachiæ cap. 7. nomine *Luanus* centum solus Monasteriorum fundator extitisse feratur, in eodem Cænobio, diu, noctuque laus vigebat perennis, & vno die nongenti Monachi pro fide à Piratis fuere perempti.

Sexta regula fuit S. Adamnani. Septima S. Brigidæ, quam Ioannes de Bruxellæ, siuè Maubunus Liuriacensis Abbas in suo Venatorio Canonicorum Regularium non dubitat tredecim millium Monacharum Abbatissam appellare, & ex eius Instituto, ait Gabriel Pennottus

Col-

Collegia Canonissarum, non solum in tota Hibernia, sed etiam in Anglia, & Belgio habuisse originem. Octaua regula fuit S. Molassi, seù Lusciani, quos omnes Historia à P. Flemingo citata tradit trecenta animarum millia Cœlo peperisse.

CAPVT X.

De Cænobijs, & Conuentibus in Hibernia.

HVic Catalogo præmittendus est annus millesimus, centesimus, septuagesimus primus, quo Henricus Secundus Angliæ Rex Indulto Apostolico Adriani Quarti, & titulo restaurandæ Ecclesiasticæ, Christianæquè Disciplinæ, vt ille allegabat collapsæ, ingressus est in Hiberniam, Bellis ciuilibus exagitatam, à quo tempore Canonici Regulares, & Cistercienses Monachi recenti tunc vitæ austerioris Instituto florentes in Hiberniam inducti, pleraquè Cænobia vel antè extructa, vel de nouo erecta possederunt tàm hæc, quàm alia aliorum Religiosorum iuxtà Ecclesiasticarum Prouinciarum Ordinem tum ex Regestis Pontificijs, tum ex ijs Patriæ Monumentis, quæ in lucem edita ad manus deuenerunt recensebimus, fusiorem de illis in progressu annalium facturi mentionem.

In Prouincia Armacana.

Cænobia Canonicorum Regularium S. Augustini in dicta Diæcesi Armachana.

ARdmachæ Monasterium Sanctorum Petri, & Pauli Louthæ in Comitatu Louthensi Monasterium, siuè Prioratus B. Mariæ.

Knocke iuxta Louthum Monaſterium de Monte Apoſtolorum Sanctorum Petri, & Pauli.

In Diæceſi Medenſi, & Midia Orientali.

Trimmæ Monaſterium, ſiuè Abbatia B. Mariæ.

Iuxtà Trim Prioratus S. Petri de Neuton, ſiuè Villæ nouæ.

Ballibogan aliàs de Laude Dei Prioratus Sanctiſſimæ Trinitatis.

Clonardæ Prioratus S. Petri.

Colpe à Varreo locus ſic dictus in Midia Monaſterium Prioratui Lanthoniæ in Vallia ſubiectum.

Dulekæ propè Droghedam Monaſterium Beatæ Mariæ Virginis.

Dulekæ item Prioratus S. Chianani.

Nauanæ ad confluentiam Boini, & Aquæ Nigræ aliàs Mihi-Doffæ, Monaſterium B. Mariæ.

In Midia Occidentali.

Molingaræ Prioratus B. Mariæ vulgò Domus Dei.

Triſternagh Prioratus B. Mariæ.

In Comitatu de Longford, & Diæceſi Ardachadenſi.

Derg Prioratus S. Petri.

Iniſmore in lacu de Gauna Prioratus.

Inisbofind in Senani fluminis lacu Lough-Rie dicto.

Monaſterium vt habet VVareus, ſed an ibi iaceat celebris illa Inſula propè Galuiam ſita, vel alia eiuſdem nominis in decurſu Operis noſtri videbimus.

In eodem lacu, & loco dicto *Iniſcloghram* ſtatuit VVareus aliud Monaſterium, quod quomodo cum Comitatu Longfordienſi, & Diæceſi Ardachadenſi conuenit adhuc non video.

In Inſula omnium Sanctorum, ſiuè Inſula Sacra Prioratus vt idem Vareus refert.

In Comitatu, & Diæceſi Dunenſi.

Duni Prioratus S. Ioannis Baptiſtæ.

Benchor, Monaſterium, in quo olim feruntur fuiſſe tria millia Monachorum, viguit ibidem ſuccedentibus ſibi

ſibi Choris diù, noctuque laus perennis, Ordinis fuiſſe Benedictini Yepes, & alij contendunt ſaltem circa tempora S. Bernardi.

Saballi prope Dunum celeberrimum Sancti Patricij Monaſterium, in quo Sanctus ipſe frequenter habitabat.

In Comitatu de Antrim.

Kells alias Prioratus Beatæ Mariæ de Muchmor Prioratus B. Mariæ, & S. Colmanelli.

In Comitatu, & Diæceſi Derenſi.

In Ciuitate Deriæ Sancti Columbæ, Monaſterium Sancti Columbæ.

Dungeuin Prioratus.

In Comitatu de Tiroen.

Clocheræ Monaſterium B. Mariæ.

In Comitatu de Fermanagh.

Daminis, ſiue Inſula Bouium Prioratus Beatæ Mariæ Inſula S. Dabeoci alias Auogi in lacu rubro, vulgo Loghdearig Prioratus Purgatorij S. Patricij, olim Abbati SS. Petri, & Pauli Ardmacan ſubiectus.

In Comitatu de Monachan.

Cluaneois vulgo *Clunes* Monaſterium SS. Petri, & Pauli.

In Comitatu Cauan.

Drum Lahan Prioratas Beatæ Mariæ Cœnobio B. Mariæ de Kenlis in Midia Orientali ſubiectus.

Cœnobia Benedictinorum.

In Prouincia Armacana.

Benedictinos plura olim in Hibernia habuiſſe Cœnobia mihi omnino probabile eſt vel inde, quod Benedictini Hiberni habuerint in Germania aliquot Monaſteria, quæ antiquo Scotiæ nomine, quo olim indigitabatur Hibernia, retento, Scotorum dicebantur Cœnobia, ſed ab Anglorum in Hiberniam aduentu in reformationem D. Bernardi pleraque conceſſiſſe, vnde Ciſtercienſe inſtitutum mirum in modum ibidem creuit.

Bectif aliàs de Beatitudine Monaſterium B. Mariæ.

Kenliſæ Monaſterium B. Mariæ.

In

In Midia Occidentali, & Diecesi Midensi.

Foure Prioratus SS. Taurini, & Fecchini.

In Comitatu, & Diæcesi Dunensi.

Duni Cathedralis Ecclesia S. Patricio sacra, Prioratus Benedictinorum in qua Ecclesia olim condita fuerunt corpora SS. Patricij, Columbę, Brigidæ, an etiam nunc mihi non est compertum, Prior huius Monasterij habuit locum, suffragiumque inter Proceres Regni in Comitijs Parlamentarijs.

In territorio de Ardes Prioratus S. Andreæ.

Nedri in eodem Dunensi Comitatu Prioratus alter Cœnobio S. Begæ in Cumbria olim subiectus.

Ad Benedictinos spectasse celeberrimum Benchorense Monasterium Yepes, & alij affirmant.

Ad eosdem spectabat Monasterium de *Bellobecco* in Midia Orientali, sed transiuit ad Cistercienses.

Cœnobia Cisterciensia.

In Prouincia Ardmacana, in Midia Orientali.

Beaubec, siue de Bellobecco prope Atrumiam Monasterium B. Mariæ.

Bectif, aliàs de Beatitudine, ibidem Monasterium Beatæ Mariæ.

Kenlisæ Monasterium B. Mariæ.

In Midia Occidentali.

Ballimore Loghseudij Monasterium Beatæ Mariæ, licet VVareus putet spectasse, ad Canonicos Præmonstratenses.

Killebegan siue de flumine Dei Monasterium.

In Comitatu de Longford, & Diæcesi Ardachadensi.

Granardi, aliàs Lerha iuxta Granard Monasterium Beatæ Mariæ, de quo in regestis Pontificijs frequentem inuenio mentionem.

Shrowl ad Ennium fluuium Monasterium B. Mariæ.

In Comitatu Louthensi.

Mellifonte celeberrimum Monasterium B. Mariæ Mellifons dictum, Monachis è Cœnobio Claræuallensi à

Diuo

Diuo Bernardo impletum, Abbate illis præposito Christiano O-Conarchij, postea Lismorensi Episcopo, & Sedis Apostolicæ per Hiberniam Legato.

In Comitatu Dunensi.

Duni Monasterium B. Mariæ.

Holywood aliàs de Bosco Monasterium B. Mariæ.

Comer aliàs Comber Monasterium B. Mariæ.

Leigh aliàs de Iugo Dei, vulgo Grey Abbey Monasterium B. Mariæ.

Newry aliàs de Viridi Ligno Monasterium B. Mariæ, & S. Patricij.

In Comitatu Derensi.

Deriæ, vel forte Moycoscain, de Clarofonte Monasterium B. Mariæ.

In Comitatu de Dovvnegall.

Ashro aliàs Esarua, seù de Samario Monasterium Beatæ Mariæ.

Cœnobia Præmonstratensia.

In eadem Armacana Prouincia.

In Comitatu de Cauan.

In Insula Sanctissimæ Trinitatis de Loug-houghter Monasterium Sanctissimæ Trinitatis Apostolicæ Sedi immediatè subiectum.

In Comitatu de Antrim.

Goodborn aliàs Doodborn Prioratus S. Crucis.

Cœnobia Ordinum Mendicantium.

In eadem Prouincia.

Ordinis Prædicatorum, & Cruciferorum.

In vtraque Midia.

Trimiæ Conuentus Prædicatorum.

Iaxta Trimiam Conuentus Cruciferorum.

Iuxta Kenlisam Hospitale S. Ioannis Baptistæ Cruciferorum.

Molingaræ Conuentus Ordinis Prædicatorum.

Kilkenij-west Hospitale S. Ioannis Baptistæ Cruciferorũ.

In Comitatu de Longford.

Longfordæ Conuentus Ordinis Prædicatorum.

In Comitatu de Louth.

Droghedæ siuè Pontanæ Conuentus Prædicatorum.

Iuxta Droghedam Prioratus Sancti Laurentij Cruciferorum.

Iuxta Dundalke Prioratus S. Leonardi Cruciferorum, sub Regula S. Augustini.

Carlingfordiæ Ordinis Prædicatorum.

In Comitatu de Ardmach.

Ardmachæ Ordinis Prædicatorum.

In Comitatu Dunensi.

Newton Ordinis Prædicatorum.

Duni Prioratus S. Ioannis Baptistæ Cruciferorum, sub Regula Sancti Augustini.

In Comitatu Derensi.

Deriæ Conuentus Ordinis Prædicatorum.

Iuxta Colranan Conuentus de Bannin Ordinis Prædicatorum.

Conuentus Fratrum Minorum.

In hac Prouincia Armacana.

In Midia.

Trimiæ intra Ciuitatem Conuentus Fratrum Minorum.

Slanæ Cœnobiolum Tertij Ordinis.

Montisfernandi, seù Multifernan Conuentus Minorum.

Athloniæ Conuentus Minorum.

Longford.

Ballinasagard Tertij Ordinis.

Louth.

Drogheda Conuentus Minorum.

Ardmach.

Ardmach Conuentus Minorum.

Doun.

Duni, Conuentus Fratrum Minorum.

Holy-wood, aliàs de S. Bosco Tertij Ordinis Sancti Francisci.

An-

Antrim.

Carrigfergus, Conuentus Minorum.

Inuer, Cœnobium Tertij Ordinis.

In Comitatu Dunagalliæ.

Dunagallæ, Conuentus Minorum.

Kilmacrenan, Conuentus Minorum.

Magheri-beg, Cœnobium Tertij Ordinis.

Tir-Oen.

Dunganon Cœnobium Tertij Ordinis.

Fermanagh.

Lisgauail, Conuentus Minorum.

Monaghan.

Monaghan, Conuentus Minorum.

Cauan.

Cauan Conuentus Minorum.

Cœnobia Ordinis Eremitarum S. Augustini in eadem Armacana Prouincia.

Midia Orientalis.

Scirinæ Cœnobium Eremitarum S. Augustini.

Louth.

Drogheda Conuentus Erem. S. Augustini.

Cœnobia Ordinis Carmelitarum in eadem Armacana Prouincia.

Midia Orientalis.

.... Athboya Conuentus Carmelitarum.

Midia Occidentalis.

Ardnecran Ordinis B. Mariæ de Monte Carmel.

Louth.

Iuxta Droghedam Conuentus Carmelitarum.

Atherdeæ Conuentus Carmelitarum.

Donagal.

Rathmullian Cœnobiolum B. Mariæ de Monte Carmelo.

Cœnobia Canonicorum Regularium Sancti Augustini in Diœcesi Dublin.

Dublin. P. & Ecclesia Cathedralis S. Trinitatis.

Holm-Patrick, aliàs Inſula S. Patricij P.
E regione Saltus Salmonum, P. S. Catherinæ.
In Comitatu Killdarienſi.
Conal, ad Liffium flu. P. B. Mariæ.
Kilrush C. Canonicorum Regularium.
Iuxta Naſam, P. S. Ioan. Baptiſtæ.
In Comitatu VVexfordienſi.
Iuxta VVexford. P. SS. Petri, & Pauli de Selsker.
Dunum, M. Canonicorum Auguſtinianorum.
Fernæ M. B. Mariæ.
In Comitatu Kilkennienſis.
Kilkenniæ P. ſeu H. S. Ioannis Baptiſtæ.
Fert-ne-gerah, P. S. Kiarani.
Iniſtiock P. S. Columbæ.
Kenlis, aliàs Kells, P. B. Mariæ.
In Comitatu Regis.
Durrogh, M. B. Mariæ.
Gallen, aliàs Galin, P.
Killeighæ in Ofalia, P. S. Crucis.
Seir, aliàs Saiger-Kiaran, P. S. Kiarani.
In Comitatu Reginæ.
Ardmacart, P. S. Tigernaci.
Cœnobia Benedictinorum, inueni tantum vnum viz.
In Comitatu VVexfordienſi.
Glaſcarig, P. B. Mariæ.
Cœnobia Ciſtercienſia in Diœceſi Dublin. &c.
Iuxta Dublin, M. B. Mariæ Virginis.
In Comitatu Killdarienſi.
Monaſter-Euin, aliàs Roſglas, M. B. Mariæ.
In Comitatu VVicklo.
Baltinglas, M. B. Mariæ.
In Comitatu VVexfordienſis.
Donbrody, aliàs de Portu, M. S. Mariæ.
Tintern, aliàs de voto, M. B. Mariæ.
In Comitatu Kilkennien.
Dousk, al. M. de Valle S. Saluatoris.

Ieri-

Ieripont, al. Geripont, M. B. Mariæ.

In Comitatu Reginæ.

Leix, al. de Lege Dei, M. B. Mariæ.

Cœnobia Ordinum Mendicantiũ in Diœcesi Dublin. &c.

Ordinis Prædicatorum, & Cruciferorum in Diœcesi Dublin.

Iuxta Dublin extra nouam Portam P. S. Ioannis Baptistæ M. Cruciferorum.

Iuxta Dublin F. C. S. Saluatoris M. Dominicanorum.

In Comitatu Kildarien.

Athyæ, ad Baroum flu. M. Dominicanorum.

Iuxta Athyam P. S. Ioan. Baptistæ M. Cruciferorum.

Iuxta Nasam F. C. M. Dominicanorum.

Castle-Dermot P. & H. S. Ioan. Baptistæ Cœnobium Cruciferorum.

In Comitatu VVexfordien.

Rospontis, F. C. Domus Gruciferorum.

In Comitatu Kilkennien.

Kilkenniæ F. C. Conuentus Dominicanorum.

Ross-Ibercan F. C. Conuentus Dominicanorum.

In Comitatu Reginæ.

Aghanoæ in Offoria superiore Cœnobium Dominicanorum.

Conuentus Fratrum Minorum in Diœcesi Dublin. &c.

In Comitatu Dublin.

Iuxta Dublin Cœnobium Fratrum Minorum.

In Comitatu Kildarien.

Kildaræ M. Fratrum Minorum.

Clanæ ad Liffium flu. M. Fratrum Minorum.

Iuxta Pontem de Kilcullen, New-Abbey Fratrum Minorum.

Castle-Dermot, M. Fratrum Minorum.

In Comitatu de VVicklo.

VVicklo, M. Fratrum Minorum.

In Comitatu de VVexford.

VVexfordiæ, Mon. Fratrum Minorum.

Iniſcorfhy, M. Fratrum Minorum.

Roſpontis, M. Fratrum Minorum.

In Comitatu Kilkennien.

Kilkenniæ, M. Fratrum Minorum.

In Comitatu Regis.

Killeighæ, M. Fratrum Minorum.

Monaſter-Feoris, Mon. Fratrum Minorum.

In Comitatu Reginæ.

Stradbally in Leaſia, M. Fratrum Minorum.

Cœnobia Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, in Diœceſi *Dublin.* &c.

In Comitatu Dublin.

Iuxta Dublin, M. Eremitarum S. Auguſtini.

In Comitatu Kildarien.

Naſæ, M. Eremitarum S. Auguſtini.

In Comitatu VVexfordiæ.

Clomin, M. Eremitarum S. Auguſtini.

Roſſæ, Mon. Eremitarum S. Auguſtini.

In Comitatu Kilkennien.

Calanæ, M. Eremitarum S. Auguſtini.

In Comitatu Catherlagh.

Tulli-Felim, Mon. Eremitarum S. Auguſtini.

Cœnobia Ordinis Carmelitarum,

in Diœceſi Dublin. &c.

Iuxta Dublin Cœnobium Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo.

In Comitatu Kildarien.

Kildariæ Cœnobium Ordinis Carmelitarum.

Cloncurry Cœnobium Carmelitarum.

In Comitatu VVexfordien.

Horton paruæ F. C. B. Mariæ.

In

In Comitatu Kilkenn.

Knocktogher, F. C. B. Mariæ.

Comitatus Catherlagh.

Iuxta pontem Leghlin, F. C. B. Mariæ, *alij dicunt, esse Fratrum Minorum.*

Comitatus Regis.

Kilcarmic, F. C. B. Mariæ.

Abbates, & Priores Parlamentarij.

Catalogus Abbatum, & Priorum, qui florente in Hibernia Religione Catholica, loca, & suffragia habuerunt inter Proceres Regni, in Comitijs Parlamentarijs.

Abbates.

Mellifontis.
S. Thomæ iuxta Dublin.
Baltinglassæ.
Ieripontis.
Tricternæ.
Douskæ.
Tractonæ.
Donbrodiæ.
Magij, aliàs Nenai.
VVetheniæ.
Rosglassæ, aliàs S. Euini.
Bectiffæ.
Rathtoæ.

Priores.

S. Ioannis Hierosolymitani iuxta Dublin.
S. Trinitatis Dublin.
S. Petri Villanouæ iuxta Trim.
Cinallæ.
Fe Kenlise in Offoria.
S. Patricij de Duno.
Omniũ Sanctorũ Dublinij.
S. Edmundi Athassell.
Killaghæ.
Beatæ Mariæ Louidiæ, siue Liuthæ.

De Locis militum Melitenſium in Hibernia, ac de Monialibus.

FViſſe in Hibernia quamplura Monialium Cœnobia patet ex ijs quæ ſuperius dicta ſunt de Sancta Brigida, quæ in diuerſis Hiberniæ Locis, ſub cura ſua habuit tredecim millia Monialium, habuere Moniales Benedictinæ, & S. Auguſtini S. Dominici, & S. Franciſci, ſua item Monaſteria, quæ omnia hæreticorum rabie, & auaritia deſtructa fuere.

Cum ex indulto Concilij Viennenſis bona militum Templariorum fuerint adiudicata militibus Melitenſibus, ea Loca in Hibernia, Innocentius III. lib. 3. Epiſtolarum Epiſtola centeſima trigeſima prima data Signię 13. Kal. Auguſti Pontificatus ſui anno decimo quinto, confirmat, & recenſet numero centum ſexaginta circiter loquendo de pagis, Villis, Caſtris, & ſacris ædibus. Videat qui volet eaſdem litteras.

SECTIO VI.

De Catholicorum Hibernorum in fide conſtantia, & in perferendis perſecutionibus immobili tolerantia à tempore ſuſceptæ Religionis huc vſque Præfatiuncula.

VIx vlla natio in fidei cauſa vehementius fuit tentata, acerbius vexata, acrius afflicta, & impetita, quàm Hibernica ab anno 1532. ad annum 1685. quo Sereniſſimus, & Pientiſſimus D. Iacobus Secundus auſpicatiſſimo omine regale conſcendit ſolium à prædicato per S. Patricium Euangelio, Hibernia nuſquam legitur vlla hæreſi infecta, centum quadraginta annis pro fide contra Oſtmannos, & Danos Idololatras ita certauit,

vt nunquam illorum errores admiſerit: Ab anno 1532. quo Henricus Octauus infælici ruina in Sciſma lapſus eſt ad nupera vſque tempora, excepto eo ſpatio quo Regina Maria regnauit; quid non tentauit hæreſis, quos lapides non mouit, quæ ſtratagemata, quæ ſæuitiæ genera non excogitauit, vt Catholicos viros Hiberniæ ab Orthodoxa Fide abduceret? Et quid effecit? Planè nihil; niſi quod tandem fatigata, & nouorum mediorum, quibus veram Religionem ibidem labefactaret, ignara, tandem coacta ſit canere receptui. Quam verò in progreſſu tantæ conſtantiæ ſolliciti fuerint Orthodoxi Hiberni aſpicere ad petram, ex quo exciſi fuerunt, ne velut paruuli fluctuantes circumferrentur omni vento doctrinæ, frequens fuit ſemper illorum ad Apoſtolicam petram recurſus vnde ſit. Hæreticorum conatu inanes.

CAPVT PRIMVM.

Hiberni à primitiuis Eccleſiæ temporibus Romam ſoliti recurrere, Apoſtolicam Sedem conſulturi.

S. Manſuetus Hibernus, cum Eccleſia adhuc penè eſſet in Cunabulis, ſub annum Domini ſexageſimum ſextum Romam appulſus D. Petrum adijt, à quo vt ait Sauſaius, ſalutaribus vndis tinctus, cum veteri homine exuto, gentilitatis vocabulo, *Manſueti*, ab agni, quem præferebat manſuetudine, nomen conſecutus, ad Tullenſem in Lotharingia Ciuitatem facibus Euangelicæ veritatis illuminandum à D. Petro miſſus eſt. De illo fuſius in Annalibus.

Cum S. Patricius anno 432. prædicandi in Hibernia Euangelij facultatem à Cœleſtino Pontifice impetraſſet, S. Patricius bis Romam proficiſcitur.
& Fidem pluribus in partibus diſſeminaſſet circa annum 445. Apoſtolicæ Sedis præſentiam adiuit quinto Sancti

Leo-

Leonis Magni anno eum vtique conſulturus, deque ſuo labore certiorem facturus; Roma rediens, obuiat Sancto Kierano de Sagir, & alijs quinque Clericis, ex Euangelij per ipſum ſparſo ſemine progenitis, ad prædictam vrbem ſtudiorum cauſa profectis.

Alij idem exemplum ſecuti S. Kieranus.

Rurſus idem Sanctus anno 455. circiter, Sancti Leonis Magni decimoquinto, Romam Angelico iuſſo adit, reliquiaſquè, & Ardmachanæ Metropolis à ſe conſtitutæ confirmationem refert. Ita ex Scriptoribus vitæ Henſchenius: hinc corrigendi ſunt qui memoratum iam Kieranum aiunt anno 382. Romam ſe contuliſſe, cum dubitari poſſit, imo & verius credi quod nondum fuerit natus quod alibi ventilabimus.

Albeus.

Eodem profectus eſt S. Albeus non ante Patricium, ſed poſt exemplum ab ipſo datum, recurrendi ſcilicet Romam matrem, & Magiſtram omnium Eccleſiarum, idque tempore Hilarij Papæ.

Declanus. Ibarus.

Idem exemplum ſecuti ſunt alij Hiberni, primis Hibernicæ Eccleſiæ temporibus, *S. Declanus* à Romano Pontifice benignè exceptus, *S. Sezinus*; Sacrarum litterarum ſtudijs ibidem imbutus, Sanctus Ibarus Comite Sancti Albano, qui tribus vicibus in peregrinatione pro Chriſti nomine Romam perrexit, vt habent acta eius vitæ.

Illuc item conceſſere Gudæus, & Scothinus, S. Dauidis Meneuenſis Diſcipulus S. Mocteus, qui Romæ Diuinis incubuit ſtudijs, Deo, & hominibus gratioſus. S. Nomedius Epiſcopus SS. Apoſtolorum limina viſitaturus; in magna Ciborum, & maxima vitiorum continentia vitam ducens peregrinam.

Barræus.

S. Barræus Epiſcopus duodecim Comitatus ſocijs, inter quos fuere S. Eulogius, & S. Maedocus Fernenſis, peregrinatur in Britanniam; & inde cum S. Dauide Meneuenſi, eorum ſe ſocietati iungente, Romam ad limina Apoſtolorum viſenda profecti ſunt.

Daganus.

Sub Pontificatu S. Gregorij Magni S. Daganus Abbas

bas postea Episcopus Romam petijt, vt obtineret confirmationem Regulæ à S. Molua compositæ, ad eundem Pontificem bis prouocauit Clerus Hiberniæ pro certis dubijs elucidandis.

„ Tempore Honorij Primi *S. Lasreanus*, vt habent „ eius acta, cum Sanctis quinquaginta Viris Romam „ concessit, & Summus Pontifex eum Præsulem ordi- „ nauit, & consecrauit, & reuertenti legationis in Hi- „ bernia officium commisit, nimirum dum controuersia „ de Paschate, in Concilio Lethniuensi disceptaretur, „ nec facilè decideretur; *Visum est*, ait *Cumineus* Senio- „ ribus nostris iuxta mandatum, vt diuersitas oborta „ fuerit super causam, & causam vtsi causę fuerint maio- „ res, ad caput Vrbium sint referendæ, Misimus quos „ nouimus sapientes, & humiles esse prosperum iter in „ voluntate Dei habentes, & ad Romam Vrbem aliqui „ ex eis venientes, tertio anno ad nos vsque peruene- „ runt: si recentiorum temporũ recursus enumeremus, „ frequentes erant Ecclesię Hibernicę ad Apostolicã Se- „ dẽ ex regestis InnocentijIII. Honorij III.Gregorij IX. „ Innocentij IV. Alexandri IV. Et quod dignum est notatu, durante illo Scismate incepto sub Vrbano VI. & exstincto sub Martino V. dum nonnullę alię nationes in diuersus traherentur partes: Hiberni toto illo tempore semper adhæserunt illi Pontifici, quem Roma coluit; hinc habentur quamplures litteræ, & decisiones pro Hibernia expeditę in Regestis Bonifacij IX. Gregorij XII. Alexandri V. Ioannis XXIII. quas omnes penè legi.

Lasreanus.

Apostolicæ Sedis Legatus.

Arctam Hiberniæ cum Romana Sede correspondentiam testantur frequentes Legati à Latere à Summo Pontifice destinati, ex quibus paucos enumero ab Eugenio III. Christianus Episcopus Lismorensis, S. Malachias Armacanus, Ioannes Paparo Cardinalis: ab Innocentio III. Archiepiscopus Cassellensis, à Gregorio IX. Cardinalis S. Stephani in Monte Cœlio, ab Alexan-

Legati à Latere in Hibernia.

dro IV. Odo tit. 5. Ncolai in Carcere Cardinalis, item Archiepiſcopus Dub l nenſis, de quibus huiuſmodi pro Hibernia deſignatis fuſior alibi erit mentio.

CAPVT II.

Perſecut ionum in Hibernia Origo, & Cauſa.

Lutherus qualis.

MArtinus Lutherus excucullatus, & Fædifragus Monacus vomica Clauſtri, cum Moniali Deo ſacrata Sacrilego Connubio iunctus, ex parua ſcintilla magnum in Germania, & alijs Europæ partibus excitauit incendium, redacta in peruerſæ Doctrinæ ſuæ Cloacam, præmortuarum hæreſum colluuie, quo autem Duce, & Monitore iſtam tragædiam inceperit, perfeceritque, declarat ipſe tomo 7, VVitenberg: & in lib. de Miſſa priuata, & Vnctione Sacerdotum, & tomo 6. Ienenſi nempè *Dæmonem ſibi apparuiſſe, cum eo argumentatum fuiſſe, eiuſquè argumentis conuictum ſe renunciaſſe Miſſæ*; Rurſus in Colloquio Iſlebienſi fatetur, *ſæpius ſe oppreſſum à Satana*, & alibi ait *frequentius Dæmonem cum illo condormiſſe, quam ſuam Catharinam*. Diaboli ergo diſcipulus fuit Lutherus, ſi ipſi Luthero adhibenda fides, quod factum quia negare non potuit, defendit *Ioannes Regius*, vnus ex reformato Grege in lib. Apologet. pag. 123. *Hoſpinianus*, in Tabula Alphabet. verbo *Colloquium Fridericus Balduinus*, apud Nicolaum Serrarium: adeo verum eſt nullam inſaniam, nullam fatuitatem reperiri ſine patrono. Doctrina igitur *Lutheri* verbo Diaboli nititur; quotquot itaque Lutherum pro Magiſtro agnoſcunt, Diabolum Prothomagiſtrum agnoſcant, neceſſe eſt.

Cuius diſcipulus.

Anglicanæ reformationis pater, & auus.

Vitakerus autem nomine reformationis Anglicanæ ad Octauam *Edmundi Campiani* rationem pag. 155. *Lutherum*, inquit, *libenter vt Patrem veneramur, & Lutheranos vt fratres in Chriſto cariſſimos amplectimur*. Si ergo affirmante Vitakero, Lutherus eſt reformationis Angli-

glicanæ Pater, certè fatente Luthero ipſo vt vidimus, eiuſdem reformationis Auus erit Diabolus, nam iuxta Philoſophos quidquid eſt Cauſa Cauſæ, eſt cauſa cauſati, Doctrinæ autem à Luthero hauſtæ, cauſa & pater fuit diabolus, vt non veretur agnoſcere *Lutherus* ipſe, Doctrinæ reformationis Anglicanæ *Lutherum Patrem* nomine prædictæ reformationis veneratur *Vitakerus*, quare ſi quidquid eſt Cauſa Cauſæ, ſit cauſa cauſati, ſanè ſi conſequenrer loquitur *Vitakerus*, Diabolum iſtius ſuæ reformationis Auum agnoſcet. O egregios Parentes prætenſæ reformationis.

Hic eſt Lutherus ille, quem Pouuellus vocat *Ter Sanctum*, Iuuellus Pſeudo-Epiſcopus, *à Deo Miſſum ad illuminandum Orbem*, Foxius, *alterum Eliam*; Maſculus *maximum poſt Apoſtolos*, Spanbergius, *proximo poſt Chriſtum, & Paulum loco collocandum*. Vnde Luthero ſic à ſuis blaſpheme canitur:

Chriſtus habet primas, habeas tibi Paule ſecundas,
At loca poſt illos proxima Luther habet.

Hæc ſunt Elogia, quibus prætenſi reformati celebrant, hunc Diaboli diſcipulum, ſed rectius è contra occinitur in linea mali:

Cain habet primas, habet Iſcariota ſecundas,
At loca poſt illos proxima Luther habet.

Sed pergamus ſcaturiginem proſequi, ex hoc auernali diſcipulo, fundi Britannici deriuata calamitas, in Hibernia perſecutionum ſuſcitata tempeſtas, in multis Regionibus exortæ, & graſſatæ hæreſes, venenata peſtiferæ Doctrinæ toxica circumiacentium Inſulæ noſtræ nationum infuſa pectoribus, homines hoc æſtro perciti, tanquam vel inſana frænefi, vel mortifera lethargia correpti, neſcire cæperunt quid teneant, quid credant, vſque adeo vt in illis locum habuerit, hodiequè habeat illa Vincentij Lirinenſis tradita in ſuo Commonitorio cap. 25. genij hæretici exacta deſcriptio:

Hæretici genij qualitas.

Et perire metuant, & redire erubescant, Saucij, Semineces, sermi viui, quippe qui tantam veneni hauserint quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur, nec mori cogat, nec viuere sinat. Heu miseranda conditio! quantum illi curarum æstibus? Quantis turbinibus exagitantur! Nunc etenim quæ ventus impulerit incitati errore rapiuntur. Nunc in semetipsos reuersi, tanquam contrarij fluctus reliduntur. Nunc temeraria præsumptione, ea, quæ incerta videntur, approbant. Nunc irrationabili metu etiam quæ certa sunt expauescunt: incerti quo eant, qua redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Hæc Lirinensis; cui breuibus verbis consonat S. Hieronymus, *omnis quippe homo*, inquit, *sine vera fide pecus est*.

In quos etiam quadrat illid 2. Petri 2. *Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt . . . Fontes sine aqua, nebulæ turbinibus agitatæ.* Mores autem hominum tali peste infectorum explanat Apostolus 2. ad Tim. 3. *erunt homines seipsos amantes cupidi, elati, superbi blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, Criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores, magis quam Dei.* Hæc ille, Lutherano veneno autem infectos, ita se gerere experta est Anglia, Hibernia, Scotia.

Expertæ sunt aliæ florentissimæ nationes, quæ hæretica infectæ lue in peruersos mores, in furias præcipites agebantur.

Henricus Octauus.

Sed quomodo Virus hoc penetrauit in vicinam nobis Angliam libet edicere: Henricus VIII. prioribus Regni sui annis rerum, & ciuilium, & bellicarum gloria conspicuus, vir animi satis magni, sed in fædam corporis libidinem effusissimus, malesuadis Consilijs abductus agitare cœpit, quomodo Vxori Catherinæ lectissimæ fœminæ, legitimæ Coniugi Nuntium remitteret, vt Annæ Bolenæ infamia natalium detestabilis, frueretur

Impium Consilium.

am-

amplexibus, dum monſtrum hoc deperiret Henricus cæco libidinis furore raptus; efferbuit in Anglia *Lutheri* fax, eaque clam ad aliquot Principis, ſui non amplius compotis, familiares perreptauit: hi toxico hæreſis correpti, cum Principis conſtantiam expugnari deſperarent, vaferrime impij, inierunt conſilium plenum ſceleris, & aſtutiæ, quo vel Regem nouas nuptias anhelantem, cum Pontifice committerent, niſi prius Coniugium declararet inualidum, vel ſi Pontifex ad Regis voluntatem ſe componeret, Regem ipſum à Cæſaris amicitia, & honeſtiſſimæ mulieris conſuetudine diuellerent, aliamque ſubſtituerent corruptelarum illecebris irretitam, per quam facilius in Principis animum ſeſe inſinuarent, arte nimirum nouatoribus familiari, diſſidiorum ignem accendere, & vnionis vinculum, quo Orthodoxi Principes inter ſe, & Apoſtolicæ Sedi colligantur diſcindere, vt liberius graſſetur impietas, ſucceſſit ad votum perfidorum conſilium malum, nam Henricus offenſione, & ſtomacho ſic exarſit, vt & Sedis Apoſtolicæ dignitatem peſſumdaret, & ficta legis calumnia, ab vxore legitima diuortium faceret, ſic hauſto nouitatis veneno, Saucius, Semiuiuus Henricus debachatur, in quo illud odioſum occurrit, quod homo ficte pudicus, & ſimulatè innocens conſcientiæ, vt cauſabatur punctus aculeis, veteris matrimonij valorem in quæſtionem vocauit, qui ſi quid vnquam penſi ſas, aut nefas habuiſſet, nunquam tot poſtea vxores protriuiſſet fæculentas virgines conſtupraſſet thorum Coniugalem etiam Thomæ Boleni violaſſet, Eccleſiæ lumina perculiſſet, venerandas Sacrarum perſonarum ædes, prædia, theſauros, innumerabiles opes vno propemodum hauſtu vorauiſſet, perſtrepit internus conceptæ vertiginis furor, violantur diuina matrimonij iura, adſciſcitur in Regium thalamum adulterino Coniugio, vt Henricus ipſe poſtmodum declarauit, Anna Bolena, infernalis illa Balena tot animarum ruina, proceditur contra Eccleſiam, Antiſtitum pars maior vincit melio-

liorem, veritique Principis tyrannidem ſuccumbunt turpiter, ſe lapſos fatentur, qui partem Regis libidini aduerſam auerſati, primatum Anglicanæ Eccleſiæ, ſacrilego Sciſmate in Principem deriuant. In his miſerijs quibus Anglia propemodum exâruit, hæretici ſuorum temporum vices aucupabantur, adeout fato iam imminente, quaſſata reſpublica ſparſos vbique veræ Religionis hoſtes parum animosè potuerit expiſcari, tandem ignis è Cineribus, quibus tegebatur in apertum erumpens incendium Angliam peruaſit; hinc nobis prima mali labes, vnde ſit.

CAP. III.

Prima ſub Henrico Octauo in Hibernia mota perſecutio.

S. Patricius anno ſalutis 432. Hiberniam ingreſſus Chriſtianam Catholicamque Religionem prædicare, & propagare cœpit. Henricus Octauus anno 1532. eam penitus extirpare molitus eſt perfractis, & violatis conditionibus Iuribus, & Legibus, quæ Adrianus Quartus præſcripſit Henrico Secundo reformandæ diſciplinæ prætextu, intraturo, & ſunt ſequentia:

Vt

Bullæ Adrianę conditionis.

1 Eccleſiæ limites dilatentur.
2 Vitiorum decurſus reſtringatur.
3 Mores corrigantur.
4 Chriſtiana Religio augeatur.
5 Dei Cultus, & honor, & ſalus animarum ſit maximæ Curæ.
6 Iura Eccleſiaſtica integra ſeruentur.
7 Annua penſio denarij vnius à ſingulis Regni domibus B. Petro ſoluenda non tollantur.

Sed

Sed en tibi peruerſum, & inuerſum ſupradictarum conditionum ordinem, ſchiſmatici enim, & hæretici Miniſtri in his turbinibus.

1 Eccleſiæ Sacroſanctæ fines non modo non amplificarunt ſed longè anguſtius contraxerunt. Conditionum violatio.
2 Vitia in gurgitem vaſtum auxerunt.
3 Mores deprauarunt, & corruperunt.
4 Chriſtianam Religionem deſtruxerunt.
5 Dei Cultum, & honorem, & animarum ſalutem non ſolum neglexerunt ſed oppugnant.
6 Eccleſiaſtica Iura diminuerunt, & expilarunt.
7 Penſionem D. Petri de medio ſuſtulerunt.
8 Fidem Catholicam funditus delere ſunt conati.
9 Sacra, profanaque miſcuerunt.
10 In ſuperos impias manus iniecerunt.

Nullam certam religionem, nullam firmam fidem,
Pro Deo ventrem, voluptatem, libidinem colunt.

Henricus igitur præfato anno 1532. cæco furore percitus, ab Eccleſia Catholica deſciuit, exorſus Sacroſanctam CHRISTI IESV Religionem, & Orthodoxam Fidem in Anglia delere, Catholicos Sedibus expellere, perdere, interficere, noua dogmata admittere, & amplecti. Anno 1534. iubet ſe Ecclſiæ Caput, & Principem intra ſuos fines coli, & ſubiectos homines notioris nominis cogi, vt Principatum ipſius Eccleſiaſticum iureiurando confirment (quemadmodum clientes ſolent Principum ſuorum dominium temporale præſtito iuramento fateri) atque renuentes aſſenſum præbere Epiſcopum Roſenſem, Thomam Morum Carthuſianos Religioſos, & alios ſummo ſupplicio affici, alijs Anglis, vel aſſentientibus, vel ſegnitèr renitentibus, vt capite præcedenti notatum eſt, vel fugientibus: in Anglia Catholicę Fidei ſplendor extinguitur.

Quia vero ante id tempus in Hiberniam non aliud Ius habuit quam Domini, ſibi Ius nouum comparare, ſeſe- Henricus VIII. curat ſe Hibernię Regem ſalutari.

ſeſeque Hiberniȩ Regem facere conatur quod vbi obtinuiſſe ſe credidit, Ius etiam Eccleſiarum eiuſdem Regni in ſe transferre voluit, cui rei cum Hiberni obſtitiſſent, ſaltē vt Sedi Apoſtolicæ Ius illud adimeretur laborauit; Itaque Proceribus Hibernis imperauit vt ſuȩ quiſque ditionis Eccleſias obtinerent, Eccleſiaſticis expulſis, Proceres pauciſſimis exceptis, & vt Suilliuanus qui iſta refert, teſtatur fortaſſis vno vel altero, Eccleſias, & Eccleſiaſticos in priſtino ſtatu conſeruare ſtuduerunt, vt vix vllum tunc inueniſſe licuerit Hibernorum optimatum redditibus Eccleſiaſticis abuſum.

Nihilominus quaſi non iam ſeculare Imperium, ſed etiam Eccleſiaſticum, & Sacrum Ius acquiſiuiſſet, *Henricus*, & in Hibernia Eccleſiæ Caput atque Princeps foret per Iberniam quoque totam non alitèr quàm per Angliam voluit Eccleſiaſticas Immunitates frangere, Sacerdotes de medio tollere Religionem Chriſtianam prorſus extinguere, ſacra profanaquè miſcere, à qua mente non abhorruit filius eius Eduardus cuius Tutorum, & hæretici Concilij inſanum Conſilium, cuncta ſancta, & ſacra euertebat.

Regiæ authoritatis abuſus.

Quum ſacra omnia ſuſque deque miſceret Henricus Diuis Cœlo receptis bellum indixit. S. Thomam Cantuarienſem à tot iam centenis annis defunctum, tanquam læſæ Maieſtatis reum ad ſuum Tribunal citauit nomen, è Kalendario, & Eccleſijs iuſſit expungi, en tibi ſchiſmaticæ vertiginis frænеſim: ſed ecce etiam quorumdam Catholicorum Oppidanorum Conſilium, nam in Prouincia Lageniæ Comitatu Midenſi Orientali in Oppido *Rathoè* Eccleſia Parochialis dedicata erat prædicto Sancto, conuenere pij Incolæ deliberaturi quid caperent Conſilij deleto iam per edictum Regium, è Sacris Dypticis Sancto Patrono, quem alium colendum deligerent, diuerſi diuerſa ſuggeſſerunt, alij hunc, alij iſtum Diuum alij B. Virginem, cum vnus è Congregatione ſubiecit; Profectò qui auſus eſt ſanctum noſtrum expungere

RathoèOppidanorum pium Conſilium.

gere Patronum, timendum ne idem attentet de reliquis ſanctis, alter tandem ſuum votum in medium produxit; Eligendam nempè pro Titulari Eccleſiæ Sanctiſſimam Trinitatem, in quam vti ſperare licebat tantam impietatem non auderet Rex attentare. Placuit conſilium, omnes acquieuerunt, & ita huc vſque obſeruatum.

CAP. IV.

Perſecutiones in Hibernia motæ ſub Regina Eliſabetha.

HAc ineunte perſecutione, iſta ab hæreticis committuntur ſcelera (referente Suilliuano) Chriſtus Redemptor in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento præſens ex Eccleſijs, & vulgi conſpectu depellitur. Mox Sacræ Imagines dilacerantur, in Sacerdotes tyrannidis exempla eduntur; In omne genus Catholicorum ſęuitur, Templa equorum ſtabula, vel profana Palatia habentur Eccleſiaſtica vectigalia ſceleratiſſimis hæreticis adiudicantur. Res omnes Cultui Diuino nuncupatæ vertuntur in profanos vſus, ſacerdotibus Lutherani, & Caluiniſtæ, & id genus ſexcentæ hæreticorum Sectæ ſuccedunt. Fides, Religio, pietas opprimitur, voluptas, libido, ſcelus, hæreſis extollitur, quorum ſcelerum nutrix, & Tutrix Eliſabetha merito fuit à Pio Quinto Puntifice Maximo hæretica pronunciata anno 1569. quinto Kalendas Martij (vt placet Michaeli ab Iſſelto) & ei Regnum adimendi poteſtas alijs facta. Hinc à multis Hibernis capiuntur arma pro Religionis Iure: omnia ferro. & flamma deuaſtantur, & corrumpuntur. Quibus procellis atque fluctibus, quot Hiberni propter Chriſti Legem perierint, ſuperi norunt. Nam in bello neque pueris, neque fœminis hoſtilis ira interdum parcebat, & in pace in ſacerdotes, & res ſacras violentæ manus impiè

inijciebantur. Hominum sæcularium numerosa multitudine relicta, referam Præsules aliquot, & Sacerdotes Hibernos, qui pro Lege sui Redemptoris obseruanda spiritum effundere non recusarunt in eorum fastis hic collocantur.

Ioannes Trauersius Sacræ Theologiæ Doctor crudeli morte affectus,

Plures pro fide mortui.

Richardus Creuæus, vel Omelcrebhus, Armachæ Archiepiscopus, Iberniæ Primas, in carcere, & vinculis mortuus.

Patricius Oelius Mohoyæ Episcopus Franciscanus Religiosus laqueo strangulatus.

Connatius Orruarkus Sacerdos Religiosus Franciscanus laqueo suspensus.

Dermitius Ohurlius Archiepiscopus Cassiliæ, post ingentes cruciatus patibulo suspensus.

Gelatius Oculennanus Ordinis Diui Bernardi Bulliæ Abbas suspensus, & sectus.

Huon Omelkeranus Sacerdos eodem supplicio affectus.

Edmundus Macgabharanus Hiberniæ Primas Archiepiscopus Ardmachæ, ab hæreticis equitibus hastis traiectus.

Raymundus Ogallachur Derij vel Lucij Episcopus, ab Anglis bipennibus confossus, & capite truncatus annum circiter octogesimum agens.

Pater Iohannes Omagaunis, aliàs Cornelius Sacerdos è Sacra Religione Societatis IESV, in Kenalmeca populo Hiberniæ, natus nobilibus parentibus ex illustri Familia Omagaunorum, qui Iuuenis in Angliam cum parentibus proficiscitur, indeque Romam, Religionemque professus, & Sacris Ordinibus initiatus, in Angliam reuersus propter Fidem Catholicam suspensus secatur anno 1594. vnde multis Anglus fuisse falso creditur.

Eugenius Makeloganus Sacerdos Doctor Theologus

gus Episcopus Rossæ designatus, multis gladiorum ictibus dilaceratus.

Dermitius Maccarra Presbyter suspensus, & sectus.

Dominicus Ocalanus Religiosus Laicus è Societate IESV simili supplicio affectus.

Bernardus Macmorirtus morte affectus.

Donatus Macriedius tractus equi cauda suspensus, & sectus.

Cornelius Odubena Duni, & Conoriæ Episcopus suspensus, & sectus.

Patricius Oluchranus Sacerdos eadem morte peremptus.

Ludouisius Olabertaghus Sacerdos interfectus.

Conatius Olkienanus Sacerdos occisus.

Ioannes Makonnanus Sacerdos laqueo suspensus.

Bernardus Ocarullanus Sacerdos auribus amputatus, & strangulatus.

Daniel Ohareanus Sacerdos in carcere, & vinculis mortuus.

Patricius Oderius Sacerdos suspensus, & scissus.

Oderius Sacerdos strangulatus, & sectus.

Donatus Oluinus Dominicanus Prior nonagesimum annum agens, suspensus, & sectus.

Thomas Giraldinus Franciscanus Religiosus Concionator clarissimus, diu carcere vinculisque retentus, & tandem mortuus.

Ex plurimorum numero hos ego in præsentia memoria teneo, de quorum aliquibus suis locis fusius agam nunc quibus Iudicijs, atque Ministris in Hibernorum perniciem hæretici vtantur, Dicamus.

CAPVT V.

Quibus Iudicijs, & Miniſtris vtantur Hæretici in Hibernia in Catholicorum excidium ex Suilliuano.

CRebrò celebrantur ab Hæreticis in Hibernia Conuentus, vel Concilia, quæ ipſi vocant Seſſiones; harum duo genera ſunt, Alteræ, quæ generales nuncupantur, bis in anno in Vrbibus maioribus, nobilioribuſquè coguntur; quia verò in his, nec de rebus omnibus, nec de ſingulis perſonis Iudicium reddi poteſt, alteræ trimeſtres nominatæ quater omnibus annis in ſingulis totius Regni Tribubus, quæ ab Hæreticis Comitatus vocantur, habentur. O quam ſquallidam tunc, & lugubrem rerum faciem conſpicere? de viris ampliſſimis, de conſtantiſſimis quibuſquè Catholicis præter omne humanitatis exemplum contra cunctas ſacratiſſimarum legum ſanctiones agitur, ea præcipuè cauſa, quod nolint, deſerta Catholica Religione dogmatibus Hæreticorum ſubſcribere.

Frequens eſt etiam Hæreticis in his ſeſſionibus quoddam Iudicij genus (quod ipſi quæſtionem vocant) idquè hunc in modum vſurpatur. Quæritur, ſitne Philippus v. g. homicidij, furti, vel lęſæ maieſtatis reus; hęc cauſa viris dirimenda duodecim committitur, qui legibus Hæreticorum debeant eſſe municipes, vel Ciues viginti libras ſaltem argenti, vectigales habentes, ne diſpari conditione cum reo, nec in Nobilium caput animaduertant. Illis poteſtas pronunciandi deliberatiuè tantum ſit ne Philippus præpoſiti criminis reus, demandatur, facultas autem ferendæ iudicialiter ſententiæ hæretico Iudici reſeruatur. Cuius iudicij forma hodiè ab Hæreti-

cis

cis saltem in Hibernia corrúpta est, namquè tàm viris duodecim, quám Iudicibus discutiendi, & examinandi litem, veriq; indagandi negatur facultas, cùm reus (de Hiberno loquor) nec Testes producere, nec patrocinio Causidici, vel Iurisperiti adiuuari, nec ope Procuratoris vti possit, & actore tantùm accusante, vel vno Teste etiam inimico, vel corrupto, & infami sit Hæreticorum more damnandus.

Præterea duodecim viri in Conclaui clausi non prius dimittuntur, aut cibum siue potum capere possunt, quàm inter omnes conueniat, nisi cū Hæreticis indulgetur, cum quibus minimè conuenit Hibernis, quando simul miscentur, Causa Catholici de capite, vel fortunis periclitantis iudicaturi; tunc enim Conuentu dimisso Catholici mulctantur, nec tunc tantùm, sed etiam creberrimè, cùm reum præter hæretici Iudicis voluntatem communi calculo absoluunt.

Huic iudicio Catholici cùm subijciuntur callidus Hæreticus talibus verbis interrogationem concipit, vt vix dolum effugere possint. Philippus v.g. cùm nolit iuris iurandi Religione confirmare penès Hæreticorum Regem, esse summum in Ecclesia Christi imperium intra fines Regnorum, quæ possidet, interrogantur duodecim viri vtrum edicti Regis sit reus, cùm Rex edixerit, vt omnes Sacramento rogentur, se maximum ecclesiasticum Imperium obtinere, & Philippus hoc iuramentum præstare negauerit? Cęterum quis somniauerit crimen commisisse, quod sit tàm nefarij edictj reus. Quis enim est, aut laude, pręmioquè dignior, aut supplicio indignior, quàm is, qui tàm strenuum, atque constantem Christianum se gerit, vt nullo pretio, nullo cruciatu, nulla vi ducatur, vt tantùm in Deum scelus admittat.

Quid enim (per Deum immortalem rogo) potuit absurdius, & stultius mente cogitari, quàm hæreticum esse Ecclesiæ caput, cùm nec Ecclesiæ manus, nec pes, nec aliud membrum est ab eius gremio, & societate, fi-

de-

deliumquè albo hæreſi, & anathemate remotus ? at ſi ita reſponderent viri duodecim reum fuiſſe,edictum quidem tranſgreſſum , non tamen eo caſu crimen commiſiſſe , quod edicto non teneretur , hæc ſola violati edicti confeſſio ſufficeret , vt hæreticus Iudex libidine ſua in reum baccharetur, quam iniquitatem duodecim viri declinare cupientes non ad interrogati formam ſoliti ſunt præbere reſponſum, ſed aut amphibologicis, & dubijs, aut generalibus verbis reum proferunt eſſe nec pęna dignum , nec criminis conſcium,quamuis ſciant eſſe ſe vel ad graues pœnas mulctis redigendos,vel in exilium mittendos, nec tamen Catholicum à ſe abſolutum deinceps in Regno per Hæreticos tuto, & liberè futurum .

Verùm ne vllo modo liberetur Reus iam ea corruptela inualet contra ipſorum etiam Hæreticorum leges , & huius actus naturam vt duodecim viri eligantur, Hæretici ſiuè Scoti alienigenæ,ſiuè omnes, ſiuè plures quàm Hiberni aut certe tot, atque illi quamuis ſint conditione longè inferiores reo , obſcuriſſimi , & abiectiſſimi interdum, vel metu territi, vel pecunia corrupti, nec municipali iure frui debeant , neque viginti libras argenti habeant vectigalis .

Quod ſi reus renuat hoc iudicium ſubire , id culpæ ſat ſupereſſe reputatur , vt vita priuetur , impoſito grauiſſimo pondere , ſeu patibulo , vel alio ſupplicio . Nihilominus quia Fiſco bona eorũ, qui duodecim virorum iudicio damnantur addicuntur quamplurimi eorũ ęquitati diffiſi eligunt potiùs conſtanter Regij Iudicis ſententiæ periculum facere , & eius iudicio ſpiritum effundere , bona ſuis relinquendo , quàm ſe fortunaſque ſuas ſimul iniquiſſimorum hominum arbitrio periclitari , & id ſæpius factitant, cùm non propter delictum, ſed ob poſſeſſiones ſibi adimendas cognoſcunt in ſe animaduerti . Ita ne inter Hæreticos iudicium hoc exerceatur non diſputo , at in Hibernia in Catholicos ita vſurpari , poſſum tutiſſima conſcientia confirmare . De eo nos hæc

fu-

fusiùs nostra breuitate diximus, vt quod in omnibus sessionibus, & contra plerosquè Catholicos reos vsitatissimum est, euiusquè sæpè mentionem facere necesse erit semel exactè explicatum ad vnguem percipiatur.

Iam de iustitiæ Ministris, qui ad Catholicos vexandos sunt constituti, videamus. Præter Proregem, Regios Assessores, vel Consiliarios Momoniarum, reliquarumquè Prouinciarum Præfectos: præter Ordinarios Iudices, qui in Oppidis principalioribus iudicijs præsunt, præter Regios Fiscos Iudices, quos vocant Pacis, & alios non paucos in singulis Tribubus, vel Comitatibus sunt duo Iudices, quorum alter Shiriffus, alter Subshiriffus nuncupatur: Ille maior, hic minor est, Shiriffi quoque Iudices alios, quos appellant Balios in omnibus Tribuum populis delegatos habent, ac etiam Insulam totam lustrant quater in anno Iudices alij dicti Commissarij, quibus potestas cognoscendi de rebus omnibus committitur. Quid memorem plures? hi, & alij omnes audacia furentes, scelus anhelantes pestem Reipublicæ nefarie molientes, eo neruos omnes, & cogitationes intendunt, vt Sacerdotes fugent, capiant, occidant, & Catholicos omni vi, iniuria planè labefaciant; quod vt faciliùs consequantur, longa semper in suo Comitatu, & amicitia sceleratissimorum hominum sentina nihil mali, vel sceleris fingi, aut excogitari potest, quod non in Catholicos concipiat.

CAPVT VI.

Hiberniæ perturbationis relatio ex eodem.

MAriæ Catholicæ Reginæ citò fato functæ, successit soror Elisabetha Henrici Octaui, & Annæ Bolenæ filia Regina creata Redemptoris anno 1559. quæ vbi primum Sceptro potita est, Patrem imitata rapidissimis ven-

ventis contra Chriſtianæ veritatis Cultores æquora fera concitauit. In Anglia Fidem, Religionemquè Catholicam penè deſtruxit, indè ad Hibernos fide deijciendos ſeſe conuertit.

Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo Chriſtus Dominus verè, & realiter exiſtit, à Templis, vulgiquè conſpectu ejicitur; Imagines ſacræ ſcinduntur, Sacerdotes fugantur, omne genus Catholicorum iniurijs afficitur. Eccleſiæ, vel prophanis vſibus, vel execrandis Hæreticorum ſuperſtitionibus contaminantur Eccleſiaſtici Cenſus Hæreticis ſordidiſſimis attribuuntur omnes res Dei honori conſtitutæ inquinantur. Catholici Antiſtites, Religioſi, Sacerdotes vix vel abſconditi, vel ſęcularium hominum veſtibus diſſimulati incedere audent, in eorum locum Lutherani, Caluiniſtæ, & aliæ Hæreticorum Sectæ ſufficiuntur, Fidei, Religioni, pietati, virtuti nuncius remittitur, voluptas, libido, ſcelus hæreſis hoſpitio excipitur. Imperatur, vt Regina Eccleſiæ ſuorum Regnorum Caput, & Princeps eſſe ab omnibus concedatur, & iureiurando confirmetur; hæc iuſſa per Regios Miniſtros, & Præfectos cęperunt executioni mandari, primum in Regijs Oppidis, Oppidanorum ſumma colluctatione, & conſtantia, indè in Hibernorum Principum ditiones transferri, quibus quod Principes minimè ſubſcribere voluerunt, variæ artes excogitantur, quibus bonis ſpolientur, gradu deijciantur, morte plectantur, hinc capitur ferrum. Regnum bello, cæde, fame flagrat, vritur, perit. Dum aliqui Hiberni pro Religionis Catholicæ, ſuaquè libertate gerunt arma, interim cęteris Magnatibus, & Regijs Oppidis perſecutionis vacatio datur, dum libertatis aſſertores conficiuntur. Horum ſcelerum Princeps Eliſabetha Regina non immeritò excommunicationis mucrone percuſſa à Pio Quinto Pontifice Maximo. Digniores memoratu res, quæ per illos annos vigintinouem Eliſabetha regnante geſtæ ſunt, & ſi non omnes tamen maxima parte perſtringemus.

Pa-

Paratis motibus Tyrannis ſemper creſcebat Franciſcus Coſpius Liſiæ Præfectus, & eius filius Alexander in omne genus Catholicorũ Immani furore bacchantur. Iudex Prouincialis ad Maiſum Caſtrum cauſa Conuentuum habendorum, dequè rerum adminiſtratione agendi conuocat: Conuocatos cohortibus armatis improuiſo circumuenit, & ex Omorræ Familia centum octoginta viros inopinantes, & nihil aduerſi timentes vno temporis momento iugulat. Sradbaliæ plerumque commorabatur. Vbi præ foribus domus eius arbor altitudine magna creuerat, patulis ramis diffuſa, ex ea non modo viros, ſed etiam fœminas, atque pueros ſolitus erat vlla ſine culpa ſuſpendere, cum ex arbore fęminæ laqueo ſtrangulatæ, dimittebantur, & ſimul ex fęminarum longo crine infantes liberi pendebant animo capiebat incredibilem voluptatem, arborem Catholicorum hominum ſuſpenſis cadaueribus vacuam, ita ſolitus alloqui fertur. Magna mihi videris, arbor mea, affecta triſtitia, nec mirum diù iam agis orba. Ego te cito mærore leuato tuos ramos breui corporibus ornabo.

CAPVT VII.

Perſecutio vehemens Hæreticorum contra Fidem mota deſcribitur.

ITa cùm Hibernia miſerè fuiſſet profligata Nobilium diſcordijs, & inter ſe, & cum Regia Corona, Eccleſiaſticorumquè cruore per Hæreticos diffuſo, nobileſquè quod erant diſſenſionibus defeſſi, & opibus iam inualidiores, multiquè obſides eſſent apud Hæreticos, pro Catholica Religione vnitis animis viderētur arma ſumpturi: incepit tamen contra Chriſti Fidem perſecutio, & Tyrannis Eliſabethæ Reginæ iuſſu, vt omnes omninò Ca-

tholicam Fidem desererent, Sacerdotes reijcerent, à Ministris hæreticis præcepta, doctrinamquè caperent, Reginæ Sectam amplecterentur, atque sermonibus audiendis diebus festis in Templis interessent, & ad id terrore, metu, pęna, vi cogerentur; Quæ dira Catholicæ Fidei oppugnatio, eo grauior, & periculosior erat, quo iam tunc erant Hiberni magis, quàm vnquam post Fidem acceptam, rudes Theologiæ, Philosophiæ, & Iurisimperiti perinde ad disputandum, Populumquè conseruandum in vera Christi Iesu Religione imparati, quia præteritis dissidijs, rerum perturbatione, Hæreticorum barbaro furore Gymnasia corruerunt, vixquè vllus munere docendi grauiores litteras publicè fungebatur; Religiosorum sacri Conuentus erant parte maiore dissipati, & subuersi, Sacerdotes ad infantes aqua sacra ablučdos in multis locis non facile reperiebantur. In locis compluribus Iuniores id tantum Fidei callebant, quod à Matribus, Nutricibusque didicerant, at aliqui certè tàm erant Fidei documentis destituti, vt nihil confirmare, proferreque scirent, præterquamquod ipsi firmiter crederent quidquid Ecclesia Catholica Romana crederet, penès eam esse veram Catholicæ Fidei doctrinam, & Hæreticos malè de fide sentire, horumquè præceptis se minimè Fidem habere, qua Fidei imperitia, & ruditate magis Oppida Regia, quàm Optimatum Sedes laborabant, quia Regia Oppida Hęretici magis frequentabant. Quod causæ est vt Pastores, & Rustici, nedum Nobiles Hibernici veteres, & noui sint in Catholicę Fidei sinceritate magis puri, & candidi, quàm quidam politici, qui in Regijs Oppidis commorantur. In hac summa caligine, & ignoratione dubium non est, quin Hiberni diuinitus Hęreticorum Concionatores fugerint, luserint, respuerint, & errores fuerint auersati occulto quodam, & abstruso Fidei lumine, quod ex eo solùm multi mirè ducebant, quod penès Summum Pontificem erat vera Fidei scientia, & ab eo noui Hęretici defecerunt.

CA-

CAPVT VIII.

Aliquot casus persecutionis.

REferam hic nonnullos huius persecutionis casus, quibus & Hibernorum constantia probatur, quam vanę, & lubricę ipsis Hęreticis suę Sectę videantur, constabit. In primis Iuuenes Nobiles Hiberni, qui Dublinij ab Hęreticis obsides tenebantur in Templum ducti die, qui festus, & solemnis ab hæreticis agebatur Ministris cantu, musicaquè personantibus, ingentem clamorem, & vociferationem extulerunt, vsum aurium intercipientes, & hæreticas ceremonias impedientes, nec incepto prius destiterunt, quàm Templo eiecti in pristinam Custodiam fuerunt relati, vnde postea numquam ad sceleratos ritus fuerunt reuocati. Eo die quo in memoriam Dominicę Cœnę festus agitur, hęretici Ministri numerosam Plebem Hibernorum Agricolarum, & Rusticorum in Templum vi coactam in modum Coronę, vel turmæ genibus flexam collegerunt, & vnus Minister gerens magnum tritici panis globum, singulis singula frustra porrigebat, alter ex magna vini amphora potum dabat. Primus Rusticorum cùm panem accepisset sinistra manu seruauit. Mox viniphialam sumens vinum totum per longam, & impexam barbam fudit, simulans id totum bibisse; cùm verò secundus Rusticus vacuam phialam inuenisset primum alloquens quid est inquit, Compater, quod nihil mihi vini reliquisti, tum primus illum suo panis frustro in facie percutiens, si ego, inquit, hausi totum vinum, deuora totum panem; Inde risus, sibilus, & clamor, & tumultus ortus totum illum hæreticę Communionis apparatum subuertit, frustra renitentibus Ministris: in quodam pago propè Oppidum Pontana Minister Anglus agebat, qui Catholicum Sacer-

Pium inuētus tis Catholicæ stratagema.

cerdotem Pagi, cęterosque Catholicos magnis molestijs afficiebat, nunc Sacerdotem conando capere, nunc de Vicinis quærelas effundendo, connubijsque, baptismo, funeribus, alijsquè rebus diuinis volens interesse. Cùm contigisset, vt quidam vicinus obijsset diem, eius Corpus in humare cęteri cupiebant, Sacerdote præsente, & Ministro inscio, summa quiete Corpus in Templum latum circumdatur à fœminis (nam viri non intererant ob Hęreticorum metum, sepulchrum fossum iam erat. Sacerdos Sacrificium Missæ celebrare cępit, vno Puero respondente; quòd hæreticus Minister, qui totam noctem vigilauit, cùm explorasset clam, & furtim Templum ingressus iuxtà fores tacitus stetit, donec fuerat sacrum per actum. Tùm verò Sacerdotem collo deprehendens Calicem quoque sacrum capiens, da, inquit, hunc Calicem, & veni tu quoque mecum captus authoritate, & iussu Reginæ. Tùm fœminæ surgentes, & in Ministrum manus impigrè inijcientes illum in excauatum, & apertum sepulchrum proiectum terra, lapidibusquè obruere cæperunt.

Catholicarum fæminarum lepidum factũ.

Ille contraclamabat, veniam petens, atque pollicens se nunquam in posterum, vel minima læsione Sacerdotem, aut vllum Catholicum lacessiturum, quod cum iure iurando confirmasset, Sacerdote iubente, à fœminis dimissus est, & posteà iuramentum impleuit, Paganis nihil molestus, sed acceptior, & charior. Alius Minister Clericis Catholicis officiendo tandem defessus finit subiectos suæ iurisdictioni ad contrahendas nuptias, infantesquè sacro flumine abluendos opera Catholicorum Sacerdotium vti, modo mercedem sibi soluant, & matrimonia sic contracta, puerosq; sacro fonte ablutos in album, vel librum suum refert, ne ab ijs, quibus visitandi, negligentioresquè Ministros puniendi potestas demandatur, coerceatur.

CA-

CAPVT IX.

Motus in Htbernia ob Fidei causam excitati quindecim annorum peperunt Bellum in quo tamen non armis, sed artibus Catholici fuerunt superati.

FVsè hæc narrat Suilliuanus, nos strictiore referemus compendio, hęretica furia per totam Hiberniam debacchata horridam suscitauit tempestatem, Catholicis reluctantibus ministellorum imperio, illorum doctrinam fugientibus, mortiferos ritus auersantibus aliquando Ministros percutientibus, terrorem incutientibus, hinc querelæ, hinc Carceres, hinc mulctæ, hinc Consilia inita, vt Catholici bonorum iactura, exilio, morte punirentur, opinantibus Regijs Ministris, non aliter Catholicam Religionem esse extinguendam, quam extinctis his in quorum pectoribus tàm altè insidebat, nec nouos errores amplectendos illis saluis qui semper eos fuerant execrati, qui grauibus vexationibus afflicti ad magnas calamitates fuerunt redacti; Inde à complurimis Hibernis bellum susceptum cum Hæreticis pro Catholicæ Religionis libertate, per annos ferè quindecim gestum, quo & Hibernia fuit deuastata, Anglicæ Nobilitatis flos deletus, magnisquè viribus, sed odijs maioribus dimicatum, atque sæpiùs victi, qui vicerunt.

Quod autem minore Causæ Catholicæ successu memoratum bellum fuerit confectum, inde natum est, quod licet omnes Hiberniæ Catholici veram Fidem ardenter colerent, in duas tamen fuerunt diuisi partes, pars vna sic voluit Orthodoxam Religionem sartam, tectamquè esse, vt tamen etiam fidelitatem erga Principem volue- Cur Catholici causa ceciderunt.

rit

rit incolumem, pars altera existimans cum hac fidelitate non posse subsistere Fidei integritatem apertè repugnauit, quod si pars vtraque hæreticam perfidiam, fallendi artes, dolosquè æquè haberet exploratos, coniunctioribus animis, & fælicioribus auspicijs rem peragerent, & proptereà nostrates Catholici, dum hæc scribo, causam Dei, Regis, & Patriæ, tàm vnitis animis, & viribus tàm strenuè, tàm fæliciter agunt, quod & res Fidei, & fidelitas Regia, Dei miserentis beneficio sese inuicem arctissimè complectantur, quo vtriusque causæ durante vinculo difficillimum erit Hibernorum Catholicorum, vel expugnare pectora, vel constantiam, aut vires frangere, vti nec olim eodem vinculo persistente potuere Ostmanni per quatuor ferè annorum centurias Hiberniam superare, nec illa hactenus vllis cessit externis, nisi vbi ipsa auxiliarem porrigebat dexteram.

Stratagema hæresis.

Catholica igitur Hibernorum Natio, non hostis virtute, non armis, vt in titulo dixi, sed vario dolo animos in prædictis diuidente causis, & artificioso stratagemmate suis Aduersarijs cessit, quibus medijs non segniter vsa est hæresis, cùm bellum incepit, nam illicò persecutionem dimittens, nec Sacerdotes, nec Sæculares suæ ditionis lacessebat, tametsi publicum vsum Religionis Orthodoxæ nunquam tulerit qua indulgentia, quamplures Catholicos Proceres, Sacerdotes aliquos, atque Ciuitates in amicitijs hæretici Magistratus continuerunt, Inter hæc diuisionis pomum inter Nobiles inijcere, cura non vltima fuit.

Exardescente tandem bello stratagemmate Præfato suas exercente vires, Procerum pars magna in vera fide perstitit, & Regiam fidelitatem religiosè obseruauit pars altera, & fidem, vitamquè ac fortunæ bona tanquam in apertum vocata discrimen tutari certa cõtra hæresim arma sumpsit, varia committuntur prælia, inter quæ memoratu dignum est illud ad Vadum Biscoctorum panum in Vltonia, vbi Regius Exercitus à D. Macguiere,

& Cormaco Onello funditur. Odonellus Iniskellinam Arcem in deditionem accipit, & Hæreticos in Conacia deuaſtat; ibidem Theobaldus de Burgo Odonelli partes ſecutus Billikiam Arcem expugnat cùm Aduerſarijs euentu proſpero dimicat, eadem fortunæ alea fæliciter ceſſit Onello, in prælio ad pratum fontis, in deditione Caſtri Municiani, in pugna ad Oppidum *Iurced* ad Mount-Noreis, ad Vadum pallidum, ſeù Sancti Buiani, cùm autem magnę, & promiſcuę huiuſmodi ederentur ſtrages, præualente tandem contra Onellum & Odonellum, eorumquè Sequaces aduerſa parte adiuta à quamplurimis Catholicis, qui vna cum Fide Catholica fidelitatem Regiam obſeruare omninò ſtatuerunt, præfati retrocedere coacti ſunt poſtquam moleſtiſſimum negocium ſpatio quindecim annorum Regiæ potentiæ faceſſerunt. Stant interim partis vtriuſque Sequaces Hiberni Catholici in Orthodoxa Religione inconcuſſi.

CAPVT X.

Continuatio Perſecutionis ſub Iacobo II.

DEfunctæ Eliſabethæ ſucceſſit Iacobus Primus, qui omnibus Principibus Catholicis Catholicus eſſe, & fore videbatur; vnde Hiberni in ſpem erecti Sacras Eccleſias concinnare, Religioſorum Cœnobia reædificare, Cultum diuinum ſtatui priſtino reſtituere non prætermittebant in Hibernia, terra coli rei ruſticæ operam dari, ædificia conſtrui, exules redire cæperunt; quando ecceAccito ad Regni gubernacula nouo Principe ad Hiberniæ fidem conterendam, & Catholicos extirpandos, omnem conatum hæretica perfidia adhibuit, prodit ergo nouum edictũ die 4. Iulij anno 1605. quo iubētur Miniſtri Eccleſiaſtici, Religioſi cuiuſuis Ordinis è Regno diſcedere. Edictum properant Hæretici executioni mandari tàm

con-

contra Sacerdotes, quàm contra illos, qui Sacerdotibus victum suppeditabant debacchantes, detonat persecutio furit in præcipuos quosdam Regni Proceres, quo terrore cæteri Catholici à Religione Catholica profitenda nihil mouentur.

His tamen longè horribilior, & inmanior Tyrannis superuenit. Scotus quidam nomine Knocs quem Episcopum luci in Hibernia Iacobus Rex inauspicato inaugurauit, suumquè supremum Episcopum vocat, nactus à Rege potestatem extinguendi in Hibernia, Orthodoxam Fidem, & inducendi in eius locum hæretica dogmata, nullum lapidem non mouit, vt omnia Sacrosanctæ Catholicæ Religionis vestigia deleret, omnemquè memoriam funditus oblitteraret. Tanti sceleris molitor ex Anglia profectus, cùm in Hiberniam appulisset anno post virgineum partum vndecimo supra millesimum sexcentesimum. Dublinniæ Consilij sui, legationisquè rationem Proregi de more exponit. Cui Prorex (rem inquit arduam, atque difficilem; Knoce Reuerendissime suscepisti) noli existimare Hibernos in sua Papistica Lege, pari esse cum Scotis tuis, aut cum Anglis meis animi mobilitate, & inconstantia mihi quidem minimè videris eos à Papæ partibus, amicitia, veneratione, & legibus subducturus, quos Angli septuaginta, & amplius annos ab hac opinione frustra auertere conati sunt. Quò magis vrgemus eò tenaciores, atque firmiores illi se gerunt, verùm quia Iurisdictio tibi auctoritate Regia delegata est fæliciter officio fungere. Quid valeas experiamur. Ego tibi non deero: finem, Excellentissime Prorex, inquit Knocs forsitan laudabis. Ego sciam obstinationem eorum egregiè excipere, & afficere, dignis pœnis efficiam, vt nequissimi Papistæ mei semper meminerint, vnoquè ore Papam eiusquè superstitiones diris imprecationibus prosequantur. Medicinam adhibebo longè acerbiorem ijs, quas hactenus experti sunt, quas cùm videris cæteras fuisse blandissimas, atque

Catholicorum constãtia.

sua-

suauissimas non inficiaberis, mox Truculentia, quam animo machinabatur, fretus per totum Regnum edicta in hæc verba promulgari fecit Anglo sermone.

Omnes Papistæ Religiosi, Sacerdotesquè illicò Regno exeunto, vel animæ amissione puniuntor.

Nemo filium, propinquumuè suum in trasmarina Seminaria nauatum litteris operam deinceps mittito, & suos quisque intra annum reuocato, sin minus fuerit bonorum publicatione Coercetor.

Nullus Papistarum in toto Regno Magistri, Præceptorisquè munere fungi publicèuè legere, vel docere audeto.

Qui Ecclesiasticum Papistam domum, vel in Villam suam receperit, aut quocumque modo fouerit, Fisco bona eius addicuntor.

Omnes nostris Sacrificijs, Ceremonijs, atque Concionibus Dominicis diebus, reliquisq; festis intersunto.

Templa bello diruta Papistarum sumptibus Religionis nostræ cultui reędificantor.

Prætereà Cnocs Ministro-Archiepiscopos, & Ministro Episcopos, quod in Regia Secta, & prauis dogmatibus propagandis adhuc visi fuerint Segnes, & quo in posterum vigilantiores sint grauiter reprehendit, eisdemquè pœnas pecuniarias irrogat Pseudo-Archiepiscopi quatuor damnis coerciti, conuitijsquè correpti, Dublinam conueniunt, vbi celebrato Concilio Decreta Anglico sermone in sequentem fere sententiam faiunt, & ad ea exequenda, & seruanda, & Pseudo-Episcopis Suffraganeis iniungenda se iure iurandi Religione adstringunt.

Ecclesiastici Regij Præsules Archiepiscopi, & Episcopi in sua quisque Diæcesi, residentes. Omnes suæ Iurisdictionis Ecclesias semel saltem in anno per se visunto, regulas, atque sanctiones, quæ ad Sectarum propugnationem, Papistarumq; extirpationem conducere videantur; constituentes.

Nullus in album Miniſtrorum, niſi qui Proregi, probetur, & ab eodem inſtrumentum publicum habeat Regio ſigno corroboratum, adſcribatur.

Præſules, atque Miniſtri iuramentum Regij Principatus in Eccleſia Parochianis, & Subiectis ſuis deferunto.

Cathalogus eorum, qui iuramentum hoc præſtare recuſauerint, qui noſtris Ceremonijs,& Eccleſijs non interfuerint, qui Sacerdotes Papiſtas protexerint, qui per alios, quàm per Miniſtros Infantes ſuos baptizari, Mortuoſuè ſepeliri fecerint, aliauè quàm Miniſtrorum authoritate matrimonia contraxerint ad Proregem tertio quoque menſe mittantur.

In ſingulis Diœceſibus grauiorum litterarum ſtudia, in minoribus Oppidis rudimẽtorum ſcholæ à Proteſtantibus Magiſtris habeantur; Templa recuſantium ideſt Catholicorum expenſis concinnentur, & in illis Biblia in vulgarem ſermonem translata eſto. Ita Religionis Anglicæ ritus inducuntor.

Poſt hæc iuſſa quàm mœſtum, & luctuoſum ſpectaculum cerneres? Vbi fuerunt præſcripta, Hæretici ea exequi feſtinant, Lutherani, Caluiniani, Zungliani, Puritani, omniumquè Sectarum Sequaces, præterquam noſtræ Sacroſanctæ Chriſtianæ Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ Religionis gerere Eccleſiaſticam Rempublicam, alij ſacrorum Antiſtitum nomine, & authoritate abuſi, Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus adminiſtrare, alij, qui Miniſtri vocantur in inferiores Eccleſias miſſi, omnes Regni totius angulos implere, Biblia corrupta, mendoſaſquè verſiones in vulgarem ſermonem traductas, & Catholicorum expenſis emptas in omnibus Parochialibus Eccleſijs collocare loca inde deprompta, pro ſua quiſque libidine, & ingenti furore rapi, flectere, ad inſanam hanc expoſitionem audiendam, & nefaria ſacrilegia colenda, Catholicos vtriuſque ſexus, & cuiuſcumque dignitatis compellere, neque Prorex quidem

de-

defuit. Marefcallos, Lictores, Milites, Sicarios nequiſſimos, atque lutulentiſſimos, qui Hibernos Miniſtro-Clericis obedire cogant per Oppida, Villas, Agros diſtribuit, in vijs, & ſemitis conſtituit. Hi Catholicos ad Regia Templa frequentanda, auſcultanda dogmata, Regiamquè Sectam amplectendam ſtudent adſtringere, hos fuſtibus, illos ferro in Hæreticorum Templa detrudere laborant: Catholici, quod hæc ſcelera nolint admittere ad incitas rediguntur, mulctis afflicti in Carcerem, & vincula conijciuntur, tot Reorum examinibus capiendis carceres minimè ſufficiunt, in Comitijs, aut Seſſionibus ſiſtuntur. Duodecim Virorum Iudicium ſubire coguntur, hi bonis ſpoliantur, illi in exilium mittuntur, alij capite plectuntur, de omnibus quàm acerbiſſimè, & crudeliſſimè decernitur. Leniſſimi, atque miſericordiſſimi Proteſtantes ſibi videntur, ſi Patresfamilias quantumuis pauperes duobus argenteis nummis, quos regales nominant ſingulis diebus Dominicis, reliquiſque feſtis, quibus hæreticis cęremonijs non interfuerint, puniant, ditiores verò, & nobiliores pænis maioribus damnent.

Imaginibus ſacris Impij minimè parcunt, ſacerdotalia veſtimenta, cæteraſque res ad Miſſarum ſolemnia, diuinumque Cultum dicatas rapiunt. Catholicorum domus diripientes, aureos, & argenteos ſciphos, aulea pretioſa eo colore quod ſint ſacri Calices, Patenæ, ſacrarum Eccleſiarum ornamenta, & id genus alia in Dei venerationem deſtinata ſibi adiudicant. Sacerdotes vt neci tradant, quàm diligentiſsimè diſquirunt; Hibernos Præceptores, & Doctores officio remouent, & fugant, litterarum ſtudioſos exitu ad tranſmarina Collegia, & Catholica Gymnaſia prohibere ſummo ſtudio conantur. Eo Veſaniæ proceditur, vt Authore R.P.Conuco, quidam Regius Conſiliarius iactauerit omnem ſuam ſupellectilem, quæ magnæ æſtimationis reputatur, eſſe Sacraria, Calices, Patenas, Reliquiaria, & Vaſa, quæ Catholico diuinarum rerum honori deuota erant. Eodem referente

Culrathniæ erat Virginis Matris Imago, quam Barbington Pſeudo Epiſcopus Anglus impie cupidus comburere, duobus Satellitibus ſuis, vt eam ad rogum portarent, imperauit. Sacrilegi morem hæreſiarcho gerentes vix in Sacram Imaginem ſceleſtiſſimas manus iniecerunt cum exanimes ſubito ceciderunt, per alios æque temerarios in Oppidi forum delata ſtructoque rogo impoſita manſit illæſa igne toto conſumpto, crebrius etiam perfoſſa, vt pice ſuffuſa nitratoque puluere in foraminibus poſito, & in nouum ignem coniecta nihil mali tulit. Quare miniſtro Epiſcopus territus, & morbo correptus animam exalaſſe, imago verò in priſtinum locum diuinitus reſtituta idque eueniſſe menſeSeptembri anni Redemptoris 1611. fertur, vt idem etiam tradit, Epiſcopus hæreticus religionem noſtram, eiuſque ritus, & Sacerdotum ornamenta ludens, è Sacra caſula femoralia ſibi fecit, ſed in auſpicato, nam vix ea induit cum igne concepto flagrarunt,& ſacrilegus in multorum conſpectu comburitur, ſocijs eum veſte fruſtra exuentibus.

Heu miſerimos, qui tantam miſeriam patiuntur. Heu ignobiles obſcuros, abiectiſſimos animo, qui ferunt, ò felices Hibernicos, æternoque laudum præconio digniſſimos, qui maluerunt pro Religione Catholica, pro legibus, pro patria glorioſam, & ſanctam mortem oppetere quam in hoc ſitu ſquallore luctu degere in hac ſeruitute, in hac Eccleſiæ tyrannide, in hoc Dei Sanctorumque contemptu, in hoc cunctorum ſcelerum ſalo, & in hac lerna malorum omnium turpiſſimè viuere. O inſcios, ſtolidos, perditiſſimos hæreticæ factionis, Hibernos qui aut ſibi peſtem impendentem non præuiderunt, qui populares ſuos viros ſummos atque clariſſimos fidei defenſores oppugnando effecerunt, vt huc ruinæ calamitatis miſeriarum patria, Catholicaque Religio ſit deducta. Adeſtote mihi hic vos Hiberni Sacerdotes politicæ factionis de omnibus non loquor, ſed de vobis paucis, qui rem ſiniſtrè egiſtis, quando cauſa Catholicæ Reli-
gionis

gionis agebatur, quomodo præsens tam ingens,& immane scelus purgabitur? Fuistisne hoc animo vt ista mala euenirent Catholici Sapientis lectoris esto iudicium. Ego quidem non sum solitus vllis notam inurere, nec tamen digna animarum saluti, & fidei amplificationi perniciosum, & exitiale possum habere ratum sanctum,Catholicum, hoc est vt pro hæreticis contra Catholicos arma eorum ferantur ne diutius hic immorer, nihil hic opus fletibus nostris.

CAPVT XI.

Leges in Parlamento contra Fidem Catholicam excogitatæ ex Suilliuano.

SEnatores Catholici, quod minime compertum habebant, quibus de rebus esset in Parlamento decernendum varie angebantur, qui intentissima cogitatione distracti post longam atque diligentissimam inuestigationem inter futuri Parlamenti decreta hoc repererunt Anglice scriptum, vt in Parlamento relatum Senatorum authoritate reciperet legis vigorem, quod ita nobis latine traditum est.

* Cùm multi, qui se profitentur esse, vt appellant Archiepiscopos, & Episcopos, Vicarios generales, Decanos, Diaconos, Fratres, Iesuitas, Presbyteros, Seminaristas, & alios Presbyteros,ac qui in transmarinis locis sacris Ordinibus initiati fuerunt, initianturque secundum consuetudinem, & ritus Romanæ Synagogæ, paucis ab hinc annis in Hiberniæ Regnum, aliasque Regiæ Maiestatis ditiones venerunt, missique fuerunt, & in dies plures veniant atque mittantur non alio consilio (sicut tum ipsorum examine, & confessione, tum alijs varijs, & manifestis vijs, atque probationibus comperitur) nisi vt non solum subditorum animos à Rege auer-

auertant cum ingenti eius periculo, sed etiam ruinam, & excidium, ac interitum vniuerso Regno afferant, si hæc mala tempestiue non auertantur. Id circo in huius damni remedium à Rege dignitatibus Ecclesiasticis, & laicis conuocatis in hoc Parlamentum, & ipsius Parlamenti authoritate cauetur, vt omnes, & singuli Archiepiscopi, Episcopi, Vicarij generales, Decani, Diaconi, Fratres, Iesuitæ, Clerici, Seminaristæ, alijque Clerici quicunque in augurati alibi quam in Hibernia, vel alijs ditionibus Regiæ Maiestatis, aut etiam in Regiæ Maiestatis Regnis, & Iurisdictionibus aliqua authoritate, & potestate deriuata deriuanda, vel à Sede Romana post annum vigesimum septimum principalis nostræ supremæ Dominæ Elizabethæ Reginæ defunctæ ante diem quadragesimum post hoc Parlamentum ab hoc Hiberniæ Regno, & cæteris omnibus Regnis, & ditionibus Regiæ Maiestatis discedant, modo ventum, tempestatem, & nauigationem comodè nanciscantur.

Item eadem authoritate dicta sancitur ne alicui Archiepiscopo, Episcopo, Vicario generali, Decano, Diacono, Fratri, Iesuitæ, Clerico, Seminaristæ, vel alij Clerico religioso, vel alicui Ecclesiastico post dictum annum vigesimum septimum Regni nostræ supremæ Dominæ Elizabethę Reginæ defunctæ, sacris Ordinibus insignito vel insigniendo, religionemue professuro authoritate, & potestate deriuata, vel deriuanda à Sede Romana, cuiuscumque nominis, tituli, & gradus fuerit liceat venire in aliquem locum huius Regni, aut alterius cuiuscumque Dominationis Regiæ Maiestatis in illoue agere, vel morari post tempus dictorum quadraginta dierum prætterquam in casibus specialibus peculiari causa, & per tempus in hoc decreto definitum, sique aliquis Archiepiscopus, Episcopus, Vicarius generalis, Decanus, Diaconus, Frater, Iesuita, Clericus, Seminarista, vel alius Clericus ex supradictis contrauenerit tum quoties in hoc incurrerit, toties læsæ Maiestatis reus habeatur tam-

quam perfidus iudicetur, punitaur, bonorumque publicatione carceretur, & quicumque post spatium horum quadraginta dierum, & profectioni definitum sciens receperit fouerit, fuerit consolatus, hospitatus fuerit aliquem Archiepiscopum, Episcopum, Vicarium generalem, Decanum Diaconum, Fratrem, Iesuitam, Seminaristam, Clericum, vel alium Clericum Religiosum, aut aliquem Ecclesiasticũ, primùm mulctetur quadringentis nummis aureis fisco adiudicandis. Si vero, secundo, de hoc crimine fuerit conuictus, puniatur pœnis legis. Præmunire in Anglia latæ anno 16. regni Regis Richardi Secundi. Si denique tertio crimen hoc incurrerit tùm flagitiosus iudicatus, morte, bonorumque publicatione plectatur tamquam læsæ Maiestatis reus beneficio doctrinę non opitulante.

Præterea eadem authoritate iubetur, vt si ex Regi, subiectis aliquis, qui non sit Archiepiscopus, Episcopus, Vicarius generalis, Decanus, Diaconus, Frater, Iesuita Clericus, Seminarista, vel alius Clericus religiosus, vel Ecclesiasticus fuerit litteris eruditus, vel erudiendus in aliquo Iesuitarum Collegio, vel Seminario condito, vel condendo in transmarinis locis, aut agat in externis Regionibus intra sex menses ab hoc Parlamento perfecto, & pragmatica de hac re promulganda in Vrbe Dublinnia sub magno Hiberniæ signo redeat in hoc Regnum statimque intra decem dies coram Episcopo Diœcesis, vel duobus Iudicibus pacis loci, in quem appulerit, se Regiæ Maiestati, eiusque legibus submittat, iuretque iuramentum Regij principatus, in re tam spirituali, quam temporali iuxta edictum sancitum in hoc Regno secundo anno Regni Elizabethæ Reginæ, qui verò veniens, vel rediens in hoc Regnum, vel in eo agens noluerit se submittere, & iurare hoc iuramentum, perfidus iudicetur, patiatur, & eius bona fisco addicantur. Reus ob crimen lęsæ Maiestatis.

Eadem denique authoritate constituitur, vt quicum-

cumque ex Regijs ſubditis dictis quadraginta diebus præteritis commutatione, vel aliqua alia arte directè, vel indirectè ſciens aliquid portauerit, dederit, miſerit, portariue, dari, mitti fecerit ad aliquem litteris operam nauantem in aliquo Ieſuitarum Collegio, vel Seminario, perfidus iudicetur, patiatur, boniſque mulctetur tamquam læſæ Maieſtatis conuictus.

Innenti ſunt etiam aliqui articuli non plano ſermone, vt edictum ſuperius, explicati, ſed vti longorum ſermonum lemmata, ſcripti, quos nos latinè proferimus ſumma fide.

CAPVT XII.

Articuli in Parlamento proponendi conſcientia docta, Iudicioque Proregis, & Concilij.

1. CAueatur, vt Sacerdotes in exilium mittantur.
2. In arce aliquot loca, portaque nobilibus viris, qui cuſtodiæ mandantur, concinnentur.
3. Adimantur otioſis arma.
4. De agris occultatis inter Omurchuos conductores & alijs artibus iudicetur, iuxta ea quæ iam dicta ſunt, hocque ante feſtum S. Michaelis fiat.
5. De connubijs inter Hibernos, & Scotos.
6. Georgius Hamilton, & Robertus VVartus iuramentum principatus recuſantes iurare è Regno relegentur.
7. Dicti conductores agrorum, & Omurchos quorum negotia exigunt iudices delegatos, vel Commiſſarios in album referantur in Cancellaria.
8. Nouis penſionarijs quamuis iuramentum recuſent

sti-

ſtipendium ſoluatur iuſtis cauſis.
9. Pecunia qua mulctantur illi qui Eccleſias frequentare nolunt quomodo ſit diſtribuenda.
10. Nobilium filij in Angliam mittantur.
11. Immunitates male eligentibus Magiſtratus adimantur.
13. Omnes recuſantes ſoluant duos regios nummos diebus Dominicis.
12. Excommunicationes cautius, & rarius ferantur, & moderatius agatur in illis locis quibus nondum ſunt præpoſiti paſtores.

Articulus quintus eo (ni coniectura fallor) pertinet, vt inter Hibernos, & Scotos matrimonia prohibeantur ne duæ Collicolę gentes Anglis inimicæ affinitatis,& amicitiæ vinculis inter ſe coniungantur, ſed potius amicitiæ vetuſtiſſimæ, mutuique amoris memoria prorſus aboleatur.

In ſexto articulo duo Equites Angli, qui pietate ducti patriam ſuam deſeruerunt ex Hibernia relegati, quod ſi fieret, argumento fore videbatur, vt etiam Hiberni omnes in exilium mitterentur.

Circa decimum tertium ſciendum eſt eo vſque Hæreticorum dementiam proceſſiſſe, vt quando in Catholicos ferunt ſententiam excommunicationis, quæ inter cæteros effectus atrociſſimos illum habet, vt quicumque impunè poſſit excommunicatum occidere. Reliqui articuli ex ijs qui in hoc opere tradita ſunt intelligi facile poſſunt.

CAPVT XIII.

Quemadmodum Hiberni Hereticis legibus in Parlamento obſtiterint, ex Suilliuano.

HIs decretis, & articulis, quod illis Catholi ca Religio fuiſſe pœnitus delenda videbatur, fortiter reſiſtere noſtri parlamentarij conſtituunt etiam ſi neceſſe foret in eo certamine oppetere mortem, id verò non aliter ſe præſtituros credebant, quam ſi duorum alterum, efficerent, vel Parlamentum omninò impedirent, quo minùs Religionis cauſa in controuerſiam ſæculariumque hominum iudicium, & etiam diſcrimen deduceretur, vel Hæreticos parlamentarios, contra ius, & maiorum exemplum, electos ſuffragia ferendi poteſtate priuatos in Parlamentum, non reciperent, quod factu facilius videbatur quippè ipſis Hæreticorum legibus conſentaneum erat, idque ſi poſſent aſſequi, quin ipſi fuiſſent antiquas leges retenturi, nouaque Hæreticorum dogmata repudiaturi minime dubitabant. Ad rem tantam, qua Religionis Catholicæ cauſa, omniumque Catholicorum præcipuè Eccleſiaſticorum ſalus verſabatur, Hiberni Antiſtites Religioſi Sacerdotes ex omnibus Regni locis Dublinnam ſe conferunt, & ire contendant multi, qui per Hiſpaniam, Galliam, Belgium in Religionibus, & Seminarijs, ſuiſque ſumptibus dabant operam litteris, qui noſtrorum Senatorum Conſilium laudant atque confirmant. Satis (arbitror) eſt explicatum vtrorumque, & Hæreticorum, & Hibernorum conſilium quid actum ſit videamus.

Die Martis Maij menſis decimo octauo ſeruatoris anno decimo tertio ſupra mulleſimum ſecenteſimum.

Pro-Rax primam Regni sessionem celebraturus, arce Dublinensi mane egreditur, dignitatibus sæcularibus, & hæresiarchis, tribuum cunctarumque procuratoribus,& parlamentarijs omnibus etam illegittimis cum alia multa nobilitate comitatus. Illum præibat Barrius Magnus Bottauanti vice Comes regium ensem ferens. Parlamentum verò à numinis inuocatoine Maiorum, Cacholicorum hominum instituto initium sumit. Quos Pro-Rex falso inuitans ad templum cursum dirigit: quæ enim inuocatio potest esse numini grata in templo hæretico per hæresiarchas,& cæcos diaboli ministros cæremonijs Caluinianis, Lutheranisque celebrata. Cum ad ædem ventum fuisset Hiberni omnes ad fores restiterunt præter ensiferum, qui cum ensem super puluinum reliquisset regressus est priusquam inchoata impura Caluiniana solemnia fuerunt, forisque Pro-Regem, & hæreticos præstolatur vna cum cœteris Catholicis. Hæreticis ritibus peractis in arcem rursus iter accipere iubentur. Nolebat enim Pro-Rex in curia Parlamenti præstituta Senatum habere. Ad arcis portam dum peruenissent,& Pro-Rex fuisset ingressus, Senatoresque sequerentur. Ianitor, alijque à Pro-Rege constituti Nostrates Senatores arma, idest enses deponere verbis Pro-Regis iubent. Alij obtemperabant imperio, alij reluctantes ingrediebantur armati, quique enses deponere coacti sunt pugiones sub vestibus latentes gerebant. De dignitatibus sæcularibus, tribuumque procuratoribus loquor, nam Ciuitatum Procuratores togis induti inermes incedebant. In aulam constitutam cum Senatores soli venissent Hiberni, Cancellarius genere Anglus conditione Hæreticus præmeditatam orationem exorditur, quæ eo tota tendebat vt persuaderet Senatum fuisse conuocatum non ob aliam causam, vt quam leges ferrentur, quæ Regi, honestati, quæ Reipublicæ saluberrimæ, & animarum saluti necessariæ fore videbantur. Ideo Parlamentarios oportere ijs rebus de quibus ad ipsos referretur assensum præ-

bere id Regi gratissimum futurum, eumdemque gratias omnibus relaturum, orando finem facit Procuratores iubentur ex ea aula,quæ dignitatibus erat assignata in alteram, quam inferiorem dicunt secedere ibique ante omnia Magistratum, qui cæteris præsit creare.

In superiore aula protestantes numero superiores erant multas ob causas, quod Hiberni Magnates à Regibus Angliæ non in augurati illi inquam veteres atque noui maximè Catholici suffragiorum iure sint reiecti, quod externis sint titulis ornati,vt alij contra Christũ pro hæresibus ferant suffragia, quod Hiberni Catholici Præsules admissi non sint in Parlamentum, quod in horum locum hæresiarchæ sint suppositi. Ideo totum Christianæ Religionis deffendendæ præsidium in nostris Procuratoribus positum fuisse videbatur, sed in hoc etiam hæretici Procuratotes illegitimi numero vincebant.

* In Aula inferiore Regij Iudices, Consiliarij, Iurisperiti, causarum Patroni, Ministro Clerici, & id genus Anglorum magna turba Senatorio, Procuratorumque more in scamnis sedent veluti suffragia laturi,Equorum regione nostri Procuratotes in alijs scamnis sedent. Ita vtrique Hibernici, & Hæretici sedilibus disiuncti, & aduersi, contrarias etiam & aduersas factiones, & opiniones præseferebant.

Vix Senatores consederunt cum dispositis in arce tormentis Angli milites in agmen instruuntur ad incutiendum terrorem ne nostri Parlamentarij Hæreticis repugnare auderent neue illis si periclitarentur Oppidani possent auxilio venire. In his angustijs nostri Senatores versati, nec putabant Religionem Catholicam deserere, nec dubitabant quin esset sibi mors subeunda. Oppidani Equites, qui de omnibus Regni partibus conuenerant, quid tunc cogitarent? Primi de Senatoribus morte vindicanda. Hic omnes Hiberni, qui factionis Anglicæ fuerant (ni me coniectuta fallit) Hibernicos Principes plorabant, qui nunquam fuerant passi, vt ad tantas an-

gustias Religio Catholica adduceretur. Hi se ipsos dirè execrabantur, quod fidei defensores assertoresque Ciuitatis inexplicabili odio fuerint prosecuti, Hæreticorum Præsules secuti falsa semper opinione decepti.

Hic erat rerum status, hicque facies, cum in aula inferiore vnus ex tribus Regijs Iudicibus orationem longitudine tædiosam incœpit laudans, & commendans in Magistratum inferioris aulæ Equitem Anglum, qui Iohannes Dauis vocabatur hæreticum obstinatissimum atque etiam Catholicorũ, & totius Hiberniæ hostem acerrimum, orationi finem imponit illum aulæ Præsidem nominans. Idem quoque sentit pars maior hæreticorum confusum clamorem efferens. Hiberni è Regione sedentes primum subrident quasi protestantium vanitatem deinde se nunquam Magistratum habituros tumultuata, & elata voce obtestantur. Ingens vtrimque clamor est concitatus, qui cum fuisset sedatus Eques Hibernus doctrina, & authoritate grauis, superuacanea (inquit) & præpostera est hæc de eligendo Magistratu disceptatio. Licet Iohannes Dauis dignus esset, qui his omnibus viris clarissimis, præferatur, exemplo receptũ est, vt nullus hic tamen obtineat, nisi qui ritè sit electus à Senatoribus, & Parlamentarijs non ab alijs. Cæterum hic non Senatores Iohanni suffragantur, tantum enim abest consessum ex ordine Senatorio esse, vt omnino sint externi, nulloque modo in Hibernia in Ciuitate adscripti. Quid? in Hibernia, qui nati non sunt, qui domicilium non habent pro Hibernis Ciuibus, atque Senatoribus se gerunt, cum non à Ciuitatibus quidem, vel tribubus mandatum Procuratorum acceperint. Quæ hæc est insania duo tuguria Ciuitatis immunitatibus gaudebunt, deserti agri, campique vastissimi sunt Magistratuum legibus donandi. Vbinam in Hibernia sunt Vrbes istæ, ex quibus tot incogniti Procuratores, totque Ciues hospites confluxerunt, hospites isti & alienigeni ex nostra curia discedunto, alio abeunto, in suis quisque finibus

Parlamenta celebranto. Magiſtratus huic Curiæ creandi leges conſultiſſimæ rogandæ, Hiberniæ Senatoribus relinquunt. Alioquin nihil agetur. Fruſtra ſuum Magiſtratum Iohannem clamitant, in caſſum clamores diffundunt. Namque eos qui Parlamentarij non ſunt prius oportet eum aula eijcere quam Magiſtratum creare, ita eſt moribus proditum legibuſque conſtitutum. Ex altera parte Eques Anglus ſurgens foraſque exiens, omnes inquit, qui à Regis parte ſtant me ſequantur. Illum illegitimi Procuratores ſequuntur ad vnum. Legitimi in aula ſoli manſerunt quorum vnus ita cæteros alloquitur.

Fortitudo Catholicorum pro Fide:

Ecce iſta colluuies abiuit, & in malam crucem abiuit. Hunc locum nobis quibus iure debetur reliquit, hoc omnes optabamus Deumque Immortalem rogabamus, hoc vnum, vt omnia præclare ageremus, deſiderabamus. Ergo quando quidem voti compotes ſumus, & tantum beneficium à Deo inopinantes accepimus, ſupereſt vt eidem fidem ſoluamus ideſt Fidem Catholicam in hoc loco tuamur pro qua ſanguinem ſi neceſſe ſit, diffundere debeamus, ad hoc maiorum exemplo inuitamur, qui hac in re gloriam nulla die interituram, tum in cœlo tranquillum, & beatum vitæ ſtatum ſibi compararunt. Neque enim innumeri noſtri populares conſanguinei Fratres, & Patres pro hac Religione fortiter dimicantes in arce glorioſius, & ſanctius ciderunt, quam nos eandem in iudicio profitētes, atque defendentes moriemur, ſi ſummo illi rerum conditori qui corporibus noſtris animas infudit, ita placet, vt eas pro lege ſua tuenda reddamus. Qua certè morte iam ex ancipiti, lubricaque rerum humanarum via ex tot miſerijs ex tantis calamitatum cumulis ad æternam illam quietem tranquillitatemquæ breui perueniemus. Sin ſimul nobis eſt, & viuendum, & Religio defendenda noſtris maioribus virtute quidem, & meritis pares, ſed felicitate, & gloria ſuperiores erimus, & quæ â nobis hactenus ſegniter, & inſci-

inſcitè ſunt acta reſarciemus. Neque timendum eſt; vt hoc conatu Regis maieſtatem lędamus cum ipſe hoc potiſſimum magis curare debeat, nihilque ſit illi, aut neceſſarium ad animi ſalutem aſſequendam, vel Salu brius ad Principatum ſuorum Regnorum tuendum quique contrarium conantur, non regis vtilitate mouentur ſed inſana cupiditate ingenteque furore aguntur. Agite igitur eam Religionem deffendite pro qua ſpecioſum eſt pugnare, pro qua ſublimius eſt vinci, quam contra illam viuere, pro qua mori eſt viuere, quam propugnare ſumma eſt gloria, Magiſtratum nobis, atque Ducem primum omnium præficiamus.

Omnium calculo Iohannes Euerardus Eques auratur, Vir doctrina præſtans, Magiſtratus inferioris aulæ creatur. Interea ab hæreticis quoque qui ſeſſionem fecerant Ioannes Dauis Magiſtratus creatur qui Denuo in aulam reuerſi, videntesque Euerardum in ſella ſedentem, quid rei ſit quod in Præſidis loco ſedeat interrogant? adijcientes ſe præfatum creaſſe, & oportere Euerardum locum illi concedere. Quibus Euerardus reſpondit ſe cum eſſe qui Magiſtratus potuit creari, creatuſque fuit, ab ijs penes quos erat creandi poteſtas, & ibi vbi oportuit creari ideſt in aula parlamentaria, ab illis nec Magiſtratum in aula fuiſſe electum, nec vſquam eligi poſſe. Nihilominus hæretici Ioannem Dauiſem in eius ſinu, & græmio collocant, vnde à noſtris deturbatur. Euerardum quoque ſella detrahere proteſtantes moliuntur, ſed Catholici defendere conantur detrahentium, atque retinentium conatu Euerardi toga laceratur ipſeque humi proſternitur. Hic pugnos aliquot vtrinque impactos eſſe fama fert, vt gladij diſtringerentur, parum abfuiſſe, certum habetur, noſtri Iureſconſultorum ſuorum Conſilio impulſi ſellam, & aulam deſerunt ex vi, & iniuria occaſionem impediendi Parlamenti arripientes quibus rebus prima Seſſio primuſque dies conſumptus fuit.

Poſtero die dignitates, atque procuratores illegi-

timi

timi ad Parlamentum conueniunt, legitimos qui non venerunt Prorex ſuo nomine accerſitum miſit Militiæ Præfectum. Cui reſpondit Euerardus pridie in Parlamento fuiſſe rixam ab externis hominibus concitatam, ſe fuiſſe grauiter ictum, Parlamentarios in Caſtellum detruſos, militumque agmine circumuallatos, vt inuiti ſententiam dicere ab armatis cogerentur cum maiorum exterarumque gentium inſtituto debeant Senatores militibus imperare, non obedire, & armorum impetus legum moderamine Regi, non legum æquitas armorum furore turbari ob id ſe diu militum perfidiam vereri, præterea ſe fuiſſe inferiori aulæ præfectum ritè creatum nec aliter rediturum quam comitantibus ſuis Procuratoribus ſceptroque præeunte, indignis penitus excluſis. In eandem ſententiam cæteri noſtri Procuratores loquuntur. Tertio die neque Catholicæ dignitates, neque noſtri Procuratores ad Parlamentum conuenerunt, neque vero ſine illis aliquid decernendum hæretici exiſtimarunt, neque eos in Parlamentum vi cogere Prorex auſus eſt, namque Senatores ipſi, & eorum amici aſſeclæ,& in Oppido toto Viri Iuuenes,pueri,ſed & præcipuè nobiles qui ſpectatum venerant ſeſe armis inſtruxerant, proinde ac ſi manum fuiſſent conſerturi, & vt tumultus maior concitaretur non ſolum Oppidũ ſed & Regnum Vniuerſum turbatur ſi Prorex paulo magis vrgeret.

CAP. XIV.

Hibernorum obteſtatio non deſerendi Fidem Catholicam.

INſuper Catholici Parlamentarij iniurias Regno illatas memorant, Hibernoſque numquam Fidem Catholicam deſerturos obteſtantur, hac petitione Proregi tradita, quam nos ex Anglo ſermone fidiſſimè tranſtulimus.

Obte-

Obteſtatio in Parlamento edita.

Dubium nemini videtur eſſe qui Gentis Hibernæ mores, & educationem, vel mediocriter cognoſcit, quia hæc Gens fuerit ſemper, & animo conſtante firmoque venerata, & exterioribus documentis, quam apertiſſimis profeſſa ſolam illam Religionem quam, pulſis quondam gentilitatis tenebris in primæuo Chriſtianæ lucis exordio recepit. Ita quamuis varietate temporum fortunæque viciſſitudine tempeſtuoſi infeſtique fluctus inuaſores exterarum Gentium, vt Danorum, Normandorum, Noruegiorum, & aliorum hanc Inſulam infeſtauerint: non tamen noſtræ huius Sacræ Religionis cœleſtem ſplendorem extinguere diuinumque Imbrem exſiccare valuerunt. Eſt quippe (quod nos firmiter credimus) hæc Religio Patris æterni Imperio, Spirituſque Sancti conſilio conſtituta noſtriſque pectoribus inſita ſumma Chriſti ſeruatoris prouidentia. Quamobrem, nec perſuaſionibus vllis, nec vi vnquam potuimus deduci, vt ab illa, vel latum vnguem diſcederemus, vt vero vetuſtiſſimam hanc maiorum noſtrorum conſuetudinem prætereamus ad rem propius accedamus, etiamſi ob hæretici Henrici Octaui Regis diuortium (quod nulla, vel temporis diuturnitate, vel hominum obliuione poteſt ob litterari) ingens opinionum diſſenſio circa graues Fidei quæſtiones fuerit orta, nihilominus tunc in tanta nouorum dogmatum perturbatione, quanta ſententiarum repugnantia, nouitas caput cæpit tollere, monumentis Parlamenti tunc temporis habiti in hac Vrbe memoratur, quod quamuis non nihil auxilij patrocinijque nobis afferat ad tuendam noſtræ præſentis aſſeuerationis, æquitatem eo quoque ſuper ſedebimus quod minus ad rem pertinere videatur.

Non tamen hoc loco inuoluemus ſilentio nonnullas machinationes mira diligentia tentatas, nec minore indu-

ſtria diu confirmatas, quæ nos diuerſuræ à priſtina mente credebantur, Imprimis, vel aſpectus conſtitutionis ab vltima Regina latæ ſufficiens videbatur, vt pleroſque noſtrum Inquiſitionis mulctæ, carceris horrore perterreret, atque conſternaret. At nullo modo potuit animos noſtros quemadmodum ſperabatur à priſtino ſenſu ſubducere. Ac ita, quæ ſecundo principatus eiuſdem Reginæ anno edicta prodierunt ad incutiendum recuſantibus metum executioni minimè mandata in obliuionem abiuerunt. Denique vbi dulcedine pacatæ clementiæ, & humanitatis præſentis noſtri Regis frui ſperabamus cum illum omnibus Chriſtianis Principibus conciliatum videamus, atque lætemur, cum noſtra tamen Religione non fœdus, ſed bellum geri à proteſtantibus Eccleſiaſticis dolemus. Hi enim, & alij non infimi præfecti, iuſtitiæque miniſtri, ſtatuta iam dudum obliuione ſopita excitantes, ſubditos nouis imperatis, mulctis, coertionibus, magniſque grauaminibus incredibiliter vexant, rediguntque ad ingentem paupertatem, quibus tamen omnibus à noſtra Religione non diſiungimur Quo circa noui afflictionum cumuli, contra nos, liberos noſtros, noſtram libertatem exiſtimationem, atque fortunas accreſcunt. Filijs noſtris ſtudijs, & eruditione exterorum Gymnaſiorum interdicitur. Nationis noſtræ nobilitas, & claritudo exiſtimatione fædata, omnibus huius rei publicę honoribus abdicatur, quod vſq; adeo verum obtinet vt ne iudices pacis nobis liceat eſſe non aliam ob cauſam, quam propter fidem noſtram, quam nos quidem deſerere non poſſumus, Ciuitatum, & Oppidorum Præfecturæ ciuibus adimuntur, quod nouis dogmatibus aſſentiri nolint. Cauſidici iuriſque periti munere deijciuntur, quod ijs renuant aſſidere. Etiam opifices, & fabri ſunt experti crudelem vindictam, excommunicationem, pęnam, & alia ſexcenta mala. Cæterum hæc omnia minime nos deterruerunt à fide noſtra, quam, Deo duce, ſemper à nobis colendam deuouemus pręſtituri tamen omne obſequium

noſtro

noſtro Supremo Regi Iacobo debitum ſine adulatione fuco, inſidijs, & conſpiratione contra eius coronam.

* Itaque omnibus his pœnarum inopiæ, opprobrij, carceris, interitus cruciatibus nequaquam in rebus conſcientiæ inconſtantiores, aut infirmiores ſumus. Verum opes facultateſque noſtræ nimium diminuta ſunt. Propter coniugatos iſtos, atque Proletarios, Clericos Præfectos, & Miniſtros ingens in Republica eſt orta perturbatio, varia incommoda in rerum commercio ſequuntur, humanæ vitæ ſocietati magna moleſtia infertur, noſmetipſi preda abiectis, atque ſordidis hominibus qui ſuccum, & dulcedinem noſtrorum laborum hauſerunt, ſumus facti.

Quæ omnia obedienter proponimus Excellentiſſimo Proregi, conſilioque reputanda, ab eodem petimus vt de illis faciat Regem certiorem nomine noſtro, qui referimus huius rei perſonam corpus, atque rempublicam, quamque difficile ſit, ſeù potius quam fieri nequeat, vt nos ab opinione noſtra vetuſtiſſima dimoueamur: quam fixum, atque deliberatum nobis ſit retinere, & colere noſtram priſcam fidem, & Religionem, quam vero ſimile ſit, in poſterum fore inutile tam crudeliter nobiſcum agere, neque enim tantus rigor alio tendit niſi vt veteres incolæ extinguantur perdantur, deleantur, eorum facultates confiſcentur frangantur immunitates, odium prouocetur, pariatur ſeditio, & Regno denique excidium, & interitus afferatur.

Qui quidem effectus, ſeù potius defectus iuſtis legibus aduerſantur, namque ſi is verus, & proprius præclaræ adminiſtrationis fructus habetur (ſicuti reuera debet haberi) vt Reſpublica populuſque in pace, quiete, tranquillitate, & proſperitate ſuſtineatur, iuxta ſalubrium legum rectitudinem æqualem habita ratione ſeruandæ ſubiectorum ſalutis à qua Principis etiam ſalus, & gloria pendet, & in hunc finem Regia prouidentia roget, & abroget leges, rationi maxime conſentaneum videtur,

itaut populus non conſtituatur propter leges conſeruandas, ſed leges condantur propter ſalutem populi deffendendam iuxta ingenioſam illam Regiæ Maieſtatis Epigraphen inſcriptam in illo optimo numiſmate nuper excuſo poſtquam duo Regna in ſe conciliata gaudent Magnæ Britanniæ nomine. Salus populi ſuprema lex eſto ſignificatur pacis conſeruationem, & populi ſalutem bonorum Regum eſſe principium, & finem, ac nos quidem congregati ſumus in hoc Parlamento diuerſæ gentes. Alij ſumus Hiberni ortu ſimul, & genere, alij ortu tantum non genere, alij contra genere non ortu: alij denique neutro, nec genere, nec ortu, ſed habitatione. Duæ differentiæ generis ortus, habitationis, morum, ingenij ita ſaltem conueniunt, & conſentiunt omnes vt vni ſupremo Principi obediant, ſeque ſubmittant. Neque enim diffidendum eſt poſſe indubitatam obſeruantiam, & obedientiam conſiſtere cum diuerſitate Religionum quantum ad noſtram vetuſtiſſimam attinet. Quemadmodum enim naturale corpus compoſitum multis heterogeneis, & diſſimilibus partibus, carne, oſſibus, cartilagine, muſculis neruiſque vna duntaxat, perficitur, mouetur, & gubernatur forma naturali, animante ſcilicet ſpiritu partibus omnibus imperante. Ita ſimiliter politicum huius Reipublicæ corpus conſtans diuerſis nationibus in Religionis Idæa, & forma, tempeſtate hac diſcrepantibus, poteſt Regia vna ciuilis obedientiæ ciuilis forma minime fictæ ſub vno Regij diadematis Sceptro decoratum, & auctum, & quoad profeſſionem noſtram longe conſuetius eſſe videtur, ferre hanc Religionum varietatem ſine inobedientiæ periculo donec idoneum tempus fuerit oblatum, quo perturbatio ſedetur, & repugnantium ſectarum aſſertores ad aliam mentem reſtituantur, quam conſtantiam noſtram ſatis probatam duriſſime verberare. Quæ quo magis oppugnata fuerit, eo illuſtrior, & firmior erga Deum, & Principem apparebit. Quæ cum ita ſint, ſeù rerum adminiſtrandarum rationem ſpectes, ſeù

Regiæ

Regiæ prouidentiæ regulas contempſeris. Sanum (ni nos quidem fallimur) conſilium eſt, vt cum ſubiectis qui tamdiu tot temporalium afflictionum cumulis obruti nō potuerunt ad indebitam iſtam concordiam flecti, deinceps ſuauius, & moderatius agatur, nec ijdem diutius opprimantur edictis quotidianorum grauaminum odioſiſſimis qua tamen mitigatione minime obſtante, ſatis vexabuntur ſubſidio, & obſequio Regiæ Maieſtatis benignitati in omni occaſione ſatisfacere conantes, tum debitum reddendarum grati animi ſignificationum præbendo. Hunc animi noſtri ſenſum, hocque conſilium pandere ſubacti ſumus huius inclytæ curiæ priuilegio, libertate qua in ea de rebus ſentire debemus ingenteſque ſpes rurſus amice habendi Parlamentum cum cæteris noſtris Collegis, & Senatoribus concipimus.

CAP. XV.

Hiberni Procuratores Regem Angliæ adeunt, quos Pro-Rex fruſtra prohibere conatur.

QVia verò malis his Pro-Rex nullam admouit curationem, noſtri Senatores, qui neſcio Rege, vim hanc atque relatas iniurias inferri ſibi credebant, ad examen regium prouocant mittentes in Angliam, cum mandato cauſam agendi Baligormane Vice-Comitem, Dunbunniæ, Baronem, duos tribuum totidem Ciuitatum Procuratores plures, Rege accerſente mittuntur Ferramuye, Vice-Comes, Baro Killinnæ, duo tribuum, duo Ciuitatum, Procuratores, aliquot Iuriſconſulti, quos Deluiæ Baro, Patritius Barnaual eques auratus, & alij ſequuntur, in Procuratorum commeatum Hiberni animo libentiſſimo, & obuijs, vt aiunt manibus magnam pecuniæ ſummam conferunt quæ per Sacerdotes collecta in Angliam ad Oratores noſtros tranſmittitur.

Rex mittit Principes in Hiberniam.

Qua

Qua de re Pro-Rex factus certior hunc Catholicorum conatum reprimere frustra conatus est, quare ad iniqua consilia conuersus, die 9. Iulij 1611. publicat edictum vetans ne vlla pecuniarum, vel expensarum collectio fiat, vt hac arte Proceres, & alios Catholicorum Procuratores impediret quominus vel in Angliam se conferrent, vel ibidem subsisterent causam fidei coram Rege acturi, varias in edicto immiscet calumnias contra Ecclesiasticos, & alios Orthodoxos, spreto Pro-Regis edicto perrexerunt Catholicorum Oratores Londinum quos Rex primum magna Comitatis, & amicitiæ specie excepit, eorumque auditis querelis, quatuor hæreticos Iudices in Hiberniam misit ad inquirendam rei veritatem, illi malo animo in Fidem Orthodoxam, eiusque cultores pleni omnia contra Catholicos, cuncta Pro-Regi fauentia narrant, illum Rex innocentem declarat, & in Parlamento habito die prima Maij 1614. publice incusat Hibernos Catholicos quod voluerint auitam Fidem tam tenaciter colere habito sequente Sermone, ad Oratores Hibernos, quem illi subinde interrumpebant.

CAP. XVI.

Regis Oratio habita in Parlamento, contra Catholicos Hibernos.

Hibernorum in Fide constantia.

EQuidem nescio qua audacia quouè pudore, Hiber-
„ ni Oratores apparetis in meo conspectu, cum vos
„ atque vestrates omnes sitis non solum leuissimo animo
„ in Religionem meam, meque ipsum, sed etiam obsti-
„ natissimi Papistæ, nec Papistæ tantum Religione Ro-
„ mana estis, sed insuper vos Gentium omnium Papi-
„ stas, atque Romanos longè maximè tenaces esse pro-
„ fiteamini, & gloriemini, quod hominum genus mini-
„ mè

„ mè vos latet, eſſe mihi inuiſum, & ingratiſſimum „ magno mei odio teneri meique principatus excidium „ cupere, & moliri. Ob quam, & alias cauſas vos eſſe „ perfidos ipſi falſo inficiamini, & non veros nec inte- „ gros Clientes aut ſubiectos ſed dimidios tantum, ne- „ que dimidios quidem ego vere confirmabo, namque „ cum homo animá, & corpore conſtet, vel totam ani- „ mam, nobiliorem partem Papæ conſecratis, mihi con- „ ceditis corpus neque hoc integrum inter me, & Re- „ gem Hiſpaniꝫ diuiditis illi armato corpore ſeruientes „ mihi inerme nudum inualidum in vtile relinquentes.

„ Abſit inquit Daluiꝫ Baro Regemq;interpellat flexis „ genibus ſic loquens. Abſit Potentiſſime Chariſſimeq; „ Rex, vt Ego ſim Perfidus, qui nunquam neque fui nec „ eſſe volui non obediens, atque fidiſſimus in omnem- „ que occaſionem Regiæ dignitati defendendꝫ paratus „ nuncque malo poſſeſſionibus meis, & bonis omnibus „ carere quam non haberi fidus, vel tibi chariſſime Rex- „ vel Summo illi Deo Creatori, & Redemptori meo cu- „ ius Sacroſanctis mandatis, atque Legibus quod ob- „ ſequar non ideo moleſtior ſed longè gratior Maieſta- „ ti tuæ eſſe debebo, quod ſi fieri nequit, vt eius diui- „ no numini, tuæque regiæ celſitudini ſimul placeam, „ & obtemperem Maieſtatem tuam etiam atque etiam „ vehementer rogo, vt facias mihi facultatem demi- „ grandi cum familia in alias Regiones in quibus Chri- „ ſtiane, & Catholice ſecundum Dei Leges agere poſ- „ ſim nec perfidiæ nota inurer quo ingente beneficio „ donatus bonis omnibus libenter cedam ea Regio tuo „ arbitrio permittens nam rebus omnibus humanis „ te antefero, vnamque mihi dabis hanc veniam, vt „ tibi Deum anteponam Rex, ſurge, inquit Baro finem- „ que fac orandi ,Ego non tam de te quam de alijs que- „ ror, & ſi de te multi quoque quæſti ad me Præ- „ lati ſunt, ſed quibus vt habeam fidem vix poſſum „ adduci.

Baronis Dáluiæ pro Fide fortitudo

De-

Deinde inceptam Orationem prosequitur.

Insipida Regis exprobratio.

„ Sed vt iam de perfidia taceam intolerabiles estis
„ Hiberni , qui in tanto honore Papam habetis ,
„ in eoque vestræ salutis præsidium positum existima-
„ tis , quæ potest excogitari Ratio quam obrem pute-
„ tis animarum imperium esse Papæ , vel Episcopo Ro-
„ mano à Deo permissum , Ego iuro, & Deum obtestor,
„ si studio meo summo si quotidiana librorum lectione
„ si frequente disputatione , & colloquio cum Viris do-
„ ctissimis , si intentissima mentis cogitatione comperis-
„ sem Papam esse Christi Vicarium in terris illi , &
„ eius antecessoribus promissam esse aurhoritatem illam
„ quam Christus Petro delegauit, me non solum fuisse
„ eius Religionem atque dogmata secuturum, sed etiam
„ regem (si alicuius cliens essem) Papisticæ Religio-
„ ni aduersum inter fecturum si à Papa iuberer. Cæte-
„ rum tantum abest, vt Papa valeat authoritate Petro
„ demandata , vt habeat ius imperandi , vel præcipien-
„ di Regibus , vt nulla sit maior inscitia , & stoliditas
„ quam vestra Hiberni , qui hoc Imperium Papæ diui-
„ nitus concessum creditis. Quæ tanta tamque immanis
„ opinio certè nullo valido fundamento fulta ex ea ob-
„ stinatione proficiscitur, quod nec concionatores meos
„ viros Doctrina , & sanctitate claros, qui à vobis igno-
„ rantiæ tenebras excuterent audire , nec libros quibus
„ vera dogmata , prodita sunt legere nec Capellam, &
„ Ecclesias meas ingredi vultis obtemperantes ei Tri-
„ dentini Concilij capiti, quod ijs qui legunt libros edi-
„ tos , vel auscultant conciones hæreticas contra Eccle-
„ siam Romanam excommunicationem frustra minatur:
„ cum tamen Ecclesias meas frequentare, & Officijs Sa-
„ cris in eis interesse minime dedignantur Itali,Germa-
„ mani , Belgæ , alij externi. Quid vero rudius , & ab-
„ surdius quam ad sanctos effundere preces quos nostra
„ religio haud esse nominandos recte tradit ; Qui
„ enim

„ enim Deum alloqui poſſunt ad eius miniſtros, & ſer-
„ uos ſuperuacanee verba effutiunt. Quibus erroribus
„ Hiberni plus omnibus nationibus impliciti nullum
„ non mouetis lapidem, vt me offendatis meaque regna
„ perturbetis, habetis Romæ Petrum Lombardum, quem
„ vocatis Epiſcopum, & Doctorem, & in Hibernia Ho-
„ liuidum Ieſuitam, qui vobis perſuadent, vt filios ve-
„ ſtros in tranſmarina Collegia educandos, atque litte-
„ ris excolendos tranſmittatis, vt inde rurſus agmina-
„ tim redeuntes regnum vniuerſum ad motus concitent,
„ vos in priſtina obſtinatione confirment, ad nouas con-
„ ſpirationes atque rebelliones hortentur, ſumma, &
„ ima promiſceant Decretis Papæ paſſim circumdatis.
„ Quod nouum atque in auditum ſceleris exemplum, &
„ ſi vltore ferro poſſem optimo iure vindicare, quia ta-
„ men crudelitatem, & atrocitatem quam in alijs prin-
„ cipibus ſemper condemnaui, numquam in me poſſum
„ probare nec clientum ſanguinem ſitio ſed Pacem at-
„ que proſperitatem cupio duxi vos accerſendos, & mo-
„ nendos, veſtram culpam, veſtra delicta, Hibernorum-
„ que omnium, meumque deliberatum animum vobis
„ aperiendum quo impero vt omnes Iberni obſeruetis,
„ atque cuſtodiatis leges anno 2. Regni Eliſabethæ in
„ Anglia latas cæteraſq; quæ neceſſariȩ videantur ad Pa-
„ piſticam Religionem eneruandam, quam hactenus
„ eſtis pertinaciter profeſſi, me fruſtra renitente, & re-
„ cipiatis in Parlamento in quo meus bonus Pro-Rex,
„ qui adeſt, & de quo vos falſo eſtis queſti alij à me de-
„ ſignandi præſint.

Hic Chriſtophorus Nugentius Ibernus Eques aura-
„ tus. Nunquam (inquit) chariſſime ac potentiſſime
„ Rex anteceſſores tui ſubegerunt Ibernos ſimilibus le-
„ gibus, neq; Eliſabetha quidem Regina ſuis adſtrinxit,
„ & ſi in Anglia fuerint receptȩ quamobrem Maieſtatem
„ tuā ſupplex oro, ne nunc iniuſta illis iura condas, quȩq;
„ antea ſæpe recuſarunt, & in poſterū non recipere cō-ſti-

„ tuerunt. Quod ſi feceris vti ſperamus, totius regni
„ tranquillitate florentiſſima gaudebis.

Tunc Cookus ſummus Angliæ Iudex inſania, & fu-
„ rore actus, ſi, inquit, ſumme Rex huius hominis au-
„ daciſſimæ petitioni annuis, vtrumque regnum, Ma-
„ gnam Britanniam, & Hiberniam amittimus. Perdat
„ potius Deus hanc nequiſſimam Hibernorum gentem
„ qui efficiunt, vt in regio tuo capite Corona tremat at-
„ que penè caſura. Sequitur Magnus Angliæ Cancel-
„ larius Regem rogans, vt Chriſtophorum perfidum, &
„ proditorem pronuntiet, & in Londini arcem detrudat
„ perpetuo carceri addictum. In eandem ſententiam lo-
„ quitur Cantuarienſis Pſeudo-Archiepiſcopus Angliæ
„ Miniſtro Primas, qui longiore oratione in Hibernos
„ inuectus, ſubdit multa ſeminaria, in Hiſpania, Gallia,
„ & Belgio conſtituta eſſe ſtudioſis Hibernis erudien-
„ dis, qui iuſſu, & auxilio parentum ſuorum, conſan-
„ guineorum, & propinquorum in illa miſſi, ibidemque
„ litteris imbuti, iam Sacerdotes, Fratres atque Ieſuitæ
„ facti in Hiberniam reuertebantur totamque crebris
„ concionibus, & Papiſticâ doctrina ad motus tumultus,
„ perfidiam concitabant, & in Belgio ſub ſignis Regis
„ Hiſpaniæ ſtipendium merere ttia millia ampliuſue mi-
„ litum Hibernorum, & inter eos viros claro genere na-
„ tos amplius mille, & alios in Hiſpaniâ, & Romæ eſſe
„ qui eo omnem cogitationem intendebant, vt vires Re-
„ gis Hiſpaniæ augerent, ſui vero naturalis diminue-
„ rent. Arturus Chicheſter Hiberniæ Pro-Rex qui ſe-
„ cundum à Rege locum obtinebat, pro Chriſtophoro
„ verba fecit, illum eſſe Coronę fidum fidiſque, & nobili-
„ bus parentibus ortum, plus eius adoleſcentiæ quã alijs
„ cõdonandum. Cæteri quoque Hiberni Oratores Chri-
„ ſtophori reſponſum cõfirmarunt dicentes ſe ab vniuerſo
„ Hiberniæ Regno in mandatis habere ne vnquã à Ca-
„ tholica Fide, & Religione deſciſcant ſeque pro illa ſan-
„ guinem, ſi ſit opus effuſuros idemque facturos omnes
„ Hiberno genere natos.

CAP.

CAP. XVII.

Obseruatio, & Relatio Authoris Anonimi Coloniæ impressi 1617. de constantia Hibernorum in Fide Catholica, in Paragraphos diuisa.

§. 1.

Hibernorum propensio ad fidem retinendam.

PRædictus Author art. 3. in hoc, inquit, Hibernia nulli secunda est, & plerisque etiam ante cellit, quod in Ortodoxa Fide, & Religione Catholica medullitus retinenda, & vniuerse pro omni sensu, ætate ordine gradu conditione hominum amplectenda, & corde animoque, quod omnes admirari, & Dei misericordiam exaltare possint omnia sibi postponenda existimet, omnes quippe Hiberni suo quasi instinctu duci, & à bono genio ita trahi ad hanc solam credendi normam videas, vt si qui ex indigenis in aduersum rapiantur, illi, & paucissimi sint, & plerumque non alij quam politici simulatores, aut dissimulatores Atheistæ, qui etiam ipsi sub vitæ vesperam quando alterius sæculi cogitatio remordet, & spes cæca huius mundi fatiscit suam salutem non audent concredere alijs quam Romanæ Fidei Depositarijs.

§. 2.

Causæ huius constantiæ.

* Prima causa huius constantiæ est ipsa effrænata libertas, & summa disciplinæ laxitas morumq; dissolutio, vel permittendo, vel etiam percipiendo prodiens enouatorum officina carnis indulgentia sensuum oblectatio, appetituum fluxus, & irritatio, falsa promissa conscientiæ securitas, & certitudo salutis dummodo ipsorum

 scien-

ſcientiæ, & dogmati de ſola fide iuſtificante Simonis Magi inuento mordicus adhæreſcas, nulla ieiunia, vigiliæ nullæ, nulla bonorum operum neceſſitas, omnia libidinis fomenta. Alias nationes conſpicimus huic noſtræ Inſulæ circum Iectas, quæ hac ſola voluptatis illecebra deceptæ voluptatis eſca delinitæ ſeſe in reprobum ſenſum ſuo nutu tradiderunt: ſed iſta irritabula tentationum Deo melius prouidente, abhorrentes Catholici retundunt intuentes in ſpem alterius vitæ, & repromiſſionis ſupernæ.

Secunda cauſa conſtantiæ, conditio docentium, & vrgentium, pars aduerſaria hanc cauſam extinguere molita eſt, & quod de maſculis Hebræorum in Ægypto edixerat Pharao, vt ſtatim ac in lucem eſſent editi lucem, & vitam eis adimerent, ita Dæmon omni via, vi & dolo machinatur hanc maſculam virtutem Hibernorum ſubneruare, & elidere. Quid igitur non tentauit hæreſis, vt hanc conſtantiam labefactaret, edicta promulgauit, ſæpius ingeminauit contra Ortodoxæ Religionis aſſertores, & eorum receptatores, quos partim Regia voluntate partim ex authoritate Comitiorum proſcribi oportere, & veluti peſtes Reipublicæ exilio mulctari, facultatibus priuari, in exilium ablegari, vel in perpetuos carceres mancipari certo, & definito conſilio decretum fuerat, quod exemplis, & documentis cumplurium qui grauia pro eadem cauſa paſſi ſunt luculenter comprobatur.

§. 3.

Ruinæ Catholicis Hiberni s intentatæ, & pœnæ inflictæ.

Sub Rege Iacobo Primo dum intenta erat tota natio in erogando illo ſubſidio, quod in oſtenſionem grati, & erga Regem bene affecti animi in dictum in Regni Comitijs quo ad primam penſitationem perſolutum eſt nulla exultationis materia, nulla lætitia; nullum gaudium conſecutum eſt quin potius luctus, & mœror vani

muni-

municipatus, & vrbani Magiſtratus, quibus tam nouo quam veteri priuilegio mos erat de ſuæ communitatis corpore aſſumere, & ad Ciuicam adminiſtrationem, & Oppidanum regimen iam nonnulli longinque euocati eſſent, & quia detractarent iuramentum Regij Primatus reſtricti, prius, & à ſua libertate coerciti mox etiam officijs abdicati domum remeare iuſſi ſunt, cęteris autem nondum citatis, inſonuit grauis comminatio ſeuere omnes puniẽdos ſecutura animaduerſionẽ quantocius iuramento ſubſcriberent. Grauior ictus intonuit quęſitoribus iuratis in poſtremo conuentu iuridico, quod ſolet quolibet ſemeſtre per ſingulos Comitatus peragi, quod nollent reclamante conſcientia ſuos conciues de religionis conſortio accuſare, aut tamquam alicuius flagitij compertos prodere iudicibus caſtigandos pro Catholicę Religionis exercitio, alij grauibus mulctis onerati ſunt alij citationibus, & mandatis compulſi ſe ſiſtere Pro-Regis, & concilij ſanctioris conſpectui, moleſtias longi, & lutoſi itineris hyeme perpeſſi poſtquam comparuiſſent, & ſibi in ſententia conſtitiſſent de non prodendis in cauſa Religionis Catholicæ ſuis ciuibus in carcerem infimum detruſi fuere.

§. 4.

Renouantur minæ incarceratis ni Miniſtros Eccleſiaſticos reuelent.

Hic recluſis ſignificatum fuit miſſo ſæpius apparitore à ſupremo Senatu, niſi denunciaſſent Catholicorum nomina qui diebus Feſtis, & Dominicis abeſſe ſolerent ab Eccleſijs, & officijs ſchiſmaticis, vt ex præſcripto punirentur palam, & cum publica periurij infamia abducendi per plateas Regiæ Ciuitatis, cum inſcriptione frontibus affixa, quod quia, & præuaricatores eſſent iuramenti ſui, & legum ac ſtatutorum Regni iſta pœna plecterentur, ſed fruſtra hæc illis toties repetita cantilena, perſiſtere omnes inuicti, nec prius ergaſtulo dimiſſi,

quam

quam de pœna pecuniaria fisco regio pendenda in certum diem idoneos fideiussores interposuissent.

§. 5.

Ridicula Pseudo-Præsulum censura ingens pecuniariæ mulctæ summa ab Hibernis in odium fidei extorta.

* Erat illis terminis autumnalibus anni 1617. tam numerosum hoc agmen iuratorum siue iudicum Catholicorum, vt confertim in carcerem compingerentur, & eo vsque increuerunt mulctæ cum expensis incarceratis impositæ, vt summam sexdecim millium scutorum superauerint, sed quid dicendum de sexdecim millibus, cum in vno solo districtu siue Comitatu quodam, qui nec amplissimus erat, nec opulentissimus, sed è minutioribus totius Regni accenseri potuit, in quo inquam census ille mulctatitius, pro constantia in religione vno anno pertingebat ad octo aureorum millia præter alias exactiones aratrales, & stipendia collectorum quæ tamquam vsuræ vsurarum dependebantur, vt districtus præfati portio pro sola religionis causa perueniret, ad triginta millia scuta monetæ Romanæ, perpende quid reliqui Comitatus qui numero sunt triginta circiter pro hac ipsa causa omnibus communi soluerit, vt tota summa, exceptis iuribus regijs potuerit facile peruenire ad octoginta millia scutorum monetæ Romanæ. Fuit, & alia non minus acerba quorumdam tribulatio de censura ridiculæ excommunicationis amimicis, & Pseudo-Pręsulibus euibrata contra nonnullos Catholicos, quos in magnas miserias coegerat, procedendo contra eos tamquam contumaces, & in semper spernenda censura insordescentes, vt nec liberum commercium habere, nec suam exercere negotiationem mercatoribus liceat, nec domo egredi tutum esset, quin statim à publico apparitore deprehensi in arctam custodiam recluderentur, sic amoti ab omni præsidio iuris, vt prouocari quidem, & in iudicio impeti possent, nullam vero de quacumque

Ingens summa Catholicis imposita.

re,

re, fas ipſis eſſet litem cuipiam intentare, dum his non-obſtantibus illi in vera fide perſiſterent, laſſi crudelitatis Miniſtri declararunt, eiuſmodi excommunicatos indulto Regio fuiſſe abſolutos, tam breui ſpatio durauit indultum, vt liberatis rurſus irretitijs quibus antea vincti cōpedibus iterum illa hæreticum dictauit ingenium, ſeſe in hoc ſolati, in cauſâ iuſtâ ſe pœnam ſuſtinuiſſe in iuſtæ ſententiæ in ſuis conſcientijs ſecuri, iſtas ſectariorum fulminationes eſſe tamquam ignem fatuum, qui fulgore ſuo magis perſtringit oculos, quam valore perſtringat animas aut vllo vulnere feriret effulminatos, adeo Hibernorum pectoribus veræ fidei ſenſus inhærebat, vt ludicris eiuſmodi cenſuris nihil mouerentur, quin porrò ex diuino ſane beneficio ita noſtrates in hac ſunt fide ſtabiles, vt quos admittunt aduenas alienæ profeſſionis poſtquam ex incolarum cohabitatione incaleſcunt, vel ipſi vel quas germinarunt ſoboles in eandem Ortodoxæ Fidei vnionem coaleſcant, id quod ita perſuaſum fuit Regi tunc temporis imperanti, non de hominibus modo ſed de ipſis quodammodo iumentis, vt cum generoſiſſimum equum illi donaret *Ciceſtrius* Pro-Rex ſciſcitatus ille an ex Hiberniâ eſſet, vbi reſciuit protinus ſubiunxerit Papiſtam eſſe oportere.

§. 6.

Regis Miniſter fatetur omnem conatum in auertendis à fide Hibernis eſſe inanem.

Et quamuis ab hæreticis adhibitus fuerit fucus ad decipiendum, lenocinium ad alliciendum, irritamentum ad ſollicitandum ruinæ ad perterrendum omnia tamen in caſſum neque hilum profecerunt, & magis illos ad ſe Hiberni Catholici attrahebant quam attrahebantur ab ipſis, id quod ſummam admirationem peperit cuidam in Anglia Regio Miniſtro, qui ſtupore de fixus, & plane attonitus de conſtantia Hibernorum omnem operam, & oleum perdi dixit in Hibernia confœderanda Eccleſiæ

Britannicę quãdo quidem illi ipsi qui in eum finem mittebantur, operarij adeo nihil in isto opere promouerent ipsi potius promouerentur ab Hibernis ad eandem cum ipsis colendam fidem, vt ita impleretur vaticinium illud *venerunt Vinitores tui, & destruentes te*, & capientes eos qui se ceperant, vt quod de Saule scriptum est in cuneo prophetarum prophetasse, & quos præmiserat lictores, & nuntios idem fecisse.

§. 7.

De Hibernis peruertendis desperat Pro-Rex.

* Ad hanc dexteræ excelsi mutationem sic obstupuere ipsi aduersarij, vt Pro-Rex Cicestrius palam dixerit se nescisse vnde ista prouenerit Ecclesiæ Romanæ tenacitas in præcordijs Hibernorum nisi vel gleba, inquit, sit infecta vel pollutus aer vel ipsum Clima constupratum immunditijs, & fecibus fidei Pontificiæ cui cætera omnia post habenda, & fidelitatem erga Regem, & obseruantiam erga eius ministros, & curam posteritatis totumque statum suum summâ pertinaciâ (constantia melius dixisset) decreuerint ita homo hæreticus de eorum peruersione desperans.

§. 8.

Aliæ machinationes contra Hibernos frustra excogitatæ eorum erga Regem fides.

Perdurante Hibernorum in fide constantia in colloquio in Anglia habito inter alia cõsulta quibus inter fuit Guillelmus Barlous Spermologus Doctor hæreticus ita refert. Quarto, inquit, loco deliberandum erat de ordinandis destinandisque prædicatoribus in Hiberniam cuius non sum, inquit Regia Maiestas nisi dimidiatus Rex, qui corporibus eorum cumpotiar, tamen animæ seductæ sunt per Papismũ instituũtur visitatores in Hibernia nil faciũt. Inter alios Apostata vnus libidinis ęstu, adulterio venerea lue infamis missus nihil efficit. Ad hæc indicuntur

cuntur à Ciceſtrio affligendis Catholicis comitia in horum apparatu quoſcumque inſidiarum tendiculos ordiebantur aduerſarij in exterminum noſtræ Religionis velut telas aranearum difflauerat Catholicæ nationis conſtantia.

* In his omnibus aduerſitatibus pro fide paſſis, & toleratis nunquam Catholici Hiberni ab obſequio Regio diſcedere voluerunt.

§. 9.

Hibernorum in Fide conſtantia immobilis.

* Quis crederet, inquit, author ſupradictus gentem, tam ſinceram, tam diſciſſam, tam exarmatam, & exanimatam, tam mente conſternatam potuiſſe huc vſque exercere viuum, & viuacem ſpiritum ſuæ fidei contra tela nequiſſimi ignea niſi cœleſti adiutorio erigeret Deus, & eligeret infirma mundi, vt fortia confunderet.

§. 10.

Nouus Pro-Rex inſultat, & minatur Orthodoxis Hibernis; quibus à Rege negatur audientia.

* Ciceſtrium officio defunctum, & in Angliam profectum ſecuti ſunt Catholici plures querelas Regi expoſitum, ſed irrito conatu negata audientia inficiato defenſionis loco inſtituitur nouus Pro-Rex Oliuerius Sin-Iohannes anno 1617. aduectus in Hiberniam, mox inuehitur in Catholicos immanem ſocordiam, & lenitatẽ illorum, qui cum imperio præerant, quod non vehementius in ſecuti fuerint Catholicos Sacerdotes eorumque receptores, quod non grauius oneraſſent Catholicos Magiſtratus eorumque electores, quod non ſeuerius caſtigaſſent iuratoſquæſitores, ſiue Iudices, vt aiunt Criminales, qui præſentare recuſarunt, circumtuli, inquit, oculorum aciem per omnem vſque quaque partem, nec vllam inuenio cauſam quare ſubditi, ita obnitantur ſuo principi, eiuſque imperata facere detre-

ctant, circum feram iam aciem meæ potestatis, quam in omnes distringam sine discrimine à summo vsque ad infimum, & singuli sentient Regis indignationem, & meam, iussi pareant mandatis, quidquid leges tulerint, quidquid prærogatiua Regia totum exeram in istos refractarios, vt confundantur vel contundantur. Hæc ille Blatero.

§. 11.

Pro-Rex destinat apparitores, & lictores contra Catholicos noua stratagemata, & pœnas excogitat, carceres implet.

* Dictum factum expediuntur armati lictores quęruntur eminentiores, & opulentiores ex Ciuibus Dublinienſibus ex quibus alij capti fuere, alij fugam arripuere, damnum ad nonnullos terror ad omnes peruenit. Missi fuerunt cum amplissimis mandatis præfecti, quos Mareſchallos vocant in diuerſas Prouincias, vt comprehenderent Sacerdotes, singuli instructi satis equitatu, & peditatu idoneo depascentes patriam per vicos, & pagos, huius infelicis miseriæ infelix origo Henricus Octauus, nam sicut Ieroboam, postquam in Bethel erexisset vitulos aureos ad Montem Thabor, & Inispha, & Masphat (quæ loca ducebant via recta in Ierusalem) armatos milites in insidijs posuit, vt Israelitas Ierosolymam ituros diuerterent, vulnerarent vel caperent. Sic factum ab Henrico in erectione sui primatus seu fantastici idoli, ex ista Cloaca Henricianæ impuritatis emanarunt, hæc pęnarum fluenta publicatum fuit edictum Dublinij, facultas commissa cuidā Ioanni Boytono in omnes Ortodoxos Sacerdotes inquirendos, capti sunt nonnulli, incarcerati nobiles receptatores, & quia quæsitores seu iudices criminales Catholicos corrumpere non potuerunt, aduersarij pro maiori parte mulctis exhaustos, & carceribus fatigatos moliti sunt ex resperſis inter Catholicos hærericis iuratorum numerum ita explere vt cum illos isti enormiter excesserint sententiam criminalem ipsi conficiebant, & Catholicos ad tribunalia tam-

quam

quam reos deferebant, hoc artificio ſub id ipſum tempus ex ſolo Comitatu Midenſi delati fuerunt bis mille circiter Catholici in vno trimeſtri, in Dublinienſi Darenſi, & alibi paſſim etiam ſimili techna plurimi alij fuerunt denuntiati, initur conſultatio per aduerſarios, quomodo propagetur hæreſis, conuenitur de plantatione hęreticorum in Vltonia confinibus Conaciæ, & Lageniæ, in quibus ait conſultatio proteſtantes ſunt numero pauciſſimi inter omnes Hiberniæ partes.

§. 12.
Hæreſi conceſſa facultas in Anglia graſſandi.

* Citatur ab authore ſuplicatio ad Elizabetham qua petitur iterum reuocentur leges ab Henrico Octauo poſt ſciſma latæ, & reuocetur decretum Philippi, & Mariæ de illis annullandis item reuocetur, & caſſetur eorumdem decretum quo iubebantur periuri Hæretici diſcedere quo declarat Parlamentum ſe velle fouere, & amplecti omnes hæreſes.

§. 13.
Nouum Idolum in Anglia erectum viz. Fœmina declarata Caput Eccleſiæ.

* Rurſus format iuramentum primatus quo in hunc modum iuratur ego A. B. teſtificor, & declaro penitus in mea conſcientia quod Reginæ Maieſtas eſt ſola ſuprema gubernatrix huius Regni, & omnium aliorum ſuorum Dominiorum, & ditionum in omnibus ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis rebus, aut cauſis æque, ac in temporalibus. Sic conſtabilitur Primatus Eccleſiaſticus in capite Mytra diademati appenditur, tranſit ridicula metamorphoſi Virginis Saliaris procolo, cum Sceptro, & pede, Stola Paſtoralis iubet inſtitui nouos ritus nouam formam, nouas preces, noua Eccleſiaſtici ordinis primiceriaquæ quia non admittebantur à Catholicis, mulctis, & pænis ſubiacuere obnoxij.

§. 14.

Debachantur Hæretici in Hibernos euertunt Statutum Henrici Secundi de Ordinibus, & Comitijs Regni, nouum Edictum.

* Currebant per Oppida vicos campos, Commiſſarij delegati inquirentes Hibernos in cauſa Religionis, minas, & terrores circumferebant, Ortodoxorum tamen numerus ſub omni grandine creuit. Henricus Secundus formam tradidit conuocandi Parlamenti Hibernici ex quibus membris conſiſtere debet in quorum Enumeratione poſt proceres Eccleſiaſticos conſtituit Procuratores Eccleſiarum, ſeu communes qui repreſentent corpus totius Cleri quemadmodum poſt proceres, ſæculares, in ordine laicali equites, Ciues Burgenſes repræſentant totum corpus, Comitatuum, Ciuitatum, Oppidorum hoc Statutum abolerunt Hæretici.

Anno 1614. Iacobus Rex publicat alterum edictum contra Prælatos Eccleſiaſticos, Catholicos, Religioſos, Seminariſtas, Sacerdotes iubetque vt ex Hibernia diſcedant.

EPILOGVS

Totius Sectionis de modo conſeruatæ, tum conſeruandæ Fidei in Hibernia.

HActenus retulimus acerbas Hibernorum pro Fide perſecutiones ſimulque inuictam eorum in ijs perferendis conſtantiam, quam etiam commemorat Cardinalis Bentiuolius in ſuis relationibus parte 2. cap. 5. aitque Fidem in Hibernia fuiſſe conſeruatam ope, & auxilio Eccleſiaſticorum tam Sæcularium, quam Regularium diuerſorum Ordinum Sanctorum Bernardi, Dominici, & præſertim Sancti Franciſci Regularis Obſeruantiæ, ac

etiam

etiam nonnullorum Iesuitarum, & similiter vt idem obseruat Hibernia in his omnibus calamitatibus hoc egit vt Ecclesiasticam conseruaret Hierarchiam quam sub tyrannide Oliueri Cronwelli labefactatam restituere,& demum renouare zelanti studio sategit Illustrissimus,& Reuerendiss. Dom. Petrus Barzelinus Patritius Bononiensis Apostolicæ Sedis apud Christianissimum Regem Ludouicum XIV. Nuntius, qui prudentissime considerans quantum pereclitarentur Oues Christi sine Pastore palantes adeoque luporum morsibus expositæ egit omni qua potuit diligentia, & apud Summum Pontificem Clementem Nonum,& apud Serenissimam Reginam Angliæ Caroli II. & Iacobi II. nunc Regnantis Matrem vt Viduatis Ecclesijs præficerentur Antistites; hinc factum vt in Dubliniensi Ecclesia instituueretur D. Petrus Talbotus Richardi Comitis de Tirchonell, hodie causam Fidei Regis, & patriæ tam fortiter, tamque fœliciter Agentis Germanus Frater: in Ecclesia Armachana similiter institutus fuit D. Oliuerius Ploncket, in Ecclesia Cassellensi D. Ioannes Bourgath, in Ecclesia Tuamensi D. Iacobus Linche fuitque similiter non nullis alijs Ecclesijs prouisum. Ita dignissimus ille Prælatus non solum munus Apostolici Nuntij exercuit in Gallia,sed etiam suam sollicitudinem voluit pro Fide conseruanda in Hiberniam extendere S. Ecclesiam ibi pereclitantem iterum restaurare, Monitum D. Gregorij Magni ad S. Augustinum de creandis in Anglia Episcopis animarum saluti inuigilaturis secutus, tum etiam sequentem Antistitis Hiberni ad Sac. Congreg. Propag. Fidei admonitionem.

Dom. Petri Barzellini pro Hibernia Zelus.

Sanè, inquit Antistes ille, si quibus gignuntur, & conseruantur res naturales, in hoc cœlesti opere salutis animarum, non inepte quispiam dixerit, eandem patrum, & pastorum seriem qui filios parturierunt, in quibus formatus est Christus, appositam esse rationem alendi, & fouendi prolem quam pepererunt; itaque cum Hibernia in multa Episcoporum, & Pastorum Vi-

gi-

gilantia, Christum Dominum suscepit, eiusque Sanctum nomen in Sacra Hierarchia omnino venerata sit, si Christi Fidem in hoc Regno Sartam tectam volumus, tutelarem Fidei Hierarchiam interrumpi non patiemur, magno enim Dei munere in illa gente plus valet ad conseruandam antiquorum rituum reuerentiam, latescentis, & omni pompa spoliati Episcopi nudum nomen, quam in alijs locis moueant Antistitum phaleræ, & qui dignitatem decent, magnifici apparatus; maneat ergo persuasum, ad fidei conseruationem, plurimum conferre, bonorum Antistitum perpetuam successionem: cumque in Hibernia iam pauciores, sint, quam vastissimæ Prouinciæ requirat necessitas plane pro locorum indigentia, de aliquibus prouideri debet. Hæc præsul ille pro zelo conseruandæ Fidei, pro salute animarum procuranda, contra quosdam hodie in Hibernia præsules qui de prædicta salute parum soliciti astutis artibus sibi intus canentes tot Diœcesas vacuas, ac destitutas prouideri impediunt, quod impedimentum Illustrissimus D. Barzelinus vt supra vidimus suo tempore sustulit.

APPENDIX

Ad hanc Sectionem.

CAPVT PRIMVM.

Breue Chronicon, belli Hibernici contra perduelles Parlamentarios.

Filum historiæ præfati belli à me fusius descriptæ interrumpere coegit expensarum penuria, vnde paucis eam hic complector.

Igitur anno 1641. dominante in inferiore Anglicano Parlamenti cõsessu Puritana colluuie stultam suam Oligarchiam, seu potius Anarchiam machinante, Re-

gio

gio Caroli primi iugulo, & Catholicorum Britannicæ Monarchiæ ceruicibus insidiante, nostrates Hiberni sibi suæque orthodoxæ fidei metuentes ad arma concurrerunt: his motibus nimia Hæreticorum crudelitas fomenta suppeditauit, non pueris, non fœminis, non senibus, nulli conditioni parcebat Hæresis, quin sæuitia infamis, & atrox fuit Carolus Cootius Hibernici sanguinis sitientissimus hostis, fœdus ineunt Catholici de pristina recuperanda libertate, de publico Catholicæ religionis exercitio acquirendo, de immani hæresis excutiendo iugo, de Regia prerogatiua Sarta tecta conseruanda, Parlamentarij rebelles his omnibus contraria moliuntnr; per quatuor annos res Caiholicorum prospere successerunt, restitutus publicus fidei cultus, & ædes sacræ recuperatæ, Viduis Ecclesijs præfecti Antistites, parrochijs prouisi Pastores, religiosi ordines iuxta sua instituta viuere.

Suprema regni administratio penes concilium Supremum Kilkenniæ, ex Hibernis proceribus & fœderatis ordinibus congregatum, nutui Regis sujectum, potiora loca mediterranea Regni in Catholicorum potestatem erant redacta, loca maritima pleraque Hæretici possidebant, motus Hibernicos componere volens Carolus primus pacis ineundæ conditiones cum Catholicis Hibernis Ormondio mittit, Dublinij Pro-Regis fungenti officio, erat is Iacobus Butler tunc Comes, post Marchio, & temporis successu Dux ac Princeps Palatinus, homo hæreticus, astutus, Hiberniæ patriæ suæ uti rei probauit euentus Bustum conditiones prædictæ omnino faucbant Catholicæ Religionis exercitio, refixis etiam siue abrogatis legibus pænalibus in Catholicos olim latis; Ormondius tempori seruire coactus cum fœderatis Catholicis inducias paciscitur, illi vicissim summam triginta millium octingentarum librarum sterlinarum, seu centum viginti-trium millium scutorum Romanorum Ormondio numerarunt, ut copias & suppetias in An-

gliam ad Regis obsequium à perduellibus parlamentarijs infestati transmitteret; pacem cum suis vassallis Catholicis Rex optabat, repetitis vicibus Ormondio scripsit nullam conditionem reputabat, duram ut illa concluderetur, & ea conclusa opportuniora ex Hibernia subsidia haberet, sed versipellis Ormondius Catholicæ causæ semper infestus moras moris nectere, tergiuersationes interponere ne illi fauorabiles, & fidei, & patriæ assequerentur conditiones.

Quibus intellectis Rex Herberto Raglandiæ Baroni, Comiti Clanmorgiæ creato, Religione Catholico, fœderatis Hibernis gratissimo plenissimam facultatem concessit omnia Hibernis Catholicis indulgendi, quæ necessitas suaderet, & cogeret; iuit ille in Hiberniam verbo & authoritate regia fultus, pacem iniuit orthodoxæ fidei fauentem, res ea Ormondio bilem commouit, quare ad solitas artes conuersus Regem induxit ut datam Clanmorgio facultatem negaret, pacem rescinderet; dictum factum. Inter hæc Vrbanus VIII. Dom. Petrum Franciscum Scarumpum pedemontanum, Congregationis Oratorij Virum nobilissimum in Hiberniam amandat Regno & Regni proceribus gratissimum, post hunc Innocentius decimus Archiepiscopum Firmanum Rinucinum virum natalibus illustrem Nuncium Apostolicum cum pecuniario subsidio destinat: vnionem Fœderatorum Catholicorum non ferens Ormondius, serendarum dissensionum subtilis author, & malorum Hiberniæ artifex, alteram effinxit pacem, sæcularibus fauentem, Ecclesiasticis aduersam, hanc Clerus abjecit, multi sæculares, contempta censura contra eam edita complexi sunt, hinc dissidia, hinc contentiones, hinc exortæ discordiæ, & tandem ex discordiis Regni & rei Catholicæ præcipitium. Interim Fœderatorum Ordinum copiæ expugnarunt Arcem Duncanouæ, aliaque munimenta, à fidei & Regis hostibus possessa, tantæ prosperitati Ormondius invidens vrbem arcemque

Dubli-

Dublinienſem & alia loca inde dependentia pactis conditionibus Regis & Regni Hiberniæ hoſtibus parlamentarijs extradit, in Galliam profectus.

Eugenius Onellus è nobiliſſima familia Scotos parlamentarios numero ſuperiores in vltonia ad locum dictum *Benborbum* fundit penitus & fugat; è contra Thomæ Bræſton è Comitibus de Gormanſton ſtrategi copiæ die ſeptima Auguſti 1647. ad lincies Knoche fuſæ & cæſæ, innata Hæreticis perfidia, qui datam fidem ſi arma ponerent, violantes, exarmatos milites ad quinque circiter millia perfide interfecerunt, cautiores Scoti Catholici ſub Hibernorum ſignis merentes, non prius occubuerunt quam ſingulari fortitudine hoſtilem ſanguinem ſuæ morti large, fuſeque litarunt; huius infauſti prælij memini, dum quinque tantum milliaribus à loco certaminis diſtans adoleſcentulus fugientes, palanteſque Equites obſeruaui, alteram in Momonia victoriam reportarunt de Catholicis perduelles Duce Mauritio Obrien Barone de Incequino, vbi glorioſè occubuit Alexander Macdonell Hibernus, in multis prælijs in Scotia victor cui cecinit quidam.

Orbis Alexandros tres magnos, magnus adorat,
Arte manuque Duces, Marte animiſque pares;
Primus erat Macedo, Parmenſis, & alter: Hibernus
Tertius hoc tegitur marmore, &c.

Parlamentarij rebelles victoriis de Rege, & fidelibus ſubditis reportatis ſuperbi Regiæ authoritati bellum indicunt, ſtatutis his Principijs Regem eſſe populo inferiorem, Reges non eſſe magis à Deo quam Tyranni, ſuam authoritatem à populo habere, à populo poſſe corripi, caſtigari, deponi, à populo leges debere Condi cui Rex obediat, regimen ciuile & Eccleſiaſticum debere eſſe paris authoritatis; ex his aphoriſmis Angliæ fluctus & motus emergunt, hoc veneno correpti

velut æſtro perciti Hæretici Angli omnia ſuſque deque vertunt, neſcis quid velint, ebrio furore & præcipiti inſania rapti vt hodiè in Auriaco videmus, cui tanquam viliſſima mancipia ſunt ſubſtrati.

Nuncius Apoſtolicus Rinucinus creſcentes Ormondij artibus diſſenſiones perſpiciens, & de meliore rerum ſucceſſu deſperans, clerumque & populum mutuo diſcordantes aduertens abijt in Galliam, Romam rediturus: Ormondius opibus, poſſeſſionibus, parentibus inter Hibernos Catholicos potens aſtu & arte iterum authoritate Pro-Regis obtenta, malis auibus in Hiberniam regreditur ſupremam rerum adminiſtrationem adeptus, vbi ſeminata olim diſſidia propagauit, Dublinij obſidionem turpiter ſoluit, Cromuello liberam Regni invadendi anſam præbuit, tandem perfida illius præualente fraude & proditione, graſſante peſte, exanimatis Catholicis ex Regno in Hiſpaniam & alias partes invitatis, fido & Catholico Duce deſtitutis, à perfido hæretico gubernante Hibernia in rebellium parlamentariorum poteſtatem conceſſit.

Tantam prædam parlamentarij aſſecuti Eccleſiaſticos è Regno relegarunt, Catholicos proceres & nobiles bonis & poſſeſſionibus ſpoliarunt, ſtatutis execrandis quibuſdam articulis quibus Catholica Hibernorum natio penitus exſcinderetur, de quibus omnibus alias fuſius. Malorum author præcipuus in tribus Regnis Oliuerus Cromuuell Anglus, honeſto alioqui loco natus Farfaxij perduellis aſſecla, factionis parlamentariæ vile mancipium, fucatus & ingenioſus hypocrita Regiæ Majeſtatis hoſtis, ſupremæ tamen authoritatis ambitioſiſſimus, ſeditionum fax, gloriæ auidus, nouarum rerum machinator, Angliæ & Britannicarum ditionum peſtis, Buſtum, homo peritè mendax, ſubtiliter perfidus, datæ fidei tranſgreſſor perpetuus, Tyrannus, Regicida, Acheronta commouit, Monarchiamque totam Fædo vaſtauit incendio. His addendum ex authore fide

digno

digno belli Hibernici oculari teste ex parlamentarijs antequam subjugarunt Hiberniam in eodem bello supra centum octoginta millia militum cecidisse;

CAPVT II.

De mala Ormondij administratione extorsionibus, & male partis diuitijs.

ANonymus auctor Anglice compositus, & inscriptus inhumanus fidelium Subditorum, & amicorum desertor, impressus anno 1676. Parisijs approbatus eodem anno 12. Februarij, fuse narrat, & describit artes, dolos, & fraudes quibus Iacobus Butlerus Ormondiæ Dux Hiberniam prodidit, hostium potestati subiecit, Hibernos Catholicos præcipuè nobiles ad summas angustias, & bonorum iacturam redegit ingentem pecuniæ summam corrasit, amplas, & vastas possessiones acquisiuit ius, fasque euertit, iustitiam venalem exposuit, non Regi non patriæ, sed suis proprijs commodis seruiuit, ego pauca delibaui, & quæstiones hac de re ab authore propositas latinè verti.

Circa debitam Regni administrationem quærit, an annua vectigalia Regia bene administrata sufficerent, communibus expensis? Secundo ex defectu debitæ administrationis reddituum Regiorum Ormondus ex Anglia obtinuit ducenta millia librarum sterlinarum, quæ conficiunt scuta octo centena millia. Tertio ex dispositione Parlamenti Hibernici ordinata fuere ad satisfaciendum eidem Ormondio trecenta sexaginta millia librarum, siue quatuordecim centena millia scutorum. Quarto ex stipendijs militaribus, & sectorum redditibus, collegit quatuor centena millia scutorum vt tota summa ascenderit ad vicies, & quinquies centena millia, quibus addi possunt duodecies alia centena millia scu-

torum ex officijs venalibus collecta tandem queritur author de astu quo Ormondius seminauit in orthodoxos zizania vt proinde iactauerit se optatum attigisse scopum, inquiens per scomma diuisum est cor Catholicorum, iam interibunt, habuit à Rege amplam anthoritatem concedendi ijsdem Catholicis fauorabiles conditiones illusit Regi, fefellit Catholicos, Dubliniensem Ciuitatem, & arcem prodidit Parlamentarijs. Obtulit Rex indemnitatem omnibus Hibernis, hanc ne assequerentur Ormondius impediuit, voluit idem Rex ablata bona eisdem restituere, opposuit se Ormondius, & decretum de bonorum Hibernicorum confiscatione per tyrannum Cromuellum conditum, de quo quædam epistola late conqueritur Ormondius confirmari curauit, patriæ suæ bustum, & malorum author, sed quid expectandum à viro Hæretico, qui Deum, Fidem, Conscientiam, & Pietatem in patriam abiecit.

CAPVT III.

Articuli per Parlamentarios fabricati ad exscindendos penitus Orthodoxos Hibernos.

CVm Parlamentarij rerum in Hibernia potirentur conceptum iampridem in Hibernos liuoris, & odij Virus emouere certi, statuunt vt sequitur primo caueatur vt nullus Scolaris nationis Hibernicæ permittatur docere scribendi, loquendi, aut numerandi artem.

2. Vt nemo mittat suos filios trans mare ad vlla Seminaria, Studiorum, vel Scientiarum addiscendarum causa, sub pœna confiscationis suorum bonorum, & inhabilitatis ad obtinendas libertates Vassallorum in eadem Hibernica natione.

3. Vt nullus cuius parentes fuerunt in Hibernia nati admittatur ad tyrocinium vllius artis, vel professionis exer-

exercendum in vllo Oppido, vel loco mercatorio.

4. Vt nullus natione Hibernus admittatur, vel publicè, vel priuatim ad vllas functiones, vel officia.

5. Vt nulla officia conferantur vllis Hibernis vbi reperiri poterit Anglus ad eadem aptus, sed permittatur vt sint dumtaxat coloni, vel opifices, & eorum operibus imponatur certum pretium, quod naturæ sustentandæ nude sufficiat, & non ad cumulandas opes excrescat, vel ad promouendos suos filios conducat, sed quod eos contineat intra lineam, & conditionem colonorum, & Vassallorum nostrorum, vt ita omnem spem, & animum despondeant nunquam amplius respirandi, vel altius resurgendi.

6. Vt nobiles Hiberni, recludantur in aliquo munito districtu, & præsidijs bene instructo certis limitibus circumdato extra quos si inueniantur, militibus liceat eosdem bonis, & vita priuare tanquam rebelles, & ex leges.

7. Vt Hiberni villici & Coloni admittantur ad præsens viuere sub nostris locatoribus ad tres solummodo annos, grauissimo illis vectigali imposito, vt non habeant nisi nudum victum & amictum, qui modus cum illis agendi magna Reipublicæ pariet emolumenta, & ipsos ad tantas redigет angustias & miserias vt velut seruos locatorum obsequio se sint mancipaturi.

8. Vt omnes filij masculi Hiberni decimum quartum agentes annum terra marique nostro mancipentur obsequio, vt suo sanguine luant cruorem Anglicanum per eorum populares effusum.

9. Vt qui alit, fouet, vel hospitio recipit quemquam, Romanæ sedis authoritate suffultum, vel eius doctrinæ Adhærentem, habeatur reus læsæ maiestatis.

10. Vt mulieres Hibernæ nunc numerosiores, adeoque prostitutioni obnoxiæ vendantur mercatoribus, & transportentur in Virginiam, nouam Angliam, Iamecam vel alias regiones ut ibidem pro victu laborent.

11. Vt milites Hiberni exarmentur & strictè inhibeatur

beatur omnibus Ducibus & Strategis ut neminem ex Hibernica natione nequidem ut peditem militare sinant.

12. Vt Hiberni nobiles quorum patres non fuerunt Angli iubeantur sub pœna capitis in suis galeris gerere spiras flauas, & alij homines inferioris ordinis in genis dextris portent nigram & rotundam esseram ad instar nummi sex assium, quàm si non portauerint pro prima vice inuratur eis in eodem loco stigma in forma litteræ O, æque magnum ac nummus duodecim assium, pro secunda vice tanquam exploratores interficiantur.

13. Vt in portubus maritimis valida collocentur præsidia in quibus nullus Hibernus ob periculum quod timeri possit, morari permittatur.

14. Vt Apothecis annonarijs Coloni suppeditent grana, & carnem bubulam idque infimo pretio.

15. Vt Hiberni emphyteutæ & Coloni quàm longè fieri potest remoueantur à præsidijs, meliora prædia collocentur Anglis conductoribus, infima Hibernis, sed summo pretio.

16. Vt singuli Coloni ex decem iugeribus grani iugerum vnum arent, seminentque cannabe vel lino elaborandis pro classe nauali per Hibernos in ergustulis constitutos.

17. Vt ubi est lignorum penuria singuli Coloni per decem annos præseruent singulis annis. Sex arbores ex Malis, Pyris, Fraxinis.

18. Vt post tres annos nullus cuiuscumque sit conditionis permittatur in Hibernia viuere, nisi abiuret suam fidem, & renunciet omni dependentiæ ab vrbe Roma Romanæque doctrinæ, & omnes pueri educantur in Religione Protestantica, & ita compellantur frequentare Cœnam Domini ut sic ob tam pium opus, Deus prosperet arma Reipublicæ, & eius thronum reddat inuictum.

19. Vt processus non fiant in posterum per Inquisitionem duodenariam, sed per Iudices, & causæ omnes criminales formentur per supremum iustitiæ tribunal in

qualibet

qualibet Prouincia erecto & ex viginti quatuor probis hominibus composito, ex quibus singuli quaterni habebunt absolutam authoritatem ferendi sententiam vitæ & mortis, quique quatuor vicibus per annum obibunt solitas visitationes in Singulis Prouincijs, uti & Irenarchæ in suis quatuor anni sessionibus.

20. Vt nomina omnium Hibernicarum familiarum in singulis Comitatibus per singulos annos describantur in regesto, & Domini & familiarum capita obligentur respondere pro suis famulis & inquilinis.

21. Vt pecora, iumenta, & bona alia quæcumque ablata ab Anglis redintegrentur ex bonis Hibernorum degentium in illa Baronia, seu districtu.

22. Vt cædis vel mortis cuicumque Anglo inflictæ omnes Hiberni incolæ illius Comitatus, in quo cædes fuit commissa, casu quo homicida euadat, sint rei, prout Commissarij supremi iustitiæ tribunalis. Vel quatuor ex ipsis, aut sessionum iudices in suis ciruitibus iudicauerint ac decreuerint.

Hactenùs Regicidæ & perduelles parlamentarij contra Oxthodoxos Hibernos vbi habes Christiane Lector impijssimi Pharaonis edicta in filios Israel olim statuta, iterum per hos iniquitatis filios ex inferis reuocata, habes ea nefanda decreta, quæ rabidi furoris dictauit ingenium, habes hæreticæ perfidiæ, & sæuitiæ partum, inauditam crudelitatem, Hibernisque nocendi diram cupidinem, qui tamen quantò opprimebantur, tantò magis multiplicabantur & crescebant, in Orthodoxa fide stabiles, in persecutionibus inconcussi, nunc verò in filiorum Dei libertatem asserti videant, an non millies mori potius eligant, quam tam crudele hæresis iugum iterum subire.

Cum iam exscindendæ Hibernicæ nationi recensita hactenùs pararent media eius etiam bonis inhiantes Hæretici illam ad incitas redigere per suos ministros Ormondium & Clarendonum Angliæ Cancellarium Hibernorum infensissimos hostes moliuntur. CAP.

CAP. IV.

Breue Chronicon rerum in Anglia geſtarum durante illius rebellione.

TErtio Nouembris anni 1640. incepit parlamentum illud vulgò nuncupatum *Longum* ex quo omnia mala, & incendia in tribus regnis excitata manarunt.

Menſe Majo anni 1641. Comes Strafordiæ, Hiberniæ Pro-Rex, Caroli Regis amicus Londini parlamento petente, capite plectitur.

Menſe Auguſto anni 1642. Rex ſuum Labarum explicuit.

Menſe Octobri anni 1642. feruente parlamentariorum rebellione contra Regem committitur prælium Edgehillenſe.

Menſe Iulio anni 1643. furente eadem rebellione committitur etiam prælium Neuberienſe in vtroque Rex victor euadit.

Menſe Iunio anni 1644. ardente adhuc rebellione committitur prælium *Marſton Moore* in his pugnis tam inteſtino furore rapiebatur hæreſis Anglicana ut nec patri filius, nec frater fratri, nec ciuis ciui parceret.

Menſe Decembri eiuſdem anni 1644. rebelles parlamentarij ſtrategum ſibi præficiunt *Thomam Fairfaxium* ſeditionis facem, malorum turbinem.

Menſe Ianuarij anni 1644. ſtilo veteri, Pſeudo Archiepiſcopus Cantuarienſis eo quod Regi eſſet fidus capite plectitur.

Menſe Iunio anni 1645. committitur prælium Nazebianum, in quo rebelles parlamentarij victores euadunt, Regia deinceps & poteſtas & authoritas deprimitur.

Menſe Maio anni 1646. Rex Oxonia egreſſus pergit ad Scotos.

Menſe

Menſe Iunio anni 1647. exercitus rebellis tranſit per Ciuitatem Londinenſem.

Menſe Auguſti anni 1648. Dux Hamilton funditur.

Menſe Ianuario anni 1648. ſtylo veteri, ſtylo vero nouo anno 1649. die nona Februarij, Parlamentarij rebelles barbaro & imani auſu, atroci facinore Carolo primo Regi caput obtruncant: & ſupremam authoritatem, iuxta Aphoriſmos ex Caluini ſentina hauſtos, in plebe conſtituunt.

Eodem menſe Februario, eiuſdem anni, iidem rebelles ſuperiorem Procerum Cameram authoritate vacuam declarant.

Menſe Iunio anni 1650. Oliuerus Cromuell, Angliæ buſtum, perduellium Strategus declaratur.

Menſe Septembri anni 1650. committitur prælium Dunbarrenſe.

Menſe Septembri anni 1651. à rebellibus Angliæ Parlamentarijs, funduntur Scoti apud Dorcheſtriam.

Menſe Septembri anni 1652. ab ijſdem rebellibus funduntur in prælio nauali Hollandi.

Menſe Aprili anni 1653. Cromuellus arrogata ſibi quam hactenùs impugnabat, ſuprema authoritate, longum & perfidum illud diſſoluit Parlamentum.

Menſe Iunio anni 1653. à rebellibus Parlamentarijs iam tertio funduntur Hollandi.

Menſe Iulio eiuſdem anni 1653. aliud Parlamentum breui duraturum Cromuellus perduellis ex rebellibus conuocat; funditque quartò Hollandos, & menſe Auguſto ſequente eoſdem quintò fundit.

Menſe Decembri anni 1653. rebellium caput Cromuellus, ſuprema ſibi iterum quam in Rege horrebat arrogata authoritate, Parlamentum diſſoluit; & elato ſupercilio Anglicanæ Reipublicæ Protectoris nomen aſſumit: vbi habes ſtolidæ illius Puritanæ Anarchiæ, ſiue velis Oligarchiæ inſanias.

SECTIO VLTIMA.

De præsenti Hiberniæ ſtatu

CAPVT PRIMVM.

Iacobi ſecundi virtutes, coniugium cum ſereniſſima Eſtenſi, VValliæ Princeps natus, legatus Romam miſſus, Miniſter ibidem relictus, Nuncius Apoſtolicus ad Regem deſtinatus, Regia cura de Hibernia, Richardo Talboto, Duci de Tyrconell Hibernia commiſſa.

IAcobus ſecundus Regum filius, frater, nepos, nunc Magnæ Britanniæ, Hiberniæ, &c. Monarcha, Auguſtiſſimæ memoriæ Princeps, antea Dux Eboracenſis, in iuuentutis flore eximia fortitudinis dedit ſpecimina, in diuerſis conflictibus ſemper impauidus; crebro auſus prouocare fortunam, conatus eius omnes ita parum timuit, ac ſi ijs ſe obnoxium neſciret agnoſcere, ſeipſo loricatus animus, vltrò ſæpè præiuit in diſcrimina, ibi potiſſimum primas volens, vbi priuilegium eſt eligere potuiſſe poſtremas; eo vſque ſubinde aſſuetus procedere, quo nec triarium vlla parendi neceſſitas, nec gregarium vlla mercedis auiditas impuliſſet; mortis metu minimè perculſum crederes adeò interritus in eius ſæpè diſcrimine luſit, Catholicam, Apoſtolicam, Romanam fidem Spiritu ſancto afflante profeſſus, variis Hæreticorum inſidiis appetitus, perpetuis vexationibus affectus, mirum quam arduas difficultates, quam crebras aduerſitates invicto animo, pectore pluſquam heroico, Chriſtiana fortitudine deuorauerit.

De

De prole hærede sollicitus, coniugem duxi lectissimam Principem *Mariam Beatricem*, serenissimi Mutinæ Regijque Ducis filiam, rarissimis dotibus ornatam, inclytæ Estensis familiæ dignissimam sobolem, illius inquam familiæ, quæ per Connubiorum communione. Contractas affinitates cum Cæsaribus Othone primo, Ferdinando Imperatore, cum Galliarum, cum vtriusque Siciliæ Regibus, cum Italiæ Principibus, quæ per generosos agnatorum germinum traduces ad nobilissimas etiam in Germania familias diffusa, late in multis Italiæ regionibus, dominata altius eminuit, formosius eluxit.

Carolo secundo germano fratre die decima sexta Februarii stylo nouo, anni 1685. ineffabili diuinæ clementiæ beneficio, in Catholicæ, Romanæ Ecclesiæ communione & Sacramentorum ritè sumptorum participatione, defuncto, fœlicissimis auspicijs in Magnæ Britanniæ cæterarumque ditionum Monarchia successit Iacobus huius nominis secundus, eodem die festiuis, publicisque solemnitatibus & procerum, & populi acclamationibus renunciatus velut verus, indubitatus, legitimus, ac hæreditarius trium Regnorum Rex & successor; religioni tam addictus veræ, quàm *infensus fictioni*, horrens quamcumque dissimulationis *laruam*, iuxta monitum Christi, *quæ Dei sunt*, *Deo reddenda*, decernens, contempta quauis vel regni, vel vitæ iactura palam Romano Catholicum illico se profitetur, die 23. Aprilis eiusdem anni Regia Corona, vna cum serenissima coniuge publice redimitus, hic ille inter sectarum mutuo dissidentium capita velut inter tumentes fluctus & scabrosos scopulos subditorum tranquillitati, comodisque incumbens sollicitè vigilauit, ne cuiusquam læderet auarus inopiam, periurus famam, proditor vitam, audire paratissimus, quidquid auderent supplices dicere, nullius thesauris inhians, eos solum optans habere, quos daret, populi sui diuitias, continuatis commercijs studuit augere, non suas, rixarum fomenta ob discordes opinio-

nes amputare conatus Vaſſallis ſuis Regiæ benignitatis ſenſum oſtendens, eorum animos continuis beneficijs devincire ſatagens, ſolam illis deeſſe voluit pereundi licentiam.

Dignum tanto Rege hæredem, Catholici trium Regnorum immò & aliarũ Europæ regionum aſſiduis ad Deum precibus poſtulabant, & quia tantum opus moliri ſola natura non poterat, fuit in ſubſidium aduocata Lauretana Virgo Maria: quare iuſſu Reginæ, elaborata fuit hic Romæ Angelica ex auro puriſſimo ſtatua, geſtans cor item ex auro pretioſis gemmis diſtinctum, cui inſidebat lucerna, votorum ſcilicet flammas emittens; Angelus ipſe flexis genibus efformatus ſiſtit ſupra ſtylobatem argenteum, cui, ut aliqui aiebant inſcribi & paucis mutatis aptari poſſet diſtichon illud, quod ſimili Donario à Galliarum Regina olim eidem Lauretanæ Virgini oblato fuit inciſum.

O quæ prole tua mundum Regina beaſti,
Reginam Anglorum prole beare velis.

Prædicta ſtatua, valoris & pretij ſeptuaginta millium Scutorum monetæ Romanæ, vt mihi fuit dictum, dum eam vidi, ab Illuſtriſſimis & Reuerendiſſimis Dominis Iacobo Emerix Leodienſi ſacræ Rotæ Romanæ Decano, & Alexandro Caprara Bononienſi eiuſdem Rotæ Auditore, delata Lauretum cantata per D. Emerix Miſſa votiua ſolemni de Beata Virgine, præſentibus duobus Cardinalibus tunc fortuito tranſeuntibus, & ingenti populi multitudine, fuit ſuper aram Virginis collocata.

Votis tandem aſſenſit clementiſſima Mater, quæ felicibus ſemper obſtetricata puerperijs, dedit Iacobo ſecundo filium, quæ dedit Deo: nam anno à præſentato pio illo dono nondum elapſo, nimirum 1688. nono poſt eandem oblationem menſe, die Dominica, Iunij vigeſima, ſtylo nouo, ſanctiſſimæ Trinitati eo anno ſacra, inter

inter nonam & decimam matutinam iuxta horologij Cismontani calculos, è fauoris diuini thesauris Serenissimus VValliæ Princeps emergens, Britanniæ procellis, Malaciam olim vt speramus, daturus, tot suspirijs, precibus & votis prouocatus exilijt; Iacobus in sacri baptismatis lauacro nominatus, optimus, vt confidimus, Princeps futurus, vt potè à *Maria* donatus Mariæ Britanniarum Reginæ, in qua suum nomen agnoscit, vt qui Laureti in imagine Angelica viuit auratus, totus in seipso aureus, tempore suo Britannicæ Monarchiæ pretiosus appareat, cui vt sequitur auguror.

ELOGIVM PROGNOSTICVM

SERENISSIMO VVALLIÆ PRINCIPI IACOBO, die 20. Iunij 1688.

LONDINI NATO.

Quiescite iam tot religionum bella:
Quæ quamdiu non cohærent,
Te diuidunt Britannia.
Nouum igitur è Cælo accipe fecialem
Serenissimum VValliæ Principem;
Qui in die Solis in æstiuo solstitio natus,
Tàm diuersa discordiarum capita conciliet,
Vt dici etiam debeat Pater pacis,
Qui exorta dissidia adducta pace componet.

Sed ad alia pergo, professionis Catholicæ tenacissimus. Iacobus secundus, vsurpatum à prædecessoribus *Defensoris Fidei*, titulum, fecit proprijssimum sibi, ne hanc tamen laudem volens gratuitam, sed potiùs suis meritis partam, ei fidei, bellum continuum patienti, suas illi curas, æque ac mores vtiles fecit; sibimet eripiens, quam illi daret securitatem regnandi, Christi

iura

iura, roborans suis; vt quam sincere illam ex animo coleret, Catholico profiteretur orbi, vsque ad periculorum hæresis insidiantis negligentiam, vsque ad damnorum quæ supervenire possint, obliuionem, memor reuerentiæ, quam Apostolicæ sedi præstare cupiebat, Illustrem virum Ioannem Carill, nunc Reginæ à secretis, primo, deinde Illustrissimum Dominum Rogerium Palmer præcipuæ nobilitatis, & eximiæ prudentiæ virum pro Catholica fide multa passum, Legatum extraordinarium ad Innocentium vndecimum Pontificem Maximum destinauit, solemnis obedientiæ, Regio nomine exhibendæ gratia amplis sumptibus pro eo munere splendide obeundo suppeditatis, quam sane legationem, ea pompa, eo ritu, ea magnificentia, vt ego vidi, quæ tanti Regis decuit, maiestatem, perfecit, nunc ab impio Auriaco ob tam fidele & pium opus in Turris Londinensis ergastulis vna cum Illustrissimo Domino Comite de Salsburij ob susceptam hic Romæ fidem Catholicam detentus. Summus Pontifex vicissim ad Regem nostrum ablegauit Illustrissimum & Reuerendissimum Dominum Ferdinandum Comitem d'Adda Mediolanensem, Archiepiscopum Amasiensem, Nuncij Apostolici dignitate præditum, ob singulares virtutes, & eximias qualitates IacoboRegi gratissimum ab hæretica barbarie, in his ultimis Angliæ tumultibus multa vitæ discrimina passum. Romana sua legatione functo & in Angliam reuerso præfato Comite, vt continuam suam erga Apostolicam sedem conseruaret reuerentiam, Rex Iacobus Ministrum suum hic Romæ instituit Illustrem virum Ioannem Lytcott Equitem auratum rerum agendarum peritum, morum grauitate, moderatione prudentiæ, litteratura, mentis perspicacia, indolis suauitate, eximia in Regem fidelitate, animi candore in primis ornatum, sed communium vexationum, pro Dei causa per hæreticos inflictarum participem, eas tamen magna æquanimitate tolerantem, nec prosperis elatum, nec fractum aduersis.

Pergo

Pergo vlterius, ad Hiberniæ noſtræ gemitus, duram tot annorum luſtris ſeruientis ſeruitutem, & ſub ſanguineo hæreticorum fatiſcentis iugo conuerſus clementiſſimus Iacobus, & conſpicatus Orthodoxos Hibernos, diuini, humanique iuris beneficio priuari, communibus cæterorum Vaſſallorum priuilegijs, & prærogatiuis ſpoliari, mulctari propter Catholicam Fidem pœnalibus legibus, à Reipublicæ munijs à Curiarum liminibus arceri, lugentium lacrymas ſiccare voluit, & ratus ſe à diuina Prouidentia, conſtitutum in nequiſſimi remedium gubernij, qui cuiuſcumque iniuſtitiæ peccata, ſua poſſet æquitate corrigere, omnem auctoritatis ſuæ fructum alienis calamitatibus debere ſe credidit: quare amoto ab Hiberniæ adminiſtratione Comite Clarendono Pro-Rege, poſtea vt rei probauit euentus, Regiæ Maieſtatis proditore circumſpectiſſima prouidentia, & indicibili rei Catholicæ, Hiberniæque bono, ſuadente inprimis, vt ex fide dignis accepi R. P. Odoardo Pieters Societatis Ieſu Viro prudentiſſimo, pro Catholica Fide multa paſſo, ob matura conſilia Regi chariſſimo, Regni adminiſtrationem fœliciſſimis auſpicijs committit *Ricardo Talboto* Comiti primum, nunc Duci de *Tyrconell*, ex vetuſtiſſima, & nobiliſſima Talbotorum familia, in Anglia, & Hibernia celebri, Viro inclyto de fide, Rege, & Patria optimè ſemper merito, quorum incrementa, vtilitates, comoda ſemper prætulit ſuis, in bello contra Parlamentarios ſtrenuus, in exteris partibus ob egregiam fortitudinem inſignis, cuius frater Robertus, Nepotes Gualterus Gulielmus, Limerici Comes, & Thomas Dungan, & Cognatus Scurlogus in vltimo bello Parlamentárijs rebellibus non ſemel fuere terrori.

Tyrconellus ergo publicis iam Regni curis admotus Puritanæ perfidiæ ſagax explorator, accuratè nouerat, quod arcano vbere rebellionis ſpiritum contra Regem lactaret, quare Regnum Deo, & Regi ſecurum reddere ſtatuit, & quia malam hæreſi voluntatem nequi-

uit

uit auferre, decreuit saltem adimere nocendi facultatem, malens in tanto molimine, generosa tentare pericula, quàm periculosam fouere securitatem; armatam in Cromuelli posteris perduellionem, ne semper cogeretur metuere, semel frænare cogitauit: seueritatem remedij, si Cromuelli sequaces accusant, priùs introspiciant pertinaciam morbi, Puritana hydra olim sub Cromuello, sub Parlamentarijs latè dominata, in Regem, in Orthodoxos Hibernos, in Sacra omnia olim cæco furore debachans, æque ac herculea, nisi opportunè impedita, repullulat. His periculis Pro-Rex occurrens, & breui suscitandæ per Puritanos rebellionis quasi præsagus, solerti dexteritate hæreticos exarmat, præsidijs Catholicos Gubernatores præficit, eaque Catholicis militibus munit: in Ciuitatibus, Oppidis, municipijs, & ruri Catholicos Magistratus instituit, renascentia perduellionis capita, vbi potest, obtruncat, publicum Catholicæ Fidei cultum ex decreto Regio, per totum Regnum exerceri ordinat; in nullis Puritanis maiorem perfidiam expertus, quàm in illis, qui Regiæ clementiæ indultum assecuti, recalcitrarunt: hinc Derenses, seu Londonderenses rebelles, hinc aliqui alij tantæ indulgentiæ ingrati adhuc obsistunt, subiugandi vti speramus, & legitimo suo Regi submittendi, sed de his aliàs, nunc de Auriaco.

CAPVT II.

De perfida inuasione Angliæ per Auriacum.

VIuebat Anglia in summa pace, vti & Hibernia, & Scotia, procurante Rege nostro Iacobo media omnia: quibus motos ob tot Religionum dissidia fluctus componeret. Pacem etiam colebat cum omnibus Europæ Principibus, nulli bellum indicere volens, vtpote qui ex tanta Sectarum diuersitate in Anglia, & Scotia grassante

sante incendia domestica, & intestinos tumultus meritò timere poterat, cum ecce sub finem anni 1688. proximè elapsi Gulielmus Henricus dictus Auriacus, homo hæreticus, omnibus fingendi, simulandi, mentiendi artibus instructus, quibus Serenissimum, Pientissimumq; Regem nostrum Iacobum Secundum proprium suum Auunculum, & Socerum per ementitam, confictamque amicitiam fallere, & circumuenire nitebatur, ne impium eius de aggrediendo ipso Rege penetraret consilium instigantibus hæreticis Hollandis Angliam armata classe, & milite per summam iniuriam, & iniquam tyrannidem contra ius fasque ingreditur prope Exetoniam, vt exteros Principes speciosius deciperet componendæ in Anglia pacis studiũ inter Regẽ, & Populũ præseferebat, protestatus se nullã Regiæ dignitati, vel personæ illaturũ iniuriã.

Rex terra, marique scribit militem, armat, rebusque necessarijs instruit naualem classem conflat satis numerosum exercitum paratus cum inuasore prælium committere ratus se fidos habuisse Strategos, Duces, Officiales, Archithalassos, Præfectos, & Ductores nauales, euocauit ex Hibernia nostra quatuor millia peditum militari fortitudine insignium, quibus vt ex viro graui, qui tunc fuit in Anglia audiui, si octo alia Orthodoxorum Hibernorum millia adiungerentur, & sub Catholicis Ducibus liberè permitterentur Hostẽ aggredi, Auriacus cogeretur infami fuga receptui canere, & in Hollandiam suam redire, Rex de proditione nihil suspicatus, certamen inire decreuit, cum ecce pro solita hæresis perfidia insidiatores occulti machinantur Regiam personam in manus inuasoris tradere, destinatur tempus, dies, hora, qua execrandum fascinus proditores exequi statuunt, sed singulari Numinis prouidentia ex naribus Regis tantæ impietatis ignari, & iam iam se viæ hostem versus accingentis adeo copiosus sanguis effluxit, vt ex fidelium Aulicorum, & Medicorum consilio necesse fuerit Londinum reuerti.

Interea Hiberni milites alam vnam hoſtis adorſi ſtrenuè, & fortiter inita pugna obuios aduerſarios cœperunt ad internecionem vſque proſternere, quando perſeuerante hæretica perfidia à tergo à Regijs Officialibus, & militibus Regem iam ipſum prodentibus inuaſi punctim, cæſimque ante, & retrò feriuntur, iugulantur, proditoriè mactantur, qui ex nefarijs his inſidijs euaſerunt Hiberni capti, & diuerſis pollicitationibus inuitati varijs præmijs ſollicitati, vt ad inuaſoris tranſirent partes, mori ſe potius velle reſponderunt, quam deſerto proprij Regis obſequio, tam nefandæ perduellionis infamia fædari, hinc deinceps malè mulctati, mille iniurijs, calamitatibus, miſerijs affecti, ad exteros, quosdam Principes tranſmiſſi, militare niſi pro naturali ſuo Principe recuſantes carceribus mancipati pro eodem adhuc patiuntur anguſtias, fidelium ſubditorum laurea dìgni.

Dato per Hibernos hoc eximiæ fidelitatis in Principem exemplo, Hibernicæ nationi in bellis, tumultibus, alijſque rerum mutationibus ſemper innato, vt in bello cum rebellibus Parlamentarijs vidimus, in quo pro teſſera aſſumpſerunt Hiberni, PRO DEO, REGE, ET PATRIA, è contra ad perpetuã rei infamiam, Puritanorum virus, & inteſtinum odium in Carolum Primum olim oſtenſum adhuc poſterorum præcordijs inhærens, & legitimo Principi inſidians, calcata, & proſtituta in Regem fide, Sacramento fidelitatis olim præſtito perfidè violato, infami ſcelere hactenus inaudito officiales tam in naualiClaſſe, quam in exercitu, induxit vt ad inimica caſtra defecerint, vſq; adeo vt de ſe Conſtantini Magni de Meletianis ad Sanctum Athanaſium ſententiæ locum derint, de illis autem, inquit enim execratione dignis
„ Meletianis, immanibus inquam, & nefarijs homini-
„ bus, qui quaſi apploplexia icti ſtupent, & ſolummodo
„ inuidia, & æmulatione, & tumultibus ad ſcelera mo-
„ tum habent, nefariam ſuam mentem declarantes, iſta

michi

„ michi dicenda puto. Et infra: quæ res ipsa luce luci-
„ dior est, ipsos tuę prudentiæ insidias tetendisse. Deni-
„ que quis iam deinceps homines istos, tam multa
„ adnoxam fingentes sequi velit? Maximè cum ipsi se
„ ipsos in barathrum ducant: vt iterum dicam, quis eos
„ sequi velit, & iter exitij præceps inire, in quo illi soli
„ mortalium, spem salutis, auxiliisque constituunt? Si
„ enim vellent pura conscientia ingredi, & bonæ mentis
„ meminisse, & sanum animum inducre facile intellige-
„ rent, nullam ipsis opem, à Dei prouidentia expectan-
„ dam esse, cum se talium rerum æmulatores, in suam
„ perniciem præbeant. Hæc Constantinus, & ipse Britannus rectè quadrantia in memoratos proditores, qui deserto vero suo Rege Dauide nouum Absalonem sunt secuti scelestissimum Cromuellum similiter imitati in hac Apostasia præcipui fuere Comes de Clarendon, Comes de Rochester, Dux Ormundiæ mali corui malus pullus, Comes de Burlington, Dux de Graffon Caroli Secundi Spurius, Comes de Dartmoht, Comes de Churfield, & quod aures horrent audire Anna Princeps Regis ipsius filia cum coniuge Georgio Principe Daniæ.

Sed ad Auriacum redeo, fæderati Hollandiæ ordines ac si essent orbis terrarum arbitri, qui vel supremos Principes in ordinem reducere, vel delinquentes castigare, vel subditorum quærelis aures præbere, vel lites in Regnis ortas, ac discordias componere pro suo imperio, & celsipotenti authoritate deberent, die 28. Octobris 1688. fusam edunt declarationem cur Auriaco Angliam inuasuro militem, nummum, commeatum, Classem illorum celsipotentia subministrauerit, formatur noua precum norma contra professionem Romanæ Ecclesiæ in jis petitur à Deo, vt faueat Auriaco insectaturo Idololatriam, vt thronum Angliæ possit adipisci, ita petunt Hollandi legitimo adhuc viuente, & imperante Rege, mortuo Henrico Octauo successit Odoardus, huic Maria Catholica Regina tunc hæresis non est ausa illius

ius inuadere, audet Auriacus, audent Hollandi opem, operamque conferre, quid tutum in Europa, si hæc licent.

Alteram edit Auriacus delarationem, qua fatetur se apertum bellum indicere Catholicæ Romanæ Fidei quã ipse papismum scurriliter appellat, hanc dedit Sherburniæ 28. Nouembris anni 1688, in hac primo declarat se semper stetisse pro religione protestantica. Secundo ait se velle liberare Angliam, Scotiam, Hiberniam à iugo Papismi. Sed Hibernia remittit perfido hæretico anathema maledictionis certa prius vltimam sanguinis guttam effundere, quam infernali hæresis monstro colla subijcere. Tertio dicit se stabiliturum protestanticam religionem per libera, & legitima Regni Comitia, irreligionem, & impietatem hæreticam nomine religionis indigitat, & & vbi possunt esse vel libera, vel legitima Comitia, vbi legitimus abest Princeps, vbi Tyrannus hæret armatus? Quarto quod milites Regij recesserint ab illius illegitimo obsequio, illegitimum obsequium vocat iniquus inuasor, & quo hæc omnia, nisi quia Rex Iacobus est Catholicus. Quinto asserit se nullius effusurum sanguinem, nisi illorum execrabilium hominum, qui abiurarunt religionem protestanticam, execrabiles homines vocat homo perfidæ religionis eos, qui impias Caluini, Lutherique blasphemias abiurarunt. Sexto protestatur se velle seuerè punire eos Magistratus, qui leges pænales non mandabunt executioni contra Catholicos, igitur à primo ad vltimum Auriacus Angliam inuadit, vt Catholicam pessundet Fidem, huc collimat, huc tendit.

Exitus acta probauit vbicumque per Angliam grassabatur Auriacus Catholicos exarmari, malè mulctari, barbarè tractari fecit, deputatis à Rege illi missis arroganter respondit se velle, vt ijdem Catholici armis, dignitatibus, munijs, officijs quibuscumque spolientur, quantas illi calamitates ab hoc vsurpatore, eiusque emissarijs sunt passi, hodieque patiuntur vix explicari potest, illo Londinum ingresso statim in Sacra omnia, in Capel-

las,

las, in Aras, in Ædes Catholicorum barbaro furore sæuitum, & debachatum, Ecclesiastici, & viri Catholici vbicumque obuij raptati, fustibus, pugnis, calcibus excepti ergastulis, carceribus mancipati, eorum facultates, suppellectiles, bona direpta in tam procelloso, & furibundo Angliæ statu per vsurpatorem causato cum Rex omnibus tentatis medijs oblata etiam Parlamenti conuocatione, graui ad subditos de præstita fidelitate de periculosa ex his hominibus imminenti ruina admonitione generali venia omnibus si ad officium redirent promissa nihil effectum fuisse, nec malaciam sperari cernens.

De sua, Reginæ, VValliæ Principis incolumitate sollicitus ex tam infestis, & sæuis fluctibus se, illosq, eripere decreuit, eius rei curam suscepere Illustrissimus Dominus Comes de Lauson Gallus vir magnæ prudentiæ dexteritatis eximiæ, & sinceræ fidei, ac Dominus Riua Italus hi die decima nona Decembris 1688. noctu brumali rigore horrida secreto, & caute Reginam, & Principem ex Aula Regia ad Rhedam ad id destinatam, sed tunc non præsentem, nec in loco designato paratam tandem post difficilis cuiusdam viæ peractæ molestias inuentam conducunt, & ad flumen Tamesis appulsi, nauem ibidem promptam, in qua duo erant Catholici ductores, qui Capitanei perfidiam si vectores prodere tentaret, impedirent, conscendunt Regina cum Principe, & Comite Lauson, cui ex mandato Regio idem Capitaneus parare debebat, & nonnullis ex Reginæ familia, nimirum Marchionissa de Pouueijs Principis gubernatrice: Domina Victoria de Montecuculi, D. Riua, & D. de Four, aliasque in ostio fluminis duas tenebat naues perfidus, & ingratus Thalassus Darthmouth post tot Regia accepta beneficia proditor, exploraturus, vt creditur, & impediturus, ne VValliæ Princeps euaderet, euasit tamen Dei beneficio ex Anglia, illa olim sacra Palestina, tunc nouo Herodi tyrannidem exercenti propudiosissimè substrata.

Die

Die vigeſima prima Decembris eiuſdem anni moleſta nonnihil, fauſta tamen Nauigatione caletum non ſine periculo naufragij in ipſo Portu, tandem appulſa Regina; ſtatim actis Deo pro tam fœlici occaſione gratijs ſcripſit Chriſtianiſſimo Regi ſe cum ſuo filio VValliæ Principe in Gallias ad eius aſylum confugiſſe, hinc Bononiam, inde Pariſios verſus profecta per totum iter humaniſſimis procerum, & populorum obuiantium officijs, & acclamationibus, Pariſijs tandem ſolemniſſimo apparatu Rhedarum, Equitumque occurſu, inſigni pompa, ab ipſo Chriſtianiſſimo Rege, & primarijs Sanguinis Regij perſonis excepta, & ad Sanctum Germanum conducta, ibidem ea magnificentia quæ, & tantam Reginam, & Regiam Ludouici decimi quarti magnanimitatem decet tunc, & deinceps tractatur.

Rex noſter de ſaluo Reginæ, & Principis in Gallia appulſu certior factus decreuit, & ipſe inſidiantes, inhianteſq Regiæ illius vitæ ingratos perfidos, & Regni Regiæque Maieſtatis proditores, & præſtiti fidelitatis iuramenti violatores periuros viliſſimæ noui Cromuelli ſeruituti mancipatos ad tempus relinquere, quare ad fluminis ripam conſcendit Nauiculam vela in Galliam facturus, equa tamen quia minus apta ad propoſitum, deſcendens,& rerū circumſtantia ita ferente die 26. Decembris 1688. Londinum reuerſus, & feſtiuis populi acclamationibus exceptus, poſtea Rocheſtriā inuaſore, impudentiſſimo auſu ita quodammodo mandante ſeceſſit, vnde per Palatij poſticum egreſſus die ſecunda Ianuarij ſtylo nouo huius anni 1689. & noctu conſcenſa Nauicula cum Duce Baruicenſi ſuo filio naturali oris Normanniæ in Portu de Amiletus appulit die quarta eiuſdem menſis, inde Bononiam, Amianum, Abbatis Villam, tandemque Pariſios ſe contulit; incredibile dictu eſt quantis acclamationibus, quam ſolemni ritu à populis,& Viris nobilibus, in toto itinere,& ſupra modum à Rege Chriſtianiſſimo ſimili pompa, qua Regina exceptus vtroque

Rege

Rege in mutuos irruente amplexos, Regio Apparatu deinceps tractatur ante suum discessum ex Anglia reuocauit litteras conuocatorias Parlamenti interim inuasor elatos, & tumidos arrogantiæ, & impudentiæ plenos spiritus spumabat in Anglia.

CAPVT III.

Felicis recordationis Innocentius XI. laudat Regiam Ludouici XIV. generositatem erga Iacobum Regem, Reginam, & VValliæ Principem quod tam benignum eis præbuerit asylum, consolatur item alijs litteris Regem ipsum Iacobum in hac turbulenta rerum circumstantia.

VT hic Romæ auditum fuit Regem nostrum, Reginam, & VValliæ Principem incolumes perueniſſe Pariſios ibique à Christianiſſimo Rege tam magnifica liberalitate tanta amantis, & condolentis animi significatione fuiſſe ibidem receptos, sequentes statim misit litteras ad Ludouicum Regem.

Chariſſimo in Christo Filio Nostro Ludouico Francorum Regi Christianiſſimo Innocentius Papa XI.

Charisſime in Christo Fili noster Salutem.

„ CVm nos præcipuè afficiat splendidum, ac ab vniuersis Christifidelibus maiorem in modum commendandum confugium quod magna Britania tumul-

„ tuan-

„ tuante eius Regi, Reginæ, ac infanti Principi effuſa
„ nulliſq; concluſa finibus munificentia præbuit Maie-
„ ſtas tua muneris eſſe noſtri duximus has ad te gratæ
„ reſponſionis teſtes dare litteras, & ſi autem non dubi-
„ tamus quin pro ſua pietate, ac parata ad magna quæ-
„ que pro Catholica Religione aggredienda perficien-
„ daque amplitudine animi ſui præſtantiſſima prædicti
„ Regis cauſam cum quo eadem Religio coniuncta eſt
„ conſtanter iuuare pergas tantoque nihilominus cordi
„ eſt, & eſſe debet vtriuſque incolumitas, vt Maieſta-
„ tem tuam pro explorato habere cupiamus in partem
„ nos venturos inclitorum omnium operum quibus Re-
„ gi ipſi necnon memoratæ Religioni ſtrenue adeſſe cu-
„ raueris nec omiſſuros aſſiduis enixiſque votis diuinam
„ bonitatem etiam rogare, vt meritam præpoſitæ tibi
„ veræ gloriæ menſuram implendo comparueris inex-
„ hauſtis beneficientię theſauris cumulate retribuat
„ Maieſtati interim tuæ Apoſtolicam Benedictionem
„ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ die primo
„ Februarij 1689.

Sequentes ad Regem noſtrum exarauit litteras Chariſs. in Chriſto Filio noſtro Iacobo Magnæ Brittanniæ Regi Illuſtri Innocentius Papa XI.

Chariſsime in Chriſto Fili noſter Salutem.

„ INfauſto accepto nuncio de ſæuiſſima procella
„ quam aduerſus Maieſtatem Regiamque Domum
„ tuam in Anglia excitauerat poteſtas tenebrarum præ
„ intimi angoris acerbitate pene defecimus diſcrimen
„ enim in quo cum Catholica Religione verſabaris à
„ ſollicitudine quam de vtriuſque incolumitate impen-
„ ſe gerebamus prorſus id repoſcebat, & quidem amari-
„ tu-

„ tudine animæ noſtræ ob afflictum rerum ſuarum ip-
„ ſiuſque Religionis ſtatum non eſt cur pluribus expli-
„ cemus, magnitudo ſiquidem iacturæ de qua agebatur
„ quæqu e nos præcipuè tangebat illam ſatis ſuperque
„ declarat, leniuimus tamen non parum eiuſdem amari-
„ tudinis acerbitatem intelligentes Maieſtatem tuam,
„ Regiam Coniugem Sereniſſimamque ſobolem incolu-
„ mes in Galliam transfretaſſe de ſuprema nimirum il-
„ lius prouidētia quæ imperat ventis, & mari plane con-
„ fidimus fore vt erectam tempeſtatem quamprimum
„ vertat in auram tranquillitatis; aſſidua nos ferueſcen-
„ tiaque in hunc ſcopum vota nuncupare profecto non
„ omittemus, dum heroicam in prædicta Religione
„ ſtrenue aſſerenda Maieſtatis tuæ pietatem inclytamq;
„ in aduerſis ea de cauſa inconcuſſo animo perferendis
„ conſtantiam effuſis immortalium laudum titulis deco-
„ rantes tibi chariſſime in Chriſto Fili Apoſtolicam Be-
„ nedictionem impertimur. Datum Romæ die primo
„ Februarij 1689.

Hic vt vides Summus Pontifex agnoſcit bellum hoc, & hanc rebellionem fuiſſe ſuſcitatam à poteſtate tenebrarum vtique contra Fidem Catholicam, agnoſcit inuictam Regis Iacobi in eadem Fide conſtantiam.

Ad litteras Summi Pontificis reſpondit Rex Chriſtianiſſimus die 17. Februarij huius anni 1689. quibus ſignificauit ſummopere ſe gauiſum fuiſſe quod Sua Sanctitas fuerit plene perſuaſa, quantum præiudicium parere poſſet Catholicæ Religioni ſtatus ille in quo verſabatur Rex Magnæ Brittanniæ, & quantum elaborare deberet vt denuo redintegraretur, quod quamuis eius naturalis affectus propenderet ad ferendam opem, ad dandam conſolationem illi afflicto Monarchæ pro illius in eum amore, nihilominus ad conſeruandas Fidei Catholicæ in Anglia reliquias ad reſtituendum ſuo Throno prædictum Regem ſacrificaret omnes eas poli-

ticas rationes quæ forte alias illum inducerent ad negandam ei neceſſarium ſuccurſum, quod cum voluptate perceperit quam fuerint cordi Suæ Sanctitati hæ duæ tanti momenti, & tam iuſtæ cauſæ, quod non ſolum optaret Suam Sanctitatem eſſe participem ſucceſſus tanti operis, ſed etiam cuperet vt totus Chriſtianus Orbis agnoſceret ſe imprimis deuinctum Paterno Suæ Sanctitatis zelo in hac re, vtque hoſtes religionis Catholicæ ad eam deſtruendam coniuncti, animum deſponderent, ne vlterius progrederentur, quod deſideret ſemper concurrere cum Sua Sanctitate ad incrementa noſtræ Sanctæ Fidei, & ad teſtandum ſuam filialem reuerentiam in omni occaſione, & ſubſcriptum fuit deuotus Veſter Filius Rex Franciæ, & Nauarræ Ludouicus.

CAPVT IV.

Inuaſionis Auriacæ ſcopus, Fidei Catholicæ in Anglia, & alijs partibus extinctio.

AVriacus antequam ex Hollandia diſcederet ſuis artibus corrupit Secretarium Règium, qui Catholicum ſe ſimulans ea Regi conſilia fraudulenter ingerebat, quæ executioni data populum ad tumultus ex ſuo genio propenſum incitarent, inter alia ſuggeſſit, & ſpecioſis argumentis perſuaſit, diſſuadente tamen è contra, & pro virili obnitente P. Odoardo Peeters è Societate Ieſu vt incarcerarentur ſeptem Proteſtantes Epiſcopi, eo quod in ſuis Eccleſijs nollent Regium de publica libertate ſectis conceſſa publicare edictum, vt ita Regiam authoritatē odioſā redderet, & inteſtino tumultui fomēta præberet, vt exitus acta probauit, rebellio hæc per Auriacum ſuſcitata, conſpiratio in Sereniſſimum Regem per eundem cauſata, & iniqua illa Regni inuaſio hos ha-

habuit fines nempe extinguere penitus Catholicam Fidem, propagare, & propugnare hæresim, è Solio amouere legitimum Principem, ad illud promouere ambitiosum, & iniquum inuasorem, de quo ita discurrit recentior quidam author, quam miserum est inquit, persecutionem pati à proprijs Subditis, tam gloriosum illam tolerare pro Fide, Dauid passus à proprio filio, Rex Iacobus, patitur à proprio genero suoque Nepote, hoc discrimine, quod Rex Dauid passus sit in pœnam adulterij, & homicidij commissi, Rex Iacobus patitur propter zelum veræ Fidei, *Magis eligens* vt ait Apostolus ad Heb. 11. *affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi, aspiciebat enim in remunerationem.* Hostes enim Regis Iacobi non alia de causa in eum conspirarunt, quã quod fuerit in Catholica Religione tam firmiter constans, cum aliunde scirent eum esse dignissimum Throno, alij forte Principes putarent sibi licitam Religionis dissimulationem, quoties spes esset assequendi tot Regna, sed hæc impia politia longissimè abfuit à sincero, & Catholico Regis Iacobi pectore.

Sed ne diuinari dicamur, & ostendamus inuasionis Auriacæ scopum fuisse destructionem Fidei Catholicæ, id palam fiet ex propria coniuratorum confessione liber nuper in Hollandia impressus, & inscriptus felices sequelæ ex vnione Principis Auriaci cumfederatis Hollandiæ ordinibus, & porro inter has sequelas posuit hanc *si pax esset stabilita, si Hollandia, & Anglia stricte forent vnitæ, & Protestantes gauderent quiete, breui videretur ruina Papismi*, postea præscribens coniuratis quomodo negotium hoc promoueant in eodem libro ait, *ante omnia in Galijs stabiliendum erit iterum edictum Nannetense, & remittendi sunt reformati in eo statu, in quo fuerunt ante mortem Henrici Quarti.* mox sequitur, *redintegratio exulum protestantium est faustissima, & vrgentissima*

sequela vnionis Confederatorum. Sed videamus quid inuasor quid eius Confederati conspiratores in Anglia contra Fidem Catholicam, & Catholicos egerint.

Londini igitur habitum fuit conuenticulum mense Decembri, & Ianuario anni præsentis, Auriacus ex conuenticuli declaratione mandat, & præcipit in publico suo edicto die quarta eiusdem mensis omnibus Catholicis vt ex omnibus Regni Angliæ Ciuitatibus sub seuerissimis pœnis ad decem milliaria descedant intra tres dies à die publicati edicti, horrendum est referre quanto furore, quanta sæuitia præfatum edictum fuerit vbique contra Catholicos executioni mandatum, conuenticulum ipsum vt implacabile suum odium in eosdem Catholicos ostenderet, formauit quandam scripturam, in qua agebat gratias Auriaco quod venerit in Angliam vt eum liberaret à Papismi tyrannide, & Protestāticam religionem Sartam tectam in Europa seruaret, Auriacus vicissim hortatur conuenticulum vt inter alias leges decernat vnam qua Papistæ à publicis omnibus muneribus excludantur: hinc Auriacus, & conuenticulum execrabili ausu, & nefario scelere audent in Serenissimum Regem nostrum iniquissimam pronunciare sententiam priuationis Regni iuxta nefanda illa axiomata à Parlamentarijs olim sub tyranno Cromuello edita, & Sectione præcedenti recensita, inter primaria impiæ sententiæ capita primo loco ponitur quod Rex fuerit aduersus religioni Protestanticæ, quod dispensauerit in legibus pœnalibus scilicet, quod exarmati fuerint Protestantes quando Catholici fuerunt armati; Auriaco ipsi iam facto Latrunculario Regulo alijsque similibus imaginarijs, & scenicis Regibus à barbara scilicet multitudine quoties illi insanire libuerit, creandis imponit vt sanguinis Regij Principibus nullo modo liceat Catholicam habere, vel ducere coniugem.

Conuenticulum ipsum crepitantibus buccis inclamat leges Anglicanas debere manere inuiolatas, & sacro-

crosanctas, queritur fuisse fractas cum tamen nulli in Orbe minus velint legibus subesse quam ipsi Hæretici Angli, nec vlli vnquam crebrius, impudentius, & frequentius non solùm leges Anglicas, sed diuina, & humana iura ex quo puritanica fex ibi debacchari cæpit toties, & nunc præsertim sunt transgressi, vt in eos, & suum Auriacum quadret illa recentioris authoris censura, in quendam ministellum de protestantium persecutione quærentem retorta, & inuasori Angliæ aptata, inuasio hæc, inquit, ea ipsa Antichristianismi signa habet quæ prætensi reformati Catholicis affingunt, nimirum secta quæ se propagat per violentiam, cædes, persecutiones aliorum, quæ suscitat, & fouet rebelliones quę tyrannico, & superbo inflata spiritu supremas dignitates inuadit est Antichristiana, ita processit Auriaca inuasio atque adeo Antichristianam exercet tyrannidem quare rectissimè ait, in suis ad Regem nostrum Iacobum litteris Innocentius Vndecimus *Infausto*, inquit, *accepto nuncio de sæuissima procella, quam aduersus Maiestatem, Regiamque Domum tuam in Anglia excitauerat potestas tenebrarum, præintimi meroris acerbitate pene defecimus, discrimen enim in quo cum Catholica Religione versabaris à solicitudine quam de vtriusque incolumitate impense gerebamus prorsus id reposcebat*.. Vt superiore capite habes, ex quibus omnibus patet aperte Religioni Catholicæ bellum hoc fuisse indictum.

CAPVT V.

Hiberniæ status ante Regis aduentum.

PErduellibus in Anglia partim appopletico stupore correptis, partim frænetico furore insanientibus, Serenissimus Rex noster Iacobus post duos menses Lutetiæ protractos, ibique toto illo tempore Regio apparatu,

ratu, Regiaque magnificentia à Chriſtianiſſimo Rege tractatus de ſua fideli Catholica, & amantiſſima Hibernia perfidi inuaſoris inimica implacabili viſitanda deliberat: inuaſor conatus eſt hic etiam ſuos habere coniuratos, habuitque non paucos nempe Comites Cootium, Incequinum, Corcagienſem, Montioijum, aliosque, quos nonnullis in locis velut ſtabulantes in ſyluis ProRex ſagax Tyrconellus, non quaſi bellaturus, ſed quaſi venaturus aggreditur, qui latibula equibus nocerent inuenire deſperantes Londonderij confugerunt, inde breui vti ſperamus eijciendi; de Hibernia noſtra ita recentior author loquitur, hæc inquit, ob ſinceram in ſuum principem fidelitatem, primo ſane memorari loco meretur, eandem in generalibus Regni Comitijs tunc etiam teſtata, cum Carolus Primus tam barbarè fuit à proprijs ſubditis detruncatus, declaramus inquiunt proceres Regni, nos ſemper deteſtari, & horrere quod actum fuit contra noſtrum defunctum Regem, cupimus vt poſteri cognoſcant, quod condemnemus inauditam violentiam factam à Parlamento Angliæ anno 1648. ſtylo veteri, & funeſtam ſententiam, quam iniquiſſima illa Camera, iniuſtiſſimè vocata ſuprema iuſtitiæ curia tulit, pronunciauit, & inaudita barbarie executioni mandauit, ſacrificando noſtrum Monarcham noſtrorum tyrannorum ambitioni, hæc proceres.

Pergit Author zelus Hiberniȩ in hac declaratione oſtenſus meretur laudem, quam illi recens quidam author de rebus præſentibus ſcribens attribuit. Hibernia in primis, ſingulari encomio eſt digna, quæ infinitum Sanctorum numerum protulit, pluresque ſalutis animarum, ardenti ſtudio ſuccenſos in exteras Regiones amandauit, vbi fidem ſeminarunt, vel amiſſam reſtituerunt, quales fuere Sanctus Suitbertus, Sanctus willibrordus, & Socij, qui Euangelium prædicarunt etiam in ea Regione, ex qua prodiuit hoſtis tam Sanctæ Nationis ſemper præfatæ fidei addictæ, & per ſuos Sanctos illis ipſis

prȩ-

prædicatæ, qui illam eidem Nationi vellent auferre, vel exercitium impedire, vel certè penitùs abolere. Hoc intendebat inuaſor cum promittebat Hiberniam à Papiſmo liberare Hiberniam illam, quæ aliam Religionem, quam Catholicam non agnoſcit, quamque inuaſor ex contemptu Papiſmum indigitat, vt ignorantibus metum incutiat, cum in eadem Hibernia, inquit idem Author, nulli alij ſint Proteſtantes, quam exteri, & inuita ipſa Natione illuc ingreſſi, Hiberni enim, vt Hiberni ſunt ferè omnes Catholici, quare eo iniquior eſt perſecutio, tam Catholicæ Nationi intenta.

Quid enim iniquius, inquit idem quam velle, vt tota illa Natio, quæ nomen Chriſto dedit nullam aliam, quam Catholicam coluit fidem, eam nunc mutet, vel eius exercitium, & debitum cultum ſuſpendat, quia ſcilicet vicina Natio partim propter temporale commodum, & rationes politicas, partim quia ſe faſcinari permiſit, vt ait ad Galatas Apoſtolus, à nouatoribus, ſine miſſione, ſine miraculis, priorem ſuam fidem Orthodoxam, in Heterodoxam, & nouam mutauit. Vndè proſequitur meus Author, vſurpationem Auriaci manifeſtat iniqua eius tyrannis, qua vellet Hiberniæ Catholicæ dominari, in qua nullum ſuæ inuaſionis prætextum inueniet; & quamuis fuerit, vt ipſe cauſatur in Angliam vocatus, certè in Hiberniam nunquam fuit inuitatus, nec inuitabitur, niſi ad carceres, ad perfidiæ luendas pænas Hibernia inquit Autor eſt, ſola ferè Catholica, non vult mutare fidem, in hac etiam inuita vellet regnare inuaſor, inde vellet exturbare legitimum Principem, & per proditores, & rebelles proteſtantes eius coronam arripere, & fideliſſimos Hibernos perduelles, quod nunquam obtinebit, efficere.

Pergit idem Author narrare ſtatum Hiberniæ ante Regis aduentum, & laudat ducis Tyrconalliæ conſtantiam, dum itaque Auriacus, inquit, anhelat ad coronam, ſeducit, & dementat, populum Anglicanum Co-

mes

mes de Tyrconell omnem impendit operam in conseruanda suo Regi Hibernia, Comes hic est ex familia Talbotorum origine ex Normandia tracta, militauit aliquandiù in Gallia militarem artem ibidem edoctus, eius Atauus stetit pro Catholica Fide contra Reginam Elizabetham: Auriacus tantum virum sperabat vel spe, vel metu terrere, vel astu seducere, vti seduxit Anglos, sed irrito conatu, nam prædictus Comes auersatus proditorum, & vilitatem, & perfidiam inuasori renunciari iussit se velle in fidelitate erga suum Regem persistere. Restitit in faciem seductoribus, eisque exprobrauit illorum perfidiam, eiusque horrorem incussit, exemplum dedit omnibus Hiberniæ gubernatoribus, & Magistratibus in populo eminuit, & arsit ingens erga Regem zelus, nec mirum inqnit author fuit, omnes Catholici horrebant inuasoris tyrannidem, gnari si pedem fixisset in Hibernia eum ibidem pro Viribus conaturum fuisse, vt Orthodoxam Fidem extingueret.

Quare huic Pro-Regi debet Hibernia, quod sui Regis fruatur præsentia, eique testetur suam fidelitatem posterorum memoria, & fastis celebrandam, & perennis gloriæ encomijs laudandam, eidem debet Catholica Religio, quod quiete hodie exerceatur in Hibernia tanti refert, fidelem subinde habere ministrum, qui fideli suo obsequio confundat infames proditores, protestantes Hiberniæ Regiæ causæ pro Viribus nocere adlaborarunt; sed eam tardarunt dũtaxat nõ impedierunt, vt apparet ex obsidione Derensi, putauit Auriacus eos plura facturos, sed spes illum hactenus fefellit, nam quo vilius protestantes se substernebant Auriaco, eo ardentius, & animosius Comes de Tyrconell, & populus Hiberniæ agebant Regiam causam ausus est impudenter rogare Catholicos Hibernos, vt arma deponerent; Pro-Rex è contra iubet, vt protestantes Dublinenses omnia sua arma, sub graui pœna ad Ecclesias Prrrochiales deferrent, id executus est statim Catholicus Vrbis Dublinensis

Prætor, contra Auriaci edictum aliud Pro-Rex per totum Regnum publicauit edictum, quo efficaciter hortabatur omnes vt in fide erga Regem perseuerarent pollicitus copias auxiliares in Scotiam & Angliam contra rebelles ad Regis obsequium destinare. Auriacus iterum tentauit per artes Domini Temple corrumpere Secretarium Proregis & per Secretarium, Proregem ipsum sed surdis cecinit, ob id in rabiem actus.

CAPVT VI.

Rex Iacobus proficiscitur in Hiberniam militibus, armis, pecuniario subsidio, diuite suppellectili à Christianissimo Rege suppeditatis instructus, rerum Hibernicarum post Regis aduentum status.

Regem in Hiberniam invitabat Pro-Rex Tyrconell, populi summopere eius aduentum optabant, ne tamen iterum Regia persona ijsdem exponeretur periculis ex quibus iam antea quasi miraculosè euasit, voluit Rex Christianissimus misso in Hiberniam D. de Ponti Regni statum explorare, & an tutum esset Regi illuc se conferre, rescripsit D. de Ponti posse Regem securè in Hiberniam venire, ibi militem fuisse in magno numero, defuisse solummodo bonos & peritos Officiales; conclusum tandem vt iter Hibernicum arriperetur, quare Rex Christianissimus iubet parari Brestæ classem ex vndecim maioribus nauibus & Myoparonibus aliquot, rerum omnium necessariarum commeatu instructam, ipsi Regi donauit pro stipendijs militaribus sexcenta Scutorum millia ingentem armorum copiam, magnificam suppellectilem duodecim equos ornatissimè phaleratos, tandem

summis honoribus à Christianissima Maiestate affectus Rex Parisijs discessit, Brestam die quinta Martij huius anni 1689. peruenit, in itinere splendidissime tractatus ab Episcopo Leonensi & Clero honorifice exceptus: inter alios Officiales Gallos duxit secum strategos Comitem de Rose, D. de Pusignan, D. de Boisseleau, D. de Maumont, D. de *Ponti*, D. Comitem de Auaux oratorem, hic nauem D. Gabaret conscendit; sed vento persistente contrario expectatum fuit ad diem decimum septimum Martij D. Patricio Hiberniæ Apostolo sacrum. Denique faustis auibus velis expansis Kinsaliam die 22. Martij appulit incredibili populi concursu, applausu, acclamatione & lætitia salutatus.

Ad hæc Invasor Londini audito Nuncio expellauit præsagiens hunc Regis appulsum, illius ambitionis fore præcipitium, iuxta commune Anglorum prouerbium, *qui vult Angliæ dominari habeat primò dominium Hiberniæ* Kinsalia Corcagiam profectus obvium habuit cum ingenti procerum & populorum numero fidelissimum suum Ministrum Comitem de Tyrconell, quem illicò Ducem de Tyrconell creauit, inde Kilkenniam perrexit Episcopo, Clero sæculari, & regulari, nobilibus splendidè vestitis, militibus, ciuibus & ingenti multitudine illum excipientibus in itinere Dublinium versus viæ omnes à conferta multitudine erant obseptæ, tota hæc vrbs quasi extra portus effusa solemni, triumphali, & festiua pompa Regem tam diù desideratum excepit. Quæ sequuntur de regni statu accepi ex litteris Dublinio & alijs locis sub initium Septembris exaratis.

Rebelles Protestantes prementes altum corde dolorem, non valentes tamen conceptum iam perduellionis spiritum amplius simulare ad varias arces & munita oppida confugerunt ex quibus per Catholicos fuere exturbati, tandem ad vrbem Derensem dictum Londonderij portum maritimum & Arcem Iniskillinam confluxerunt. Hanc arcem decreuit Rex obsidione cingere

missis

miſſis illuc quatuor millibus militum cum tormentis bellicis & commeatu neceſſario quibus præerant, Dux Beruicenſis Regis filius Comes Iuſtinus Maccartij, Colonellus Sarchfield, præceſſit cum ſuis copiis & bellicis impedimentis Iuſtinus, cum ecce inſperato ex inſidijs eum invaduut rebelles cædunt non paucos ex noſtris capiunt impedimenta omnia, ipſum Iuſtinum iam captum ad præfatam arcem mittunt, quod audiens Colonellus Mathæi, & alij ſtatim accurrunt, tranſitum ad arcem intercipiunt rebelles redeuntes & triumphum ante victoriam canentes agrediuntur, ad nongentos vſque fere interficiunt tormenta, commeatum & impedimenta recuperant. Quinque alia millia rebellium hinc inde collecta voluerunt ad prædictam arcem ſe conferre, ſed dicuntur à noſtro exercitu ſuperveniente partim cæſa partim diſperſa.

Hæretici tractus & Vrbis Dublinienſis ſtruxerunt inſidias Regi, mortem illi venatum eunti machinati, ſed vnus coniurationis nefariæ conſcius remordente ſynderesi: petita & impetrata venia dolum apperuit, complices capti fuere & debitis pœnis affecti; prædicti Dublinienſes Hæretici numero decem millia coniurarunt arcem & armamentarium Dublinienſe capere, ſed capta propè Derenſem Vrbem Cimba, quæ plures litterarum faſciculos ab Invaſore Auriaco ad rebelles Proteſtantes in Hibernia deferebat fuere cum plurimis alijs detecti, vt ijſdem carceres Regni ſint iam oppleti, & iuſſu Regio Poſtfof Regiæ eius clementiæ indulta prædictis Hæreticis conceſſa & adhuc tamen perfidiam deponere nolentibus arma ſunt adempta, & eodem mandante nouus miles Catholicus quotidie ſcribitur, & feruntur per totum Regnum eſſe circiter centum quinquaginta millia armis gerendis apta & prompta. Centuriones & Duces cauſam tam iuſtam tanto ardore promouerunt, vt quilibet ſuos milites proprijs expenſis per quatuor menſes ſuſtentauerit.

CAPVT VII.

Noua suppetiæ a Rege Christianissimo in Hiberniam transmuissæ, obsessio Vrbis Derensis vulgo Londonderij.

POst Regis in Hiberniam ingressum Rex Christianissimus pro solita sua generosa liberalitate & incomparabilizelo erga tam iustam causam contra iniquissimum Invasorem susceptam alios officiales, arma & pecunias semel iterumque ad Regem & nostrates misit, inter quos numerantur dominus de *Maignoles Mont-Meian*, postea vnius legionis Hibernicæ Centurio factus, Comes de Grace Prostrategus, Comes de *Hoquincourt*, Marchio de *Escaut*, & Dominus de *Armance* & de Saint *Pater*, Dominus de Lery.

De obsidione Deriæ siue Londonderij hæc accepimus ex Hibernia, ex litteris inde scriptis mense Maio, Iulio & Septembri huius anni 1689. locus hic est munitissimus spissis muris circumdatus à Mare Oceano occidentali quindecim milliaribus, à lacu foile, quo naues ex eodem Oceano ingrediuntur; tribus milliaribus distans, inter flumen & collem editum situs, in ostio fluminis est arx munita Culmore præsidio Catholico instructa, ad vtramque fluminis ripam hinc inde sunt valla castren sia tormentis bellicis armata per Catholicos custodita, huc innumeri rebelles audito Regis aduentu confluxerunt, & copiosum commeatum invexerunt hunc locum expugnare aggressus Rex copias militares & necessaria parari mandauit, qua de re audi strategum quendam Gallum qui ex campo Derensi scripsit in Galliam 11. Maij 1689.

Existimauit, inquit, Britannica sua Maiestas, quod eius præsentia rebelles huius Prouinciæ vltoniæ scilicet ad obedientiam reuocaret, quare ex Vrbe Dubliniensi

magnis

magnis itineribus se contulit ad oppidum de ***Straban*** decem milliaribus à Derensi Ciuitate distans ad ripam eiusdem fluminis situm, vbi intellexit hostem magno numero ad alterum fluminis ripam hæsisse; Prostrategus Hamilton, Dux Beruicensis & D. Pusignan, Mareschallus campi, cum quatuor vel quinque cohortibus militari ordine secus flumen ad occupandum pontem *Clareu* profecti, eum invenere perfractum & hostem ordinatim dispositum, ex quinque millibus peditum, & equitum aliquot turmis conflatum: nostri partim equo partim pede partim ad equorum caudas alligati, partim natando flumen transierunt, quos cum hostis aduenire conspexit ordine confuso fugam arripuit in hac velitatione ex nostris cecidere dumtaxat tres vel qnatuor Nobiles, gregarij milites totidem, & vnus Equitum Officialis, ex hoste centum fuerunt interfecti.

Interim Prostrategus de *Rose*, D. *Maumont*, D. Girardinus, qui Strabaniæ ad ripam fluminis hærebant cum duobus Equitum cohortibus, & altero militari agmine videntes hostem celeri gressu festinare, Deriam vt credebant, statim pertrãsito flumine intercepto ad Vrbem transitu, eundem ad turpem fugam compulerunt ita palantem & per agros errantem, vt simul iterum congregari nequiuerit. Scripsit P. VVarner Societatis Iesu Regiâ confessionibus Officialium, & Hibernorum militum incredibilem, ibidem eminuisse ardorem & fortitudinem, Rex intelligens in conspectu Kinsaliæ visam fuisse Classem naualem in terram forte descensuram, & opus fuisse Deriam strictiore obsidione diutius fortassis duratura cingere & tempus convocandi Regni comitia appropinquare, adeoque rumpendam esse moram Dublinium regreditur, & Carlomontium duorum dierum itinere Strabania disiunctum perveniens, à Duce Beruicensi Nuncium accepit rebelles Derenses Caduceatores emisisse qui de pactis in eundis agerent, visum proinde Concilio bellico Regiam præsentiam, multum ad hanc rem profuturam,

ram, quare iterum ad campum Derenſem reuertitur prope Vrbem in edito colle quo perfidi rebelles ingentem pyrobolorum quantitatem exploſerunt, vt facilè apparuerit eos verbis tantum luſiſſe, & technas ſtruere voluiſſe, quare Rex reſumpto itinere Dublinium perrexit.

Interim prope Caſtrum Culmore ad os fluminis peruenerunt naues aliquot ab Invaſore Auriaco miſſæ mille quingentis militibus oneratæ, petierunt vt ciues eis vrbis gubernium ſtatim traderent, quibus id recuſantibus, iterum ſunt in Angliam reuerſæ. Dum Dominus de *Maumont* copias circa vrbem diſponeret, expectaretque commeatum & alia ad obſidionem neceſſaria, hoſtis numero mille quingentorum peditum, Equitum centum erumpit agmina ſecus flumen collocata invaſurus: noſtri vnitis viribus & animis erumptes agreſſi in vrbem iterum illos repulerunt, in qua velitatione multi ex noſtris centurionibus, Strategis, Ducibus, Nobilibus, Equitibus ceciderunt interfecto ibidem Stratego *Maumont* æterna memoria ob tam nobilem pugnam digniſſimo, duo equi ſub Duce Beruicenſi fuere cæſi, vnus ſub D. *Puſignam*, Sheldon vulneratus, vti, & nonnulli Officiales minores in hoc certamine generoſiſſimè ſe geſſerunt Strategi centuriones & Chiliarchæ.

Tertia die menſis Maij hic inquit vrbem vidi tormenta bellica ex aduerſo vrbis, & altera fluminis parte collocata, aliaque expectabantur, ne tam cito aduehe-rentur; impedita à viarum difficultate, & incomoda aura; fecit hoſtis alteram eruptionem, iterum à noſtris repulſus, denuo erupit, denuo repulſus vulnerato Duce Baruicenſi. Tandem vltimo anteſcriptam hanc relationem hoſtis ad bis mille quingentos maiori impetu & furore erumpit, ſed iterum noſtri coniunctis & ordinatis agminibus in perfidos irruunt, & ad receptum fugamque compellunt, in hoc certamine ex noſtris cecidere dumtaxat Equitum Dux vnus, peditum alter, ſex milites

vulne-

vulnerati Duces Equitum duo, quinque Nobiles vel interfecti, vel vulnerati & ipſe qui hanc ſcripſit dicit ſe vulnus accepiſſe, pro Comitis de Albercornia equus occiſus. Subiungit denique ſi aura comodior duret, commeatus breui aduenturos cum tormentis alijſque rebus, Vrbemque facilè expugnandam eſſe eo quod nimia oppleatur multitudine, qua capta ait facilè Rex pacificum totius Hiberniæ dominium habebit, hæc ille.

Pergit recentior ille author referre obſidionem Derenſem, quod vrbs hæc tam obſtinate reſiſtat non ſolum provenit ex ingenti rebellium armatorum numero ibidem morantium, ſed etiam ex ſpe quotidiana ſuppetiarum qua lactantur obſeſſi. Intrarunt Cymbæ aliquot commeatu onuſtæ; noſtri Polemarchi qui obſidioni præſunt, facilè Vrbem expugnare poſſent, adeo ſunt ad illam expugnandam Feruidi, adeo animoſi milites, quia tamen neceſſe foret irruptionem facere in exercitum tam Munito loco circumſeptum, expedire viſum obſidentium ſanguini parcere, nec eam victoriam tot inſignium hominum quibus Britannica Monarchia fideliores non habet ſubditos, nec emere, ſed obſeſſos ad deditionem fame compellere; quibuſvis ſuppetijs terra, marique impeditis quare noſtri vt ſuperius dictum ab vtraque fluminis parte præſertim vbi eſt anguſta, Valla & munitiones tormentis & ſclopetis ad ripas vſque ferè inſtructa erexerunt, nec invadi vel expugnari ſine hoſtium periculo poſſunt non niſi ſecundo afflante vento, qui redituris nauibus & Cymbis foret aduerſus. Vnde factum vt ſubſidium inferre difficillimum vti litteris ex oris Vrbis Derenſis Londinum ſcriptis teſtatur Thalaſſus Kirk vnus ex rebellium Anteſignanis.

Noſtra transfretatio inquit vſque ad Altũ lacũ, vulgo *Highlake* ob incomodum tempus fuit turbida: Hæſimus in anchoris per quindecim dies adiactum tormenti bellici ab arce de *Culmore*, & hoſtes ſunt bene circumvallati

in

in ſeptis Caſtrenſibus in vtraque ripa conſtructis habent-que tormenta bellica quæ Pyrobolos viginti quatuor librarum exploduut, his tamen non obſtantibus valide ſecundante vento poſſemus intrare niſi quod in ipſum fluuium à ripa ad ripam iugens obſtaculum iniecerint ex catenis, funibus anchorarijs rudentibus palis, magnis Cymbis, ſaxis refertis in medio fluminis immerſis confectum, ita vt bellicum Concilium vanum eſſe iudicauerit velle obſeſſis per aquam ſuccurrere, quare plures alias copias auxiliares expectamus vt opem, quam mari non poſſumus, terra feramus, &c. hæc illæ litteræ, fertur Thalaſſum hunc prope Culmore fuiſſe occiſum.

Ex litteris Dublinienſibus menſe Septembri exaratis ita narratur, duæ naues rebelles Derenſibus opem laturæ oſtium fluminis invita Culmorenſi arce, intrare conantes, fuere ſubmerſæ, vna in ipſo oſtio, à tormentis arcis, altera paulò altius verſum Vrbem à vallis Caſtrenſibus hinc inde diſpoſitis, addunt eædem litteræ quindecim millia rebellium in præfata Vrbe degentium eſſe redacta ad quinque millia, quia partim ex continuis eruptionibus cæſa, partim ex penuria, & morbo quodam contagioſo conſumpta, partim per fugam elapſa, vt ſperetur breui eam eſſe dedendam, & obſidentes ſæpius rogaſſe vt eis liceret irruptionem facere, noluiſſe Poiemarchos ſanguinis effuſioni parcere volentes: ſubiungunt nec Vrbem Derenſem, nec Iniskillinam arcem tantas fuiſſe Regiæ cauſæ faceſſuram moleſtias, niſi Rex ipſe perfidos rebellium animos clementia potius deuincire quam ſeueritate terrere deſiderans, indemnitate omnibus parere volentibus promiſſa, arma eiſdem per Pro-Regem ablata, illis iterum reſtitui mandaret, & ſe mihaſtas ac ſicas Ruſticis pro agrorum & ædium tutela, pro impediendis rebellium conventiculis per eundem Pro-Regem conceſſas iuberet auferri; quo factum vt præfati rebelles excuſſo ruſticorum timore, habita iam

ſecuri-

ſecuritate, Regiaque indulgentia abuſi ad prædicta loca convolantes ſeſe communierant, & dicuntur Deriæ tanta laborare penuria vt carnibus equinis caro emptis veſcantur.

Pergunt vlterius relationes ex Hibernia ſcriptæ ſeptem prioribus diebus antequam munitiones eſſent exſtructæ, noſtri proceſſerunt vſque ad mænium Anterides, cæſis tantummodo ſeptem ex ijſdem, Sparſo rumore in caſtris de ingenti ad obſeſſos adueniente ſubſidio à Concilio bellico deliberatum ac denique concluſum obſidionem ſoluere, cui Conſilio ſeſe oppoſuit D. de Pointi Polemarchus Gallus ſolidis argumentis oſtendens auxiliarem illām claſſem non poſſe cum nocturno Maris fluxu ad Vrbem nauigare atque adeò ſi introire vellet expectandum ei matutinum fluxum, quo facilius ab arce & Vallis impediri vel retardari poſſet, rei veritatem oſtendit euentus, hinc munimenta flumini adiacentia perluſtrans duplicauit excubias, & niſi noſter exercitus fuiſſet diminutus ipſo tunc tempore facilè expugnaretur Deria, ſed cum percrebuiſſet fama Mareſchallum Shiomberg Caluiniſtam Auriacæ coniurationis participem triginta hominum millia voluiſſe in terram exponere, neceſſariò diuidendus erat exercitus, pars non exigua iuit obviam nouo huic rebellium Anteſignano in oris maritimis, quibus volebat appellere hinc inde diſpoſita, pars contra improuiſos forte inſultus parebat Domino de Boiſſelot Stratego Gallo, pars altera, rebelles ad quinque millia diuerſis in locis patriam infeſtantes inſectabatur: vnde factum vt copiæ noſtræ in Caſtris Derenſibus non fuerint adeo numeroſæ, vel auctæ niſi quando præcipua vrgebat neceſſitas; Polemarchus Hamilton præeſt obſidioni, & comperto quod obſeſſi panis penuria laborent bellicum Concilium ſtatuit illos fame ad deditionem compellere cum ſubſidio non detur acceſſus eo quod ad oſtium fluminis plura tormenta bellica de nouo ſint diſpoſita.

Dublinij fuit nunciatum obsessos maximas pati molestias à pyrobolis & bombis continuò in Ciuitatem injectis militibus deesse calceos, eos desiderasse de deditione pacisci, ex petitis conditionibus vnam fuisse vt eis liceret in Angliam transfretare, id à nostris fuisse pro tunc recusatum: in eadem illa Aquilonali Prouincia, in qua iacet Deria relationes sæpius citatæ narrant mille rebelles fuisse à Duce Beruicensi cæsos, & eorum pecora magno numero capta. Et hæc de Derensi obsidione ex relationibus in Galliam ex Hibernia per viros fide dignos transmissis.

CAPVT VIII.

Regni Hiberniæ comitia à Rege indicta, Dublinij celebrantur mense Maio huius anni 1689. Regis præfatio comitiorum decreta Ludovici decimi quarti laudata generositas

Iacobus Rex.

PRoceres & Viri nobiles singulare fidelitatis exemplar ab hac natione exhibitum præstitumque eo ipso tempore quo alij mei subditi perfide se erga me gesserunt vel me vilissime prodiderunt, generosi vestri conatus quibus secundastis intrepidum animum mei Proregis in sustinendis meis iuribus in conseruando & communiendo hoc Regno me induxerunt vt huc ad vos venirem, vitamque vobiscum pro vestra libertate, & meis Dominijs exponerem, & sane vt ad meam summam satisfactionem dicam, quod compererim vos non solum promptos ad meum obsequium, sed etiam vestro zelo vestram parem esse constantiam.

Semper

Semper vbi potui, faui libertati conſcientiæ, & aduerſatus ſum ijs qui aliena bona vſurpant iuxta illum ſacræ ſcripturæ textum, *Omnia quæ vultis vt vobis faciant homines & vos facite illis*. In quo conſiſtunt Lex & Prophetæ, hæc conſcientiæ libertas à me conceſſa, hoſtes meos in meis Dominijs & exteris partibus perterruit, præſertim cum intellexerunt me illam voluiſſe legibus ſtabilire in omnibus meis ditionibus, quæ fuit cauſa cur in me arma mouerint, ex diuerſis tamen motiuis, aliqui timebant ne, ſi ita ſanciretur, populus meus nimis fœlix euaderet: alij ne magnam potentiam acquireret; duabus his cauſis vſi ſunt ad inducencum ſuum populũ ad vnionem ineundã cum prædictis meis ſub ditis, illoſq, pelliciendos vt eo modo, qui terrarum orbi eſt manifeſtus,me tractarent:nihil tamen me à cõcepto Cõſilio remouebit, & vbicumque poteſtatem habuero, mihi fixum eſt Deo iuuante, præfatam libertatem publicis ſtabilire legibus nec perſonas niſi ex ſola fidelitate diſtinguere: à vobis expecto vt mecum ad chriſtianum hoc opus concurratis, & ad eas ferendas leges quæ vanitates & morum corruptelas exſtirpent: meum ex animo præbebo conſenſum, vt illas condatis leges quæ conducant ad nationis commoda, ad augmentum commercij, ad reparandas iniuſtitias, quæ fuerunt illatæ iis, qui ex vltimis confiſcationis bonorun ſanctionibus detrimenta ſunt paſſi quantum ſubſiſtere poſſunt cum recta ratione, æquitate, & populi mei bono communi; & quemadmodum ego omnem meam operam impendam, vt reddam vos locupletes & fœliees ita non dubito quin ſitis mecum cooperaturi ad me opponendum iniquis hoſtium meorum Conſilijs; & ad efficiendum hanc nationem florentem.

Vt autem maiores ad hanc rem vobis Animos addam rogo perpendite quanta generoſitate, quantoque affectu Chriſtianiſſima Maieſtas auxiliaria porrexerit brachia Reginæ meæ conſorti, meo filio, & mihi. Per-

pendite quod ex Anglia nos confugere coactos, in suo Regno nos exceperit & protexerit, quam strenue ac etiam generose meam causam sit amplexus, & omne mihi subsidij genus suppeditauerit vt huc venire possem; sine hac ope nihil efficere potuissem, & eo magis sum ipsi deuinctus, quod easdem suppetias ministrauerit & ministrare adhuc pergat, eo ipso tempore quo tot & tam potentes habet aduersarios.

Concludam ibi vnde incepi, sincerè vobis affirmans quod quam plnrimi æstimem, præclarissimæ vestræ erga me fidelitatis argumenta, & vobis protestor me pro viribus effectarum, vt vos & alij mei subditi, quantum fieri poterit euadatis fœlices hactenus Rex.

Hic discursus tanta voluptate & lætitia affecit proceres & alia membra vt vicissim reciprocum erga Regiam Maiestatem studium, affectum, obsequium spoponderint, protestati se cum vitæ & bonorum iactura conaturos vt Regia eius Maiestas Imperiali Britannicorum Regnorum Coronæ suisque iuribus restituatur.

Acta & Decreta Parlamenti præfati.

1. Regnum Hiberniæ declaratur independens à Regnis Angliæ, & Scotiæ.

2. Declarata sunt irrita & nulla, decreta in Anglia facta, quibus tempore Caroli secundi confirmabantur iniquissimæ confiscationes & donationes de bonis Hibernorum per *Cromuellum* factæ, & ita hæreditarij & legitimi Domini suas possessiones à quadraginta iam annis eis ablatas adire poterunt.

3. Rex eas possessiones quas dum esset Dux Eboracensis in Hibrnia habuit restituet, & vicissim in recompensationem ad dominium suum habebit ea fugitiuorum rebellium bona, quæ Regio iam sunt confiscata emolumento.

4. Durante tredecim mensium spatio, singulis mensibus

ſibus ſoluentur & numerabuntur, Regi viginti millia librarum ſterlinarum quæ ſunt octoginta millia ſcutorum.

5. A ſententiis per iuſtitiæ curias in Hibernia latis non dabitur appellatio ad curias Angliæ.

6. Leges in Parlamento Angliæ latæ non habebunt vim in Hibernia.

7. Publica conſcientiæ conceditur libertas.

8. Tolluntur & abolentur omnes inhabilitates ciuiles, Hibernis ne ciuilibus vel militaribus Officijs fungerentur, inflictæ.

9. Supprimuntur dilationes iuſtitiæ, litteræ dictæ error vel lapſus, priuilegium libri ſeu peritiæ legendi reſpectu illorum omnium qui læſæ Maieſtatis erunt Rei.

10. Statuitur temperamentum pro exteris aromatibus vndecimo factæ ſunt ſanctiones contra eos qui pænis obnoxij, rebellarunt contra Regem, & ſine eius facultate ex Hibernia fugerunt. Hæc & multa alia in nupero illo Parlamento ſtatuta.

Et ſi quis de his æquiſſimis decretis obmurmuret, ego illud in Machabæorum 15. verſu 35. repono.

Neque alienam terram ſumpſimus, neque aliena detinemus; ſed hæreditatem patrum noſtrorum quæ iniuſte ab inimicis noſtris aliquo tempore poſſeſſa eſt; nos vere tempus habentes vindicamus hæreditatem patrum noſtrorum.

Et quam vere ſereniſſimus Rex noſter in ſua præfatione dixit Maieſtatem Chriſtianiſſimam, ſuas adhuc erga Hiberniam continuare ſuppetias, vel inde apparet quod eas quoties opus eſſe intelligit mittat, ut nuper ducentos bellicos Officiales deſtinarit, beneficium ab Hibernia perenni recolendum memoria, ingratitudinis enim vitio iuxta Senecam ob eius enormitatem: nullam dignam pœnam leges humanæ adhuc excogitare potuerunt, præſcindit Hibernia à Principum diffidijs & rationibus ſtatus, in præſentiarum accepta auxilia non poteſt non grate agnoſcere, & tam benevolo Principi ſequens grati animi monumentum ad poſteros tranſmittere.

LVDO-

LVDOVICO XIV.

Christianissimo Galliarum & Nauarræ Regi

PRO HIBERNIA

Contra Dei, suique Regis hostes certante eius Christianissima prouidentia bellici apparatus adiuta suppetijs.

EVCHARISTICON.

Cluiniana Hydra
Per Ludouicum Magnum *ex Gallijs eiecta*,
Ibidem deinceps stabulare prohibita
Auernali stratagemate Invasoris iniqui,
Ollam in Aquilone succendit,
Ignem furoris efflantem,
Vt resurgentem in Britannia *fidem*,
Irreparabili deuoraret incendio;
In Anglicano stabulata cubili
Vesana bestia,
Angliam serpentinis depasta morsibus
Reliquas Septemotrionis oras
Suis correptura flammis
Vicinæ iam iam inhiabat Hiberniæ;
Sed ne extremum quod moliebatur,
Excidium inferret
Pientissima sollicitudine Ludovicus occurrit
Et hydræ septemplicis renacentia capita
Truncare agressis Hibernis arma suppeditat;
Vt herculea claua, qua olim in Gallijs percussa
Iterum Sanctorum *perduteretur in* Insula.

His

His Ludouici *instructa subsidijs,*
Hibernia cruenti Draconis caput elisit
Tumentes invasuri Tyranni fluctus
Suos confregit ad scopulos
Et quæ domesticos non alit serpentes
Armata falce detruncauit aduectos:
Vnde Dei causam in hac ope ferenda
Ita suam Ludovicus *effecit;*
Vt pro fide pugnantium labores
Vtiles voluerit esse de suis
Vt quam ab hæresi liberauit in Gallia,
Sartam tectamque conseruaret Hibernia
Vel hinc vsque adeo deuincta
Vt tantam pietatem
Quam Summus Pontifex
INNOCENTIVS XI.
Apostolico commendauit oraculo,
Iacobus secundus in Regni comitijs
Regio celebrauit encomio
Et ipsa perpetuo grati animi veneretur obsequio.

CAPVT IX.

Regni Hiberniæ: Ciuilis & Militaris status, Officiales bellici loca munita, membra Parlamenti, Regni proceres fora & tribunalia.

SVmmum Regni Hiberniæ forum est *Parlamentum* quod Pro-Regis Angliæ arbitrio à Pro-Rege indicitur, & dissoluitur; Iuridica etiam comitia, quatuor. vt in Anglia, quot annis habentur, & quinque sunt tribunalia, nimirum *Cameræ stellata Cancellaria*, *Bancus*

Reginis,

Regius, *Bancus communium Placitorum*, *Scaccarium*, siue *Fiscus Regius*: sunt etiam Iustitiarij Asisarum, *nisi prius ad audiendum & determinandum*: *Irenarchæ* vulgò dicti *Iudices pacis*, in singulis comitatibus ad pacem conseruandam. Rex etiam habet suum ad legem seruientem, procuratorem, vulgò *Attornatum* & *Sollicitatorem*.

Sunt etiam in Prouincijs ad ius dicendum Gubernatores, qui suos habent Assessores è nobilibus & iuris peritis, à nutu tamen Pro-Regis dependentes, ijsdem autem quibus Anglia, Hibernia administratur legibus olim factis & ibidem acceptatis.

Ex quo Hibernia, Anglici iurisfacta est, Reges Angliæ, eo Pro-Reges ad rempublicam gerendam rransmittere, vel ex ipsis Hiberniæ nobilibus instituere consueuerunt: quos primum *Custodes* Hiberniæ, deinde pro arbitrio, Hiberniæ *Iustitiarios*, *locum tenentes*, & deputatos vocarunt, in litteris patentibus, quibus mandatur authoritas ampla sane datur, & Regia videlicet bella gerendi, pacem componendi, Magistratus & munia omnia præter paucula conferendi, crimina præter quædam læsæ Maiestatis, remittendi, Equites Auratos creandi. Hæ litteræ cum Magistratum quis init, publicè præleguntur, & iuramento coram Regni Cancellario, concepta verborum forma præstito, gladius, qui præferatur, extraditur, in solio locatur, astantibus Regni Cancellario, qui sunt à sanctiori Consilio, Regnique proceribus, cum *Rege Armorum seruiente ad arma*, & alijs honorarijs administris. Nec alius sane est in orbe Christiano, vt *Camdenus* obseruat, Pro-Rex, qui propius ad Regiam Maiestatem, siue iurisdictionem, siue authoritatem, comitatum apparatum spectes, accedit. Ili in Consilio adsunt Regni Cancellarius, Regni Theraurarius, & alij ex Comitibus, Vobilibus, Baronibus, & Iudicibus, qui sunt à sanctiore seu secretiore Consilio status; eosdem item habet ordines Hibernia, quos Anglia, Marchiones, Comites, Pro-Comites, Barones, Equites auratos, Armigeros, &c.

Præter

Præter ciuiles hos Magistratus, militarem etiam Magistratum habet vnum, scilicet *Mareschallum*, tum ad militum, tum ad seditiosorum compescendam insolentiam *Mareschallus* habet sub se *sub Mareschallum*, & aliquando plures pro rerum exigentia. In bello verò plures, & eosdem, quos alia Regna, nempè Polemarchos, Strategos, Centuriones, Duces, Tribunos militares peruenit in meas manus sequens officialium Cathalogus, qui in præsenti bello merentur.

Legiones, & Officiales Equitum.

Ducis Tyrconelliæ equitũ legio, alijs legionibus præsunt Tribuni Comes Galuiæ, Tribunus Sarchfield, Trinus Suterland, Comes de Abercorne Hamilton, Tribunus Luttherell, Tribunus Butler, Gulielmus Dungan, Comes Limiricensis, Niellus Oneill, N. Daniel Bryan, Nicolaus Pursell, Tribunus Clifford, Eques Auratus Cotterell. Vnde sunt tredecim Legiones Equitum.

Peditum Legiones.

Legio Regia, alijs peditum legionibus præsunt sequentes Ioannes Hamilton, Ramseij, Comes Clancarti, Antonius Hamilton, Comes de Clanrichard, Comes de Antrim Macdonell, pro Comes de Gormanston Preston, pro Comes Clare, pro Comes de Louth Plunkett, pro Comes de *Duleike Bedloe*, pro Comes Galuiæ, Baro Slaniæ Christophorus Flemming, Eques Auratus Brouune, Eques Auratus Eustace, Nugent Vvestmediæ, Henricus Dilon, Eques Grace, Richardus Butler, Gualterus Butler, Ioannes de Burgo, Carolus Mocre, Constantius Oneill, Carolus Creagh, Gordonus Oneill, Richardus Brooune, Eques Michael Creagh, Bernardus Macmahon, Cormacus Toole, Hovvardus, Osborne, Maccarti, Tribunus Barret Farrell, Bagnett, Comes de. *Tireoen*, Daniel Bryan pro Comes Vvagh, Maccarti Ryach, pro Comes de Killmallocke. Donatus Brouune, Daniell Donauan, pro Comes de Mount Castle.

Peditum legiones huc vsque recensitæ sunt numero quadraginta duæ.

Officiales in Derensi Obsidione cæsi.

Propolemarchus Maumout Gallus, Propolemarchus Pusignan Gallus, Maior Toole, Maior Nangle submersus, Tribnnus Ramseij, Maior Riegan, pro Tribunus Carill, Dux siue Capitaneus Geraldinus, Capitaneus Flemming, & sequentes alij Capitanei, Barneuallus, Grohan, Kellij, Vvadson, Plunkett, Maccheane, Farell, Smith, Cheeuers, Penn, Maior Taffe, omnes viginti, & vnus.

Vulnerati.

Sequentes Officiales Capitaneus Arthur, pro Tribunus Pusignan Gallus, & inde mortuus, Tribuni, Darington, Vvagan, Nugentius, pro Tribunus Eustace, pro Tribunus Farell, Capitaneus Plunkett, Capitaneus Foij, Capitaneus Burke, Capitaneus Exborrou, duo Tenentes Galli, Tenentes, Talbot, Barneuall, Geraldinus, Signiferi, Enghlish, Vvalsh, Pursell, Darcij, numero viginti & vnus.

Capti ab hostibus.

Pro Comes Lutterell, pro Tribunus Talbot, Gerardus Aylmer eques Auratus, Capitaneus Mani Busse, Tenentes, Necome, Muc Daniel, Eustace, Thomas Nugent, duo Tenentes Galli, Tenentes Deuereux, Vvalsh, Connell, Ricardus Eustace, Sandey, Eustace, Signiferi Kelly, Arsbold, Mauritius Eustace omnes numero septemdecim.

Arces, & munimenta Hiberniæ

Munimenta Lageniæ.

Vadipontanum in eminenti situ Vrbi dominans, Arx dublinensis ex valido muro spisso, & apparatu, ac tormentis bellicis benè munita, Castrum Vvikloe portui maritimo imminens, Castrum de Arckloe mari imminens, Oppidum, de Catarlo munitum, & validum portus Vvexfordiensis arcibus mari, & portui imminentibus munitus.

Castrum siue Arx Duncanone in edita rupe sita, por-

portui, & flumiui Barrou nauigabili Vvaterfordiam, & Rossam vsque imminens.

Arx Kilkenniensis munita, & valida à mari intra Regnum triginta mill. distans.

Arx Mariamburgica in Leisa à Maria Regina extructa, & valida.

Philipopolis Arx à Rege Philippo Secundo Mariæ Coniuge extrui iussa.

Castrum Athloniæ validum, & flumini Sanuon imminens.

Arx Finha fortis, & valida iuxta lacum.

Arx Molingaræ in Vvestmedia.

In ComitatuLongfordiæ sunt etiam non paucæ Arces munitȩ.

In Midia Orientali Arx Atrumensis.

In Vltonia.

Castrum Carlingfordiæ in edita Rupe mari, & portui imminente fundatum.

Castrum de Neurij flumini imminens, & benè validum, Castrum da Carlomonte validissimum, & munitissimum, accessu difficillimum ob flumen, cui imminet, & vicinas paludes.

Castrum Fergusianum siue Rupes Fregusij vulgo Caricke o Knocke Fergus in edita Rupe mari à tellure disiuncta constructum, validissimum, & munitissimum, & non nisi ponte versatili, sub quo naues transire posse fertur, accessibilis, cui in humiliore loco subiacet Oppidum, cui Castrum præfatum dominatur.

Arx Iniskillina in Insula lacus sita, & versatili ponte accessibilis.

Arx de Dunluse Comitum deAntrim sedes mari imminens valida.

Vrbs Derensis, siue Londonderij validissimo, spissoque muro cincta ad radicē vnius collis ad ripam fluminis sita rebellium ad huc sedes, & latibulum, sed breui vti spero expugnandi sunt, & aliæ arces hin inde per Vltoniam dispersæ.

Loca munita Momoniæ.

Yoghelia portus maritimus arcibus portui imminentibus munita.

Corcagia portus, cui munitę arces imminent, ſuntq; validæ, & benè ſtructæ.

Kinſalia portus, ad quam menſe Martio huius anni 1689. appulit Sereniſſimus Rex noſter Iacobus Vrbs munitiſſima.

Sunt & alię quamplures arces maritimę ad pelagi littus.

BandonBridge munitum Oppidum.

Limericum portus, & Vrbs munitiſſima Caſtro valido inſtructa.

VVaterfordia portus, & Vrbs valida, & quæ nouem menſium obſidionem ſuſtinuit tempore perduellis Cromuelli.

Clonmelia Oppidum muratum, & munitum à cuius obſidione Cromuell deſpondens animum in Angliam eſt reuerſus.

Munita loca Conaciæ.

Galuia portus, cui validæ arces in rupibus fundatę imminent.

Sligo portus, & locus munitus, habet Conacia quatuordecem loca munita.

Denique Author Anglus Londini anno 1673. impreſſus caſtra arces, & loca munita numerat, in Lagenia centum & duo, in Momonia ſexaginta ſex, in Vltonia triginta, in Conacia quatuordecim, quæ ſimul conſtant ducenta, & decem loca magna, & parua præſidijs vel apta, vel inſtructa.

Proceres Regni.

Idem liber numerat in Hibernia Comites viginti ſeptem, Pro-Comites modo numerantur quadraginta duo, Barones viginti ſeptem, Antiſtites Eccleſiaſtici, quando Sedes ſunt plene triginta & vnus, Abbates Parlamentarij decem, Priores Parlamentarij decem,

præ-

præter alium magnum Abbatum, & Priorum numerum ante Schisma; idem numerat in Regno Hiberniæ Tribuli sexaginta septem ministros, in militari magistratu per districtus, Prouincias, & Vrbes quinquaginta diuersi ministerij v. g. Mareschallos, Commissarios, Comites stabiles, apparatus belliciPræfectos. Membra inferioris Parlamenti Cameræ ex diuersis Hiberniæ Prouincijs, & Comitatibus, Vrbibus, Oppidis ad Comitia Regni conuocari solita, ducentos septuaginta quinque viros.

Dum hæc ad Typos pararem peruenit fama ex diuersis partibus Mareschallũ Sciomberg Caluinistã Brandeburgicũ Auriacæ coniurationis complicem, consortem, & asseclam, contra promissionem Christianissimo Regi datam, contra gratitudinem Regi nostro debitam ob singularia ab eo accepta beneficia octo hominum millia in Sinufergussiano exposuisse in terram, cui se iunxere quatuor alia rebellium millia, & in quandam peninsulam fugam arripuit.

Quid actum de ipso & suis mihi adhuc incertum.

CAPVT X.

De statu Ecclesiastico.

QVod attinet ad præsentem Ecclesiæ in Hibernia statum, ordines religiosi pro virjbus conantur vetera cœnobiorum rudera; vbi ea recuperant, instaurare, vel iterum à fundamentis exstruere, vti Fratres nostri Dublinij iam à duobus annis fecerunt, P. Patricio Barneuallo loci Guardiano, Prouinciæ Diffinitore, huius olim Collegij alumno, deinde hic in Italia Lectore, opus piorum eleemosynis promouente, vt elegantem iam Ecclesiam, diuinis frequentatam officijs, ac dormitoria fabricauerit, ita eius exemplo in alijs partibus alij factitant; diuinus Cultus liberè nunc exercetur, frequen-

tan-

tantur Sacramenta, habentur conciones; pax mutua fouetur, quæ fuit non nihil turbata per Synodalia quædam statuta in Diœcesi Midensi, sine Synodo tamen ex capite vnius hominis regularibus non parum infensi, edita quibus illorum exemptiones, & priuilegia spreta Apostolicæ Sedis, quæ illa concessit authorinate conculcare, & omnino auferre conabatur renouatis in ijsdem Gulielmi à Sancto amore, Ioannis de Poliaco, Philippi de Norreijs erroribus.

Huic autem discordiarum incendio, ne latius vel diutius grassaretur, occurrit Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Antonius Altouitus Sacræ Congregationis Concilij Tridentini Secretarius, qui apud eandem Congregationem effecit, vt præfata reformarentur statuta, & iustæ moderationis lima castigarentur, vnde pacem, qua hodie in Hibernia potiuntur regulares, & tranquillam cum Clero concordiam studiosæ huius Prælati acceptam referre debent industriæ, & perenni memoria recolere.

Quod spectat ad Cathedrales Ecclesias ea sunt numero triginta duæ, è quibus vocant nouemdecim, imò viginti, & vna si tollerentur commendæ, atque ita tot animarum millia Pastore carent, & ne vllibi carerent sollicitè olim in Lateranensi quarto, & quinto Concilio prouidit Ecclesia, ne pro defectu pastoris inquit primum cap. 23. gregem Dominicum Lupus rapax inuadat . . . . . . Volentes in hoc occurrere periculis animarum, & Ecclesiarum indemnitatibus prouidere, statuimus, vt vltra tres menses Cathedralis, vel Regularis Ecclesia Prælato non vacet: infra quod si iusto impedimēto cessante, electio non fuerit facta, qui eligere debuerant eligendi potestate careant ea vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proximo præesse dignoscitur, deuoluatur, is verò ad quem deuoluta fuerit potestas dominum habens præ occulis non differat vltra tres menses &c. Tenor huius Canonis frequenter pro Hibernia

re-

repetitur in Bullis Bonifacij Noni, Martini Quinti, Eugenij Quarti his verbis. *Ne Ecclesia illa Pastoris viduata solatio diuturnæ vacatiunis exponatur incommodis hinc &c.*

Turbulentissimis Reginæ Elisabethæ temporibus Apostolica Sedes viduatis Hiberniæ Ecclesijs semper prouidit, & ita Fides ibidem seruabatur illæsa, & res est notatu digna in ijs Hiberniæ locis, quæ carent Pastoribus hæresim altiores fixisse radices, & cruentiores edidisse strages, & obstinatissimas in Regem vsque hodie fouisse coniurationes, vt constat vel maximè in Vltoniensi Prouincia, quæ à triginta annis excepta vna, alteraue Diœcesi Pastoribus caruit, vbi verò adfuerunt Episcopi non adeo grassata est hæresis, statim ab inauguratione Regis habitus est Dublinij, Cleri conuentus, in quo de palantibus prouidendo gregibus nulla fuit facta consultatio, sed tantummodo de subleuandis à suis miserijs Episcopis, inde Londinum destinati Legati, è quibus vnus erat Clocherensis Antistes & administrator Kilmorensis, nunc verò obtenta à Priore sponsa separatione Midensis Episcopus, huius legationis effectus præter certam pecuniæ annuæ summam à Regia liberalitate concessam Episcopis alius non apparuit, nisi vt viduatæ Ecclesiæ adhuc Pastoris solatio destitutæ remaneant, ac si illæ non æque indigerent Pastore, ac egent Sedes impletæ, & Episcopi qui tempore Elisabethæ victu, & amictu Apostolico more erant contenti, nunc non nisi opulentiores gregem Dominicum Pascere valeant; ea certe in re culpa caret Apostolica Sedes, quæ semper anteà prouidit, caret Serenissimus Rex minus in huiusmodi informatus, an autem careant ij qui subtili stratagemate illas vacationes continuare procurant, quo fine nescitur viderint, ac propterea non sint Deo reddituri rationem.

FINIS.

EGO infrascriptus Ord. Min. Obs. Sacra Theol. Lector Iubilatus, & Sac. Congr. Indicis Consultor ex commissione Superiorum legi Compendium Annalium Ecclesiasticorum Regni Hiberniæ &c. & iudico luce publica dignum. Romæ ex Aracæli die 1. Decembris anno 1689.

Fr. Ioannes Antonius de Palermo.

FR. MARCVS ZARZOSA LECTOR IVBILATVS, totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P. N. Francisci Minister Generalis, ac seruus, &c.

Dilecto nobis in Christo P. Fratri Francisco Portero Lectori Iubilato, nostri Ordinis Scriptori, ac Prouinciæ nostræ Hiberniæ alumno; salutem in Domino sempiternam.

CVM præclarum, arduumque opus aggressus sis & componas Annales, videlicet, Ecclesiasticos Regni Hiberniæ, & cupias ad tam grandem exantlandum laborem nostra facultate, & benedictione muniri; Nos, qui huiusmodi publicis, vtilibusque studijs plurimum delectamur, tenore præsentium nostram benedictionem meritum salutaris obedientiæ, licentiamque impertimur, vt prædictum opus strenuè prosequaris; cumque illud compleueris, & Theologi, quibus eius committetur examen idem approbauerint, ad Dei, & Patriæ tuæ honorem, publicumque bonum in lucem edere possis: obseruatis Sacri Concilij Tridentini, Apostolicarum, & Generalium nostri Ordinis Constitutionum præscriptis. Datis Romæ in nostro Aracælitano Conuentu die vltima Mensis Augusti 1688.

EX commissione Reuerendissimi Patris Fr. *Thomæ Mariæ Ferrari*, Sac. Pal. Apostolici Magistri, legi Librum, qui inscribitur: *Compendium Annalium Ecclesiasticorum Regni Hiberniæ, Authore Fr. Francisco Portero Hiber. Miden. Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato*: Et comperi non solùm esse expertem eorum, quæ, vel Catholicæ Fidei, vel bonis moribus aduersari possent; Verùm etiam plurimâ rerum varietate amœnum, ac locupletem. Datum Romæ, in Diui Augustini die 18. Aprilis 1690.

Fr. Petrus Lambertus Ledroù, Ordinis Erem. S. Augustini Sac. Th. Doctor, Studiorum Collegij de Propaganda Fide Præfectus, & SS. Litterarum in Romana Sapientia Interpres.

Index Rerum Notabilium.

Esten-

51

Lif-

Or-

P

R

S

Sta-

Erre-

Errata Corrige.

Pag.7.mappæ, lege mappa.
Pag. 21. quinqaginta quingenta.
Pag. 46. circumferrē circumferri.
Pag.58. ſuperuaueum, ſuperuacaneum.
Pag.61.milliarium, milliaria.
Pag.62.ſigmenta,figmenta.
Pag.64.caſtores, caſtiores.
Pag.247. Iacobo II. Iacobo.I.
Pag.288.ſcarumpũ,ſcarampũ.
Pag.288.Duncanouæ,Dancanonæ.
Pag.281.cutholicæ,catholicæ.
Pag.70.monarcharum.
Pag.75.monarcharum.
Pag.299.duxi, duxit.
Pag.313.amaritudine, amaritudinem.
Pag.334.cluniana,caluiniana.

Einer der ersten fünf Bände, restauriert aus Mitteln der Österreichischen Bundesregierung im Institut für Restaurierung der Österreichischen Nationalbibliothek und übergeben in Florenz am 19. Mai 1967

von Generaldirektor Dr Josef Stummvoll
Präsident der „Österr. Florenzhilfe"